PONTIFICALE
ROMANUM
CLEMENTIS VIII.
AC
URBANI VIII.
JUSSU EDITUM
INDE VERO
A BENEDICTO XIV.
RECOGNITUM ET CASTIGATUM.



CUM ADDITIONIBUS A SACRA RITUUM CONGREGATIONE ADPROBATIS.

EDITIO PRIMA NEAPOLITANA.





NEAPOLI MDCCCXXXVII.
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

SUPERIORUM FACULTATE.



SS. DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIV.

Apostolicæ Litteræ in forma Brevis de nova RITUALIS, CÆREMONIALIS EPISCOPORUM, *nec non et* ROMANI PONTIFICALIS *editione, ex quibus et selegimus ea, quæ Pontificale Romanum tantummodo spectant.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

QUam ardenti studio, incredibili solicitudine, assidua cura, et indefesso diuturnoque labore, adhibitis etiam accitisque undequaque viris in sacra Doctrina disciplinaque Ecclesiastica versatis, æque ac de rerum Liturgicarum peritia meritissimis, sedulam operam navaverint atque contenderint Prædecessores Nostri Romani Pontifices, ut Rituale Romanum, Cæremoniale Venerabilium Fratrum Episcoporum, et Pontificale Romanum, sive emendatis erroribus, sive correctis inordinationibus, sive ablatis inutilibus, sive restitutis necessariis, ad eam tandem formam normamque, juxta quam de præsenti usui sunt, maximo cum omnium virorum Ecclesiasticorum commodo et utilitate redigerentur: præstat in primis intelligere ex ipsis præsertim Apostolicis in simili forma Brevis litteris eorumdem Prædecessorum Nostrorum, qui post S. Pium Papam V. felicis recordationis, Clemens VIII. Innocentius X. Paulus V. Urbanus VIII. et Benedictus XIII. ad gravissimum dignissimumque hujusmodi opus omnibus numeris absolvendum sese pro viribus addiderunt.

Tenores autem memoratarum litterarum sunt, qui sequuntur: *Ac primum quidem quæ pro Rituali Romano statuit* Paulus V. *Bulla incipiente*, Apostolicæ Sedi; *Item quæ pro Cæremoniali Episc.* Clemens Papa VIII. *Bulla incipiente*, Cum novissime; Innocentius Papa X. *Bulla incipiente*, Etsi alias; *quin etiam* Benedictus XIII. *Bulla incipiente*, Licet alias, *brevitatis gratia hic omittuntur.*

Pro Pontificali vero Romano Clemens Papa VIII. *Ad perpetuam rei memoriam.* Ex quo in Ecclesia Dei multa, tum a sacris Conciliis, tum a Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, ad Dei gloriam augendam, et ad Catholicæ fidei

unitatem ubique retinendam, pie ac sapienter instituta sunt, nihil magis iidem Pontifices Prædecessores nostri curandum sibi esse statuerunt, quam ut communes Ecclesiastici muneris rationes ad propriam normam, servata antiquitatis auctoritate, revocarent.

Hac solicitudine impulsus fel. rec. Pius Papa V. Prædecessor Noster, formulam primum psallendi Horas Canonicas et celebrandi Missas, varie prius constitutam, et a nonnullis Prædecessoribus Nostris restitui et instaurari cæptam, ad unam pariter formam, Romano Breviario ac Missali propterea summo studio ac diligentia edito, redigendam curavit. Atque hoc sane consilio alii Romani Pontifices, qui eumdem Pium præcesserunt, Pontificales etiam cæremonias ac ritus, quibus ejusdem Catholicæ Ecclesiæ Præsules in suorum munerum functione uterentur, certis similiter forma et modo præfinitis, in Romanum Pontificale retulerunt.

Cæterum, quia eædem Cæremoniarum ac Rituum formulæ ibi expressæ postea, sive diuturnitatis injuria, sive Typographorum negligentia, sive alia de causa, in ipso Pontificali partim immutatæ, partim corruptæ, veteris instituti atque auctoritatis gratiam magna ex parte amiserant; idcirco necessaria res visa est, ut eædem formulæ in sacris Præsulum Ecclesiasticorum muneribus servandæ, recuperato prioris integritatis statu, omnino restituerentur, et ab omnibus præscripta firma aliqua ratione observarentur.

Nos igitur ad summum Apostolatus apicem, meritis licet imparibus, evecti, prædictorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhærentes, omni cura et solicitudine adnitendum Nobis esse duximus, ut errores, qui quidem nec pauci, nec leves in idem Pontificale, depravatis passim locis, irrepserant, quam accuratissime tollerentur.

Idem enim Pontificale corrupti et mendosi voluminis speciem adeo præseferebat, ut (multis dictionibus, hinc inde partim in unam contractis, partim una in plures distincta, partim iisdem male ac perperam collocatis et trajectis, partim denique ipso orationis sensu mutato) dubium esset, quibus tandem officiis, vel laudibus iidem Ecclesiæ Præsules divinum Numen prosequerentur; præterquamquod in rubricis etiam sparsim turbata ordinis serie dispositis, tanta erat varietas et obscuritas, ut multis in locis rectene se haberent, opinione magis, quam judicio esset statuendum.

Hanc ergo ad rem, tam cum Ecclesiæ cultu officioque Nostro conjunctam, tamque eorum, qui pro impositi oneris debito sacris Ecclesiæ muneribus vacare debent, concordiæ

et unitati congruentem examinandam et absolvendam, piis quibusdam atque insignibus viris, diu multumque in Pontificalibus cæremoniis et ritibus versatis, negotium dedimus, dictum Pontificale undequaque corrigendi et restituendi, necnon quæcumque ad exactam illius editionem spectare viderentur, perquirendi et præstandi.

Cumque apud eos paterna hortatione ad hoc opus maturandum quotidie fere uteremur, re tota tandem ad nos perlata, et in hanc, quæ nunc editur, formam redacta, singulari Dei benignitate (neque enim aliter accipimus) Pontificale Romanum tandem restitutum et absolutum est, atque ita ex parte dispositum (quod ii etiam, qui negotio ac muneri huic præfuere, confirmarunt) ut nihil ab antiquis Pontificalium codicibus, qui tum in clarioribus Urbis Ecclesiis, tum in Nostra Vaticana Bibliotheca, ac denique in quibusdam aliis insignibus locis asservantur, alienum aut discrepans irrepserit.

Ad quam operam in vetustis libris inter se conferendis, strenue ac fideliter navatam, id commodi quoque accessit, quod ii, qui ea in re industriam collocarunt, ex gravissimis scriptoribus eos demum auctores, qui omnium probatissimi haberentur, secuti fuerint, quodque ambiguis omnibus ac dubiis rebus prætermissis, eas dumtaxat, quæ essent in veteris Pontificalis volumine comprehensæ, delegerint, iis tamen exceptis, quæ ad Romanum Pontificem attinebant, quod nimirum in Cæremoniali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sunt expressæ.

Ex rubricis vero multis detractis, quæ exactiore methodo in librum Cæremoniarum Episcoporum sunt relata, plerisque etiam, uti necessitatis ratio postulabat, adjectis, et præterea non paucis quibusdam in melius commutatis, clariusque expositis, ac denique cantu plano in aptiorem modulationis formam (permultis syllabis, pro temporum natura, ubi ratio eas produci et corripi postulabat, contra quam prius in antiquo Pontificali expressum erat, magis apposite extensis, vel contractis) a viris ejus rei peritis, ad hoc jussu nostro delectis, diligenter redacto, opus jam absolutum probavimus, et Romæ edi, editumque divulgari mandavimus.

Ut autem ipsius operis labor finem eum, ob quem est susceptus, sortiatur, utque posthac in omnibus et singulis Ecclesiis uno eodemque modo cæremoniæ et ritus Pontificales observentur; motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine omnia et singula Pontificalia in hunc usque diem in quibuscumque terrarum orbis partibus

impressa et approbata, et quibusvis privilegiis Apostolicis munita, et decretis ac clausulis roborata, per præsentes supprimimus, et abolemus, eorumque usum in posterum universis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Militiis, Ordinibus, et locis, atque etiam omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et aliis Ecclesiarum Prælatis, cæterisque omnibus et singulis Personis Ecclesiasticis, sæcularibus, et regularibus utriusque sexus interdicimus et prohibemus: et hoc nostrum Pontificale sic restitutum et reformatum in omnibus universi terrarum orbis Ecclesiis, Manasteriis, Ordinibus, et locis etiam exemptis, si quæ sunt, recipi et observari præcipimus.

Statuentes, Pontificale prædictum nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum, aut omnino detrahendum esse, ac quascumque personas, quæ Pontificalia munera exercere, vel alias quæ in dicto Pontificali continentur, facere aut exequi debent, ad ea peragenda et præstanda, ex hujus Pontificalis præscripto et ratione, teneri, nemine mque ex iis, quibus ea exercendi, et faciendi manus impositum est, nisi formulis, quæ hoc ipso Pontificali continentur, servatis satisfacere posse.

Omnibus igitur et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et cæteris Ecclesiarum Prælatis, necnon aliis quibuscumque Personis Ecclesiasticis, sæcularibus et regularibus utriusque sexus ad quas id spectat, præcipimus et mandamus, ut omissis, quæ sic suppressimus et abolevimus, cæteris omnibus Pontificalibus, hoc Nostrum in suis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, Militiis, Diœcesibus, et locis prædictis recipiant, illoque posthac perpetuo utantur. Cæterum ut præsentes litteræ omnibus plenius innotescant, mandamus illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, et Cancellariæ Apostolicæ, et in acie Campi Floræ publicari, earumque exemplar de mori affigi.

Volumusque præterea, et motu atque auctoritate similibus decernimus, ut qui in Romana Curia sunt præsentes, lapsis duobus mensibus; qui vero intra Montes, octo: et qui ultra ubique locorum degunt, duodecim integre excursis, vel alias ubi venalium hujus Pontificalis voluminum notitiam et facultatem habuerint, sacras cæremonias et ritus in eodem Pontificali præscriptos, juxta illius modum et normam, in quibuscumque actibus exercere, et observare teneantur.

Ipsarum autem litterarum exempla, manu Notarii publici, et sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ; aut illius Curiæ obsignata, vel in ipsis voluminibus,

absque prædicto, vel alio quopiam adminiculo Romæ impressa, eam ubique locorum et gentium fidem faciant, quam præsentes facerent si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die x. Februarii M. D. XCVI. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

Ac laudatus URBANUS VIII. *ad perpetuam rei memoriam.* Quamvis alias fel. recor. Clemens Papa Octavus Prædecessor Noster, Pontificale Romanum tunc multis et non levibus erroribus scatens, piorum atque insignium virorum in Pontificalibus cæremoniis et ritibus versatorum opera undequaque corrigi et restitui curaverit: attamen successu temporis compertum est, plurimos errores denuo in Pontificale hujusmodi Typographorum inscitia, seu incuria, aliave de causa irrepsisse.

Unde curæ nostræ Pastoralis esse rati sumus, ad novam ejusdem Pontificalis, quod Cæremoniarum et rituum quibus Catholici Antistites in suorum munerum functione uti debent, norma existit, correctionem animum appellere; idcirco, ut idem Pontificale denuo typis quam emendatissime auctoritate Nostra ederetur, emendationem errorum, qui in illud, ut præfertur, irrepserunt, nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, et aliis viris doctrina et pietate conspicuis, Pontificalium Cæremoniarum et rituum peritis, commisimus, quorum opera cum Pontificale prædictum ab omnibus, quibus scatebat, mendis et erroribus accuratissime repurgatum fuerit. Nos, ne tam exacta Cardinalium, et aliorum prædictorum hac in re industria et diligentia optato frustretur effectu, mandavimus dilecto filio Andreæ Brogiotto, Typographiæ Nostræ Apostolicæ Præfecto, procurationem emendati Pontificalis hujusmodi elegantibus typis, et insigni forma in lucem edendi: quod exemplar, qui posthac Pontificale Romanum impresseriut, sequi omnes teneantur.

Extra Urbem vero nemini licere volumus idem Pontificale in posterum typis excudere, aut evulgare, nisi facultate in scriptis accepta ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, siquidem inibi fuerint, sin minus, ab locorum Ordinariis.

Quod si quis quacumque forma contra præscriptum hoc Pontificale Romanum, aut Typographus impresserit, aut noviter impressum Bibliopola vendiderit, extra ditionem Nostram Ecclesiasticam excommunicationis latæ sententiæ pœna subjaceant, a qua, nisi a Romano Pontifice præterquam in

mortis articulo constituti absolvi nequeant; in alma vero Urbe, ac reliquo statu Ecclesiastico commorantes, quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum et Typorum omnium eidem Cameræ applicandorum pœnas, absque alia declaratione, irremissibiliter incurrant; et nihilominus Pontificalia sine prædicta facultate impressa aut evulgata, eo ipso prohibita censeantur.

Inquisitores vero, locorumque Ordinarii facultatem hujusmodi non prius concedant, quam Pontificale tam ante, quam post impressionem cum hoc ipso exemplari auctoritate Nostra vulgato diligenter contulerint, et nihil in iis additum detractumque cognoverint: in ipsa autem facultate, cujus exemplum in fine, aut initio cujuscumque Pontificalis impressum semper addatur, mentionem manu propria faciant absolute hujusmodi collationis, repertæque inter utrumque Pontificale conformationis; sub pœna inquisitoribus privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda; Ordinariis vero locorum, suspensionis a Divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiæ; eorum vero Vicariis privationis officiorum et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, necnon excommunicationis absque alia declaratione incurrendæ. Injungimus autem Nuntiis Nostris ubique locorum degentibus, ut huic negotio diligenter invigilent, cunctaque ad præscriptum hujus voluntatis Nostræ confici curent.

Non obstantibus licentiis, indultis, et privilegiis Pontificalia imprimendi quibuscumque Typographis per Nos, seu Romanos Pontifices Prædecessores Nostros hucusque concessis, quæ per præsentes expresse revocamus, et revocata esse volumus: necnon constitutionibus, et ordinationibus generalibus et specialibus in contrarium præmissorum quomodocumque editis, confirmatis, et approbatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa mentio habenda esset, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut præsentium litterarum Nostrarum exemplaribus, etiam in ipsis Pontificalibus impressis, vel manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii. Junii MDCXLIV. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo primo.

M. A. MARALDUS.

Quoniam autem Nos pro paterna charitate vehementer cupientes, ut Christi fidelibus in articulo mortis constitutis, quoad fieri posset, universis Apostolica Benedictio Nostro nomine impertiretur, et Plenaria omnium peccatorum suorum Indulgentia elargiretur, per alias Nostras sub plumbo litteras anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVII. Nonis Aprilis Pontificatus Nostri Anno Septimo datas omnibus Ecclesiarum Antistitibus hujusmodi facultatem sub certis modo et forma espressam tribuimus, atque insimul formulam Benedictionis et Indulgentiæ hujusmodi dandæ præscripsimus; quemadmodum Encyclicam etiam Nostram Epistolam die xix. mensis Martii Anno MDCCXLIV. ad dilectos filios Generales Ordinum Regularium, quibus a Sancta Sede indulta vel indulgendà erat facultas Pontificiam Benedictionem effundendi super Populum statis diebus, scripseramus super modo et ritu, quibus prædicta Benedictio danda est.

Præterea ad nonnullas lites et controversias exortas e medio tollendas itidem per alias Nostras in simili forma Brevis litteras confirmaveramus leges et instituta super Cæremonialia jussu Nostro edita pro Provinciarum Præsidibus, Gubernatoribus, Prælatis, et Apostolicis Vicelegatis, quæ sunt tenoris sequentis.

Omittitur Bulla Benedicti XIV. incip. Quod Apostolus, *de Cæremoniali disserens.*

SEQUITUR PRÆSENS BULLA.

Insuper formulam itidem Benedictionis, et Traditionis Pallii ac jurisjurandi a Procuratoribus absentium Archiepiscoporum, antequam a dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Diacono idem Pallium accipiant, ipsorum Archiepiscoporum nomine præstandi per Nostram Constitutionem die xii. Mensis Augusti anno MDCCXLVIII. sub plumbo expeditam statuimus.

Porro accedit ad hæc methodus quoque Scholæ Sacrorum Rituum in Gregoriano Collegio Romano hujus almæ Urbis nostræ Nobis approbantibus institutæ non sine uberi per hoc tempus in sacris Ritibus addiscendis profectu, aliarumque ad instar ejusdem Scholae, alibi jam erectarum, vel erigendarum: quæ methodus multis in libris, et præcipue in decimo operum Nostrorum Volumine Romanæ editionis reperitur inserta, plurimumque a Nobis commendatur, eamque plurimum studiosis Sacrorum Rituum prodesse compertum est.

Ea propter cum Nobis a quamplurimis supplicatum fuerit,

ut Typis iterum reimprimendi Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum, et Pontificale Romanum hujusmodi, et non solum in iisdem antedicta omnia a Nobis statuta addendi, verum etiam Nostro jussu in lucem emittendi, licentiam de Apostolica benignitate et auctoritate concedere et indulgere dignaremur: Nos itaque probe scientes, et experientia edocti quantum prosit, ut in uno volumine simul collecta ad manus sint ea omnia, quæ sparsim ac divisim impressæ, inveniuntur, et considerantes quantam hujusmodi collectio utilitatem memoratæ Scholæ Liturgicæ in Collegio Societatis Jesu ejusdem almæ Urbis Nostræ a Nobis institutæ, aliisque ubique locorum erectis afferre possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium communibus tot insignium Virorum ac Præsulum votis, et supplicationibus benigne annuentes, facultatem tribuimus et impartimur, ut Rituale Romanum, Cæremoniale Episcoporum, ac Pontificale Romanum sub iisdem modo et forma, quibus de præsenti impressa reperiuntur, et usui sunt, una simul cum omnibus et singulis, quæ, ut superius relatum est, a Nobis præscripta, ordinata, et publici etiam juris facta sunt, necnon cum sæpe dicta methodo Scholæ Sacrorum Rituum in Operibus Nostris jam editis inserta jussu Nostro, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, Typis reimprimantur, et in lucem emittantur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die xxv. Martii Anno MDCCLII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

CAJETANUS AMATUS.

AD LECTOREM

DE RECUSO PONTIFICALI.

Vos ò Pontifices, vos ò sacra nomina mystæ,
Atque Sacerdotes, vario quos ordine Divûm
Mancipat obsequiis ultro jurata voluntas:
Quos votum, exortisque ligat pia regula vitæ,
Huc animum, huc oculos. Vobis huic sancta laborat
Religio, et Latii sancit decreta Senatus,
Multa docens, et quos præscribit Romula ritus
Insula, et antiquum templorum insistere morem.
Vos decet, officii quoscumque sacrata professi
Secta vocat, Sanctas animum informare per artes,
Atque vices Sacrorum, et debita munera templis,
Ac sibi præscriptam populis impendere curam;
Illic cuncta patent, seu vos præscribere munus,
Seu præstare juvat. Jam primo in limine libri
Rore sacro Puerum, et ligni sudantis olivo
Præsul, et inscriptam perducit Chrismate frontem,
Invictumque animum, obnixamque in prælia præstat
Cuncta fidem. Post hæc majores inserit annos
Ordinibus: tonsis illos ad prima capillis
Templa vovens: alios, si sani janua poscit
Excubias, sacrisve vocat pia cura legendis:
Sive truces Genios, et conjurata nocentum
Agmina possetis lustrali carmine membris
Exturbare opus est, cerâve liquente coruscas
Ferre faces, et pendentes accendere lychnos.
Sunt et quos jam prima gradus ad munera poscunt
Magna ministeria et ritus præstare potentes;
Inter sacra Deûm, circumque altaria stantes,
Dum sacros latices, et mystica liba Sacerdos
Immolat, atque suo sistit se victima Patri
Filius; Aligeris nunquam ò concessa potestas
Cælitibus; nec quos gentis primæva Parentes
Sæcla tulere alias, quamvis de sanguine claro
Abramidum, et regnatoris simulacra futuri.
Jamque suum jus omne, potestatemque regendi
Conferet, unanimi si quem suffragia voto
Optavere sibi, populisque præesse tuendis
Pontificem; longum solemne stabit ad aras
Multa precans, sacroque caput lustrabit olivo,

Et pastorali gemma donabit et auro.
Connubio jungens stabili, sponsæque dicabit
Jam proprium. Seu tum Tarpejo a Præsule munus
Rarum, augustum, ingens, humerosque ac pectora circum
Pallia ritè dabit. Nunc quos exercita virtus
Cœnobii, tonsæque vocat custodia gentis,
Multa super votis, super officioque fideli
Multa monens, manibus capiti bene fausta precatur
Impositis, mitræque etiam facit esse potentem;
Seu quas virgineis Matres imponere septis
Est opus, optantique datur Antistita turba.
Inde novum molitur opus, solemnia Regum
Auspicia, et primos templis attollere faces.
Ecce gravi Rex incessu procedit, et aras
Suppliciter veuerans regno sua jura pacisci,
Constantesque animos in religione Piorum
Annuit, atque humeros oleo dextramque perunctus
Accipit oblatum Mystis cingentibus ensem,
Et sceptri decus, et radiantia tempora circum,
Imperii specimen, gemmeo diademata textu.
Jam cum prima novo signant fundamina templo,
Attolluntque Crucem, sacrata in veste Sacerdos
Spargens rore levi, sacræque aspergine lymphæ
Lustrabitque locum, fundetque precantia vota,
Ac silicem inscriptum faustis pro more sequetur
Omnibus, stabilemque petet per sæcula sedem.
Sed cum delubri se jam fastigia cælo
Extulerint, digna Deo domus auspice stabit,
Quid memorem rursus longo celebrata paratu
Prima loci auspicia, et solemne ordine ritus,
Jejunasque preces, olei, et libamina sacri,
Et super aurato lucentes stipite ceras,
Inspersosque solo cineres, inscriptaque signa,
Præsul ubi arcanas voces, tacitosque precatus
Fundit humi incumbens, ac verba potentia dicit?
Idem corporibus terram designat humandis,
Constituitque Cruces, triplicemque in vertice figit
Hinc atque inde facem; nebulam fumantis acerræ
Interea, Arabiumque focis adolebit odorem.
At cum templa scelus, saevique licentia ferri
Polluit impulsu tetro, furrisque nefandæ
Tisiphones, cessitque animo reverentia Divûm;
Concipit ille preces, offensaque numina terris
Conciliat, redditque sacræ sua munia sedi,

Atque profanatos delubro instaurat honores.
Nunc aureos Calices, et gemmea vasa dicabit
Usum in Sacrorum et nostris gestamina Mystis:
Et vestes auro rigidas ac linea texta,
Puraque sternendis mantilia devovet aris;
Auratasque cruces, simulacraque sancta Deorum
Spargens rore super: nec non quæ pendula summis
Turribus æra sonant, queis dat Campania nomen,
Nolaque Paulino quondam sub præsule felix:
Telaque in infidos vibranda potentiùs hostes
Et clypeum et loricam hamis auroque trilicem:
Sicubi vel gentes stimulis cælestibus actas
Isacidum tractus, Solymamque reposcere bello,
Atque Saracenam Syrio de limite pestem
Exturbare procul pelagi trans æquora suasit
Religionis amor; tunc aurea segmina textu
Quadrifido, insutamque humeros ac pectora circum
Multa crucem precibus, nec non lustralibus undis
Prosequitur, lætosque vovet post bella triumphos.
Elataque manu candentia signa coruscans
Mittit in infidos Superis præeuntibus hostes
Et certam fausto jam concipit omine palmam.
Sed neque, qui superest, pigeat decurrere campum.
En tibi suggestu Præsul sublimis ab alto
Usque recurrentes fastos sacrosque quotannis
Evulgare dies, cœtu auscultante Piorum,
Ingreditur; seu quo Jejunia tempore nobis
Esuriem indicunt, totasque adsistere luces
Impransos, donec pronos in cærula currus
Sol invergit, et emerito nox ingruit orbi;
Seu qua luce redux ad vita lumina Christus
Mærentes socios, orbumque reviset ovile.
Quid cum justa reos damnante Antistite fontes
Pœna premit, clausique gemunt ad limina templi
Mœsta cohors, scelerum dum longa piacula solvunt,
Impositos Cilicum textus, setasque rigentes
Tergemino nexu, et nodosa cannabe cincti;
Dum rursum admissis sacra ad communia Præsul
Defletam eximit perfecto tempore labem
Supplicibus, cunctaque animos a sorde piavit.
Hinc disces quo more oleum mortalibus ægris
Ante parat; seu forte aliquis natalibus undis
Lustrandus primi sistit se ad limina templi:
Seu jam tinctus aquis, interque adscriptus amicos

Christiadum cœtus firmari ad cuncta rogabit
Dura fidem, sacri ceromatis unguine frontem.
Et signo crucis inscriptus. Post agmina Præsul
Longa Sacerdotum, magnis conventibus actis
Cogit, et officii cunctos præscripta tuendi.
Multa monens; iterumque iterumque hortantibus ambit,
Aut cessatores urgens ad pensa ministros,
Ignavosque docens. Sed jam quo crimina ritu,
Punirique reos leges sanxere sacrorum,
Perlege: sive malos sacri, communibus arcent,
Officiique vices certis cessare diebus
Præcipiunt, et Mysta gradu periturus ab alto
Dejicitur, sacrique gerens insignia cultus.
Paulatim ereptas vestes, ac tegmina membris
Exuit infelix, tota et traducitur urbe.
Cætera quid memorem, cum Præsul, ovilia primum
Et populos (si cura recens commissa reposcet)
Lætus adit, primos Cleri excepturus honores;
Seu cum Romulea longe legatur ab urbe
Purpurea de gente aliquis, populosque remotos,
Quis procul innumeris circumerrat flexibus ingens
Sequana, Parisiasque subit solemnibus arces
Auspiciis, vel quos diti Tagus ambit arena
Vistulave, et longis tendit qua Sarmata campis:
Aut ubi rex fluviorum haud uno nomine notus
Ister in Arctoum præceps evolvitur æquor,
Regna per et Latio fidos sub Præsule fines,
Queis non religio fallax, promptumque novandi
Ingenium ritus animis excussit avorum.
Hinc et scire licet, Reges cum templa subibunt,
Imperiique potens se magnam Augustus ad urbem
Sistet ovans, prope Theutonico comitante Senatu:
Aut Proceres, aut magnanimo de sanguine Regum
Fœmina pilentis Divorum in mollibus ædes
Accedet venerans, quantas sacer ordo paratus
Molitur, qualique præit solemnia pompa
Obvius Antistes cœtu stipante suorum.
Vade liber numquam simili procedere cultu
Ante datum: te cinnabari minioque rubentem
Lætius, et leges ornat Rubrica sacratas:
Exigua tu magnarum compendia rerum
Molle capis, quali nunquam retro ante vel usu,
Vel studio, supraque notis inscripta legendi
Præscribit vox quæque modum, quem longa tenorem

Exigit, utque brevis celeri se syllaba flatu
Proripit accelerans, se subducitque legenti.
At te quis meritum, curis pro talibus ornet
Laudibus, aut dignos nam quæ tibi gratia plausu
Rite ferat cujus studiis ingentibus olim
Ordo sacerdotum mores insistit avitos
Sanctius, et cunctis orandi pensa diebus
Noster inoffenso decurrit tramite Clerus?
Nunc et Pontifices curis insignibus ipso
Obstrinxisse juvat, quorum solemnia sacra,
Auspice te, retractat opus, propriosque Tiara,
Te curante, vices cultu meliore tuentur.



PONTIFICALIS

PARS PRIMA.

DE CONFIRMANDIS.

Pontifex, infantes, pueros, vel alios sacri baptismatis unda perfusos, confirmare volens, paratus supra rochetum, vel (si sit Regularis) supra superpelliceum, amictu, stola, pluviali albi coloris, et mitra, accedit ad faldistorium ante medium altaris, aut in alio convenienti loco sibi paratum; et in eo sedens, renibus altari, et facie populo versis, baculum Pastoralem in sinistra tenens, populum coram se stantem admonet, quod nullus alius, nisi solus Episcopus, Confirmationis ordinarius minister est.

Nullus confirmatus debet reconfirmari.

Nullus, qui non sit confirmatus, potest esse in confirmatione patrinus; nec pater, aut mater, maritus, aut uxor.

Nullus excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut Christianæ fidei rudimentis non edoctus, ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum confirmandum.

Adulti deberent prius peccata confiteri, et postea confirmari; vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur.

Hoc Sacramento contrahitur spiritualis cognatio, impediens matrimonium contrahendum, et dirimens jam contractum; quæ cognatio confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egreditur.

Nullus præsentet nisi unum, aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi.

Confirmandi deberent esse jejuni.

Confirmato debet ligari frons, et sic manere quousque Chrisma desiccetur, vel extergatur.

Proinde unusquisque confirmandus portet lineam vittam mundam, cum qua ligetur caput.

Nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam Pontifex post omnium confirmationem dabit.

Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris. Adulti vero, seu alii majores, ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui. Et

ideo, neque masculi fæminis patrini, neque fæminæ masculis matrinæ esse deberent.

Quibus per ordinem ante Pontificem dispositis, Pontifex sedens lavat manus; deinde deposita mitra surgit, et stans versa facie ad confirmandos, junctis ante pectus manibus, confirmandis genua flectentibus, et manus ante pectus junctas tenentibus, dicit:

Spiritus Sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis. ℟. Amen.

Deinde signans se manu dextra a fronte ad pectus signo Crucis, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Tunc extensis versus confirmandos manibus, dicit:

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu Sancto; quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de cælis. ℟. Amen.
Spiritum sapientiæ et intellectus. ℟. Amen.
Spiritum consilii et fortitudinis. ℟. Amen.
Spiritum scientiæ et pietatis. ℟. Amen.
Adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo Cru ✠ cis Christi, in vitam propitiatus æternam. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Pontifex sedens super faldistorium prædictum, vel etiam, si multitudo confirmandorum id exegerit, dispositis illis per ordinem super gradus presbyterii, vel alibi, Pontifex stans cum mitra, illos confirmat per ordinem genuflexos, et uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur; et sic usque in finem. Et Pontifex inquirit sigillatim de nomine cujuslibet confirmandi, sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus præsentati, et summitate pollicis dexteræ manus Chrismate intincta, dicit:

N. Signo te signo Cru ✠ cis: quod dum dicit, producit pollice signum Crucis in frontem illius; deinde prosequitur:
Et confirmo te Chrismate salutis: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Deinde leviter eum in maxilla cædit, dicens: **Pax tecum.**

Omnibus confirmatis, Pontifex tergit cum mica panis, et lavat pollicem et manus super pelvim.

Deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii. Interim dum lavat manus, cantatur sequens Antiphona, vel legitur a Ministris; quod etiam in similibus servari debet.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Gloria Patri, etc.

℟. Sicut erat, etc. Deinde repetitur Antiph. ton. 8. **Confirma hoc Deus.** Qua repetita, Pontifex deposita mitra surgit, et stans versus ad altare, junctis ante pectus manibus, dicit:

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde junctis adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genua flectentibus, dicit:

Oremus.

DEus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, et per eos, eorumque successores, ceteris fidelibus tradendum esse voluisti: respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum; et præsta, ut eorum corda, quorum frontes sacro Chrismate delinivimus, et signo sanctæ Crucis signavimus, idem Spiritus Sanctus in eis superveniens, templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat: Qui cum Patre et eodem Spiritu Sancto vivis et regnas Deus; in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde dicit:

ECce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum.

Et vertens se ad confirmatos, faciens super eos signum Crucis, dicit:

BEne ✠ dicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ, et habeatis vitam æternam. ℟. Amen.

Expedita itaque Confirmatione, Pontifex sedens, accepta mitra, patrinis, et matrinis annuntiat, quod instruant filios suos bonis moribus, quod fugiant mala, et faciant bona, et doceant eos, **Credo in Deum**, et **Pater noster**, et **Ave Maria**: quoniam ad hoc sunt obligati.

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter quocumque die, hora, et loco, et causa ad arbitrium Episcopi.

DE ORDINIBUS CONFERENDIS.

QUando Episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem a Sacerdotibus, et aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in Ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter investiget et examinet.

Nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi, non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi, sed dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur.

Prima Tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse.

Ad minores Ordines promovendi bonum a Parocho, et a magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, et vita a fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.

Minores ordines iis, qui saltem Latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videretur, conferantur; ut eo accuratius, quantum sit hujus disciplinæ pondus, possint edoceri; ac in unoquoque munere, juxta præscriptum Episcopi, se exerceant; idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesia (nisi forte ex causa studiorum absint); atque ita de gradu in gradum ascen-

dant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, et doctrina major accrescat. Quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga Presbyteros et superiores Ordines reverentia, et crebrior, quam antea, Corporis Christi Communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, et sacratissima mysteria sit ingressus; nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat. Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum, ad sacros Ordines promoveantur: nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.

Subdiaconi, et Diaconi ordinentur, habentes bonum testimonium, et in minoribus Ordinibus jam probati, ac litteris, et iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi. Qui sperent, Deo auctore, se continere posse; Ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant; sciantque maxime decere, si saltem diebus Dominicis et solemnibus, cum altari ministraverint, sacram Communionem perceperint. Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum (nisi aliud Episcopo videatur) ascendere non permittantur. Duo sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur.

Qui pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, et ad Presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium; et hi sint, qui non modo in Diaconatu, ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint; sed etiam ad populum docendum, ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur; atque ita pietate, et castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, et vitæ monita ab eis possint expectari.

Illegitimi sine dispensatione Apostolica, ad sacros Ordines promoveri non possunt; ad minores tamen possunt ex dispensatione sui Episcopi ordinari: neque etiam furiosi, amentes, servi, homicidæ, irregulares, insigni corporis vitio deformes, aut manci ordinari possunt.

Examinentur de Ordine, in quo sunt constituti, et quando, et a quo illum receperunt.

Clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, et ætate, ad sacros Ordines non promoveatur, nisi prius legitime constet, eum, beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione,

quod ad illius beneficii titulum sit promotus ; neque ea resignatio admittatur , nisi constito , quod aliunde vivere commode possit , et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero , vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint , nisi illi , quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum , eo quoque prius perspecto , patrimonium illud , vel pensionem vere ab eis obtineri , taliaque esse , quæ eis ad vitam sustentandam satis sint : atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui , vel remitti nullatenus possint , donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti , vel aliunde habeant , unde vivere possint.

Advertat diligenter Pontifex , cum Ordines confert , ne in expressione formarum , vel collatione instrumentorum ipsorum Ordinum deficiat ; frequenter Pontificale respiciat , et mature procedat. Moneat ordinandos , quod instrumenta , quibus character imprimitur , tangant. Secretas morose dicat , ut ordinati ad Sacerdotium possint illas cum eo dicere : debent enim ex consuetudine concelebrare , et etiam verba consecrationis proferre.

Tempora ordinationum sunt : Sabbata in omnibus Quatuor Temporibus , Sabbatum ante Dominicam de Passione , et Sabbatum sanctum.

Clericatus , seu prima Tonsura , quocumque die , hora , et loco conferri potest.

Minores vero Ordines possunt dari singulis Dominicis , et festivis diebus duplicibus , ubicumque , in mane tamen.

Ordinandi omnes debent in Ecclesia se præsentare cum tonsura , habitu , et paramentis Ordini suo convenientibus , et candelis in manu accensis. Et cum a Notario Episcopi nominati fuerint , respondeant , **Adsum** ; et accedant ad locum ordinationis , secundum ordinem descriptionis.

Advertat quoque Pontifex , quod si unus tantum sit per eum ad quemcumque Ordinem promovendus , illum admoneat, et alloquatur , non in plurali , ut textus dicit , sed in singulari.

In Sabbatis Quatuor Temporum , in quibus fiunt ordinationes generales , Tonsuræ fieri debent post Kyrie eleison. Deinde , dicta prima lectione , ordinantur Ostiarii. Post secundam lectionem , Lectores. Post tertiam , Exorcistæ. Post quartam , Acolythi. Post quintam , Subdiaconi. Finita Epistola , Diaconi. Et demum ante ultimum versum Tractus , vel , infra Octavam Pentecostes , ante ultimum versum Sequentiæ , ordinantur Presbyteri.

Si ordinationes fiant in Sabbato ante Dominicam de Passione, quia unica tantum dicitur lectio, Tonsuræ debent fieri immediate post Introitum. Omnes minores Ordines post Kyrie eleison. Subdiaconi immediate post Collectam. Diaconi post Epistolam. Presbyteri ante ultimum versum Tractus.

Idem servetur, quandocumque dantur Ordines sacri extra Tempora, ex dispensatione Apostolica. Quod si fiat inter Pascha, et Pentecosten, Presbyteri ordinantur ante ultimum ℣. Si inter Pentecosten et Septuagesimam, ordinantur ante ℣. Alleluja. Et antequam ad collationem Ordinum procedatur, legitur mandatum Apostolicum, sive supplicatio, cujus vigore Pontifici facultas conceditur ordinandi: quibus lectis, dicit Pontifex, Deo gratias, et ad ordinationem procedit.

Si vero Sabbato sancto ordinationes fiant, Officium incipitur a prima prophetia, et continuatur, prout in ordinario, usque ad Litanias inclusive: in quibus, dicto, Ut omnibus fidelibus, etc. surgit ab accubitu Pontifex, et conversus ad Ordinandos, eos benedicit, prout post Litanias infra ponitur. Deinde perficiuntur Litaniæ; et Pontifex facit Confessionem, et dicto Kyrie eleison, pro Missa, ordinat ad primam Tonsuram. Tum dicit, Gloria in excelsis Deo, etc. quo dicto, ordinat ad quatuor minores Ordines. Deinde dicit orationem ordinariam cum alia pro Ordinandis: quibus dictis, ordinat ad Subdiaconatum. Tum dicitur Epistola, et ea dicta, ordinat Diaconos. Dicitur deinde Alleluja, cum suo versu, et prima pars Tractus; quibus dictis, ordinat Presbyteros: post quorum ordinationem dicitur versus Tractus, Evangelium, et alia, prout in ordinario.

Quando autem Pontifex extra Missarum solemnia est promoturus aliquos ad primam Tonsuram, vel ad quatuor minores Ordines, sufficit quod habeat stolam supra rochetum, vel supra superpelliceum (si sit Regularis) et mitram simplicem. Cum autem est celebraturus pro sacris Ordinibus conferendis, habere debet sandalia, et omnia paramenta Pontificalia, et dicere Psalmum, Quam dilecta, etc.

Ordinationes sacrorum Ordinum, statutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis, publice celebrentur; si autem in alio diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur.

Cum igitur ordinationes faciendæ sunt, per Sacristam, seu alium, ad quem spectat, præparantur omnia, quæ necessaria sunt pro Missa Pontificali. Et demum, cum tempus ordinationis instat, hora competenti, Pontifex cappa magna indu-

tus, Capellano illam post eum deferente, venit ad Ecclesiam, ubi ordinationes fieri debent; et accedens ante altare, genuflexus ibidem aliquandiu orat. Deinde vadit ad sedem, ubi paramenta capere consuevit; vel, si non sit in Ecclesia sua, ad faldistorium, ad cornu Epistolæ sibi paratum, ubi sedens accipit omnia paramenta Pontificalia coloris tempori convenientis, et mitram simplicem, dicens Psalmum, Quam dilecta, etc.

Pontifex sic paratus, baculum Pastoralem in sinistra tenens, accedit ad gradus altaris, ubi depositis baculo et mitra, facta altari reverentia cum profunda capitis inclinatione, facit cum Ministris Confessionem. Interim cantatur a choro Introitus, et Kyrie eleison. Finita Confessione, Pontifex ascendit ad altare, illud in medio osculatur, et textum Evangelii ad sinistram: incensat altare more solito, resumit mitram, et revertitur ad sedem, seu ad faldistorium, ad cornu Epistolæ; ubi deposita mitra, et versa facie ad altare, oblato sibi per ministrum libro, ex eo legit Introitum, et Kyrie eleison: quibus dictis, sedet cum mitra, donec perficiatur a choro ultimum Kyrie eleison. Quo finito, surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium, ante medium altaris sibi præparatum, accedit, et in illo sedet, renibus altari versis. Tum Archidiaconus vocat omnes Ordinandos, dicens: Accedant omnes qui ordinandi sunt. Quibus ante altare coram Pontifice genuflexis, et in modum coronæ dispositis, Archidiaconus publice interrogat omnes, si sint aliqui, qui forte non sint confirmati: quia non debent ad ordinationem accedere, nisi prius confirmentur. Et si aliqui confirmandi erunt, tunc depositis Pontifex annulis et chirothecis, lavat manus, reassumit annulos, et confirmat, prout habetur supra folio secundo; vel si non erunt aliqui confirmandi, palam interdicit per unum ex suis, sub his verbis:

Reverendissimus in Christo Pater, et Dominus, Dominus N. Dei et Apostolicæ sedis gratia Episcopus N. sub excommunicationis pœna præcipit et mandat omnibus et singulis, pro suscipiendis Ordinibus hic præsentibus, ne quis forsan eorum irregularis, aut alias a jure, vel ab homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a jure prohibitus, sive ex aliena diœcesi oriundus, sine licentia sui Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus, et nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere. Et quod nullus ex ordinatis discedat, nisi Missa finita, et benedictione Pontificis accepta.

Demum ad ordinationem procedat.

DE CLERICIS FACIENDIS.

Clericus fieri potest etiam extra Missarum solemnia quocumque die, hora, loco.

Pro Clericis ordinandis parentur forfices pro incidendis capillis, et bacile pro illis imponendis. Et quilibet Ordinandorum habere debet suum superpelliceum super brachium sinistrum, et candelam in manu dextera. Et vocantur omnes tonsurandi nominatim et singillatim per Notarium, et quilibet respondet: Adsum.

Quibus ante altare coram Pontifice in faldistorio cum mitra sedente genuflexis, Pontifex surgit cum mitra, et dicit:

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

Oremus, fratres charissimi, Dominum nostrum Jesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum pro ejus amore festinant, ut donet eis Spiritum Sanctum, qui habitum religionis in eis in perpetuum conservet, et a mundi impedimento, ac sæculari desiderio corda eorum defendat: ut sicut immutantur in vultibus, ita dextera manus ejus virtutis tribuat eis incrementa, et ab omni cæcitate spirituali et humana oculos eorum aperiat, et lumen eis æternæ gratiæ concedat: Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Post hæc, sedente Pontifice, schola inchoat, et prosequitur Antiphonam, et Psalmum 8. ton.

Tu es Domine, qui restitues hæreditatem meam mihi.

Psalmus 15.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te: * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Repetitur tota Antiphona. Tu es Domine. Incepto Psalmo, Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitates capillo-

rum in quatuor locis, videlicet: in fronte, in occipitio, et ad utramque aurem: deinde in medio capitis aliquot crines capillorum, et in bacile deponit; et quilibet, cum tondetur, dicit:

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

Omnibus tonsis, mitra deposita, surgit Pontifex, et stans versus ad illos, dicit:

Oremus.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut hi famuli tui, quorum hodie comas capitum pro amore divino deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneant: et eos sine macula in sempiternum custodias. Per Christum Dominum nostrum.

℟. **Amen.**

Tunc schola inchoat, et prosequitur Antiphonam sequentem. Qua incæpta, Pontifex sedet cum mitra. Antiphona 7. ton.

Hi accipient benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Psalmus 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde: * quis non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri, et Filio, * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde repetitur tota Antiphona, Ili accipient, etc.
Qua finita, surgit sine mitra Pontifex, et ad altare conversus, dicit:
Oremus. Et Ministri dicunt:
Flectamus genua. ℟. Levate.
Et mox ad tonsos genuflexos versus Pontifex, dicit:

ADesto, Domine, supplicationibus nostris; et hos famulos tuos bene ✠ dicere dignare, quibus in tuo sancto nomine habitum sacræ religionis imponimus; ut, te largiente, et devoti in Ecclesia tua persistere, et vitam percipere mereantur æternam: Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc Pontifex sedet cum mitra, et accipiens in manu superpelliceum, dicit singulis:

INduat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia, et sanctitate veritatis.

Et mox imponit illud cuilibet, repetendo, Induat te, etc. Immittens usque ad scapulas, et immediate trahens, si unum tantum sit superpelliceum; sicque facit usque ad ultimum, qui eo totaliter induitur: si vero quisque suum superpelliceum habeat, singuli totaliter induuntur. Quo expedito, sine mitra surgit Pontifex, et versus ad illos dicit: Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, propitiare peccatis nostris, et ab omni servitute sæcularis habitus hos famulos tuos emunda: ut, dum ignominiam sæcularis habitus deponunt, tua semper in ævum gratia perfruantur: ut sicut similitudinem coronæ tuæ eos gestare facimus in capitibus, sic tua virtute hæreditatem subsequi mereantur æternam in cordibus: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde sedet cum mitra Pontifex, et alloquitur eos sub his verbis:

FIlii charissimi, animadvertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiæ facti estis, et privilegia Clericalia sortiti estis. Cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis; et habitu honesto, bonisque moribus atque operibus Deo placere studeatis. Quod ipse vobis concedat per Spiritum Sanctum suum. ℟. Amen.

Tum, suggerente Archidiacono, Ordinati redeunt ad loca sua.

DE MINORIBUS
ORDINIBUS.

QUatuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia, diebus Dominicis, et Festis duplicibus; sed in mane tantum.

Ordinandi omnes ad quatuor minores Ordines esse debent superpelliceis induti, cum candela in manu dextera.

DE ORDINATIONE
OSTIARIORUM.

PRo Ostiariis ordinandis parentur claves Ecclesiæ. Pontifex, Clericis ordinatis, surgit, et cum mitra ad sedem, seu ad faldistorium ad cornu Epistolæ revertitur; ubi, diposita mitra, et ad altare conversus, oblato sibi libro, cantat primam Collectam; deinde sedet, reassumit mitram, et cantatur prima Lectio. Interim accedunt duo capellani, cum libro et candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra, ex eo legit lectionem ipsam. Quibus finitis, surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium ante medium altaris sibi præparatum proficiscitur, et in illo sedet renibus altari versis. Archidiaconus vocat ordinandos, dicens:

Accedant qui ordinandi sunt ad officium Ostiariorum.

Et mox Notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet: Adsum.

Omnibus in superpelliceis cum candelis in manibus coram Pontifice genuflexis, Pontifex admonet illos, dicens:

SUscepturi, filii charissimi, officium Ostiariorum, videte quæ in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam; aperire Ecclesiam et sacrarium; et librum aperire ei, qui prædicat. Providete igitur, ne per negligentiam vestram, illarum rerum, quæ intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat; certisque horis domum Dei aperiatis fidelibus; et semper claudatis infidelibus. Studete etiam, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperitis et clauditis; sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo, et aperiatis Deo: ut divina verba, quæ audierint, corde retineant, et opere compleant: Quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam.

Hæ admonitiones non fiunt Cardinalibus, neque electis Episcopis.

Deinde Pontifex accipit et tradit omnibus claves Ecclesiæ, quas successive manu dextera singuli tangant, Pontifice *dicente* :

SIc agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.

Post hæc Archidiaconus, sive alius Archidiaconi vice fungens, ducit eos ad ostium Ecclesiæ, et facit illos claudere, et aperire; tradit etiam eis funem campanarum, faciens eos campanas pulsare; deinde illos reducit ad Pontificem; quibus coram Pontifice genua flectentibus, stans cum mitra Pontifex versus ad ipsos ordinatos, dicit:

DEum Patrem omnipotentem, fratres charissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos bene ✠ dicere dignetur, quos in officium Ostiariorum eligere dignatus est: ut sit eis fidelissima cura in domo Dei diebus ac noctibus, ad distinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum, mitra deposita, stans Pontifex, et conversus ad altare, dicit: Oremus. Et ministri subjungunt:

Flectamus genua, ℣. Levate.

Et statim versus ad illos genuflexos, stans sine mitra, dicit:

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Ostiariorum: ut inter Janitores Ecclesiæ tuo pareant obsequio, et inter electos tuos partem tuæ mereantur habere mercedis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

DE ORDINATIONE

LECTORUM.

Pro Lectoribus ordinandis paretur liber Lectionum.

OStiariis ordinatis, Pontifex reassumpta mitra accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium a parte Epistolæ. Interim

cantatur primum Graduale, vel primum **Alleluja**, si sit infra Octavam Pentecostes: et Pontifex sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit dictum Graduale, vel **Alleluja**. Quibus dictis, surgit, deposita mitra, et versus ad altare cantat secundam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur secunda Lectio. Interim accedunt duo capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium ante medium altaris positum, ubi sedet cum mitra, et Lectores vocantur per Archidiaconum, hoc modo: **Accedant qui ordinandi sunt ad officium Lectorum.**

Et mox nominantur per Notarium, ut supra dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

ELecti filii charissimi, ut sitis Lectores in domo Dei nostri, officium vestrum agnoscite, et implete. Potens est enim Deus, ut augeat vobis gratiam perfectionis æternæ. Lectorem siquidem oportet legere ea quæ (vel ei qui) prædicat, et lectiones cantare, et benedicere panem, et omnes fructus novos. Studete igitur verba Dei, videlicet lectiones sacras, distincte et aperte ad intelligentiam et ædificationem fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum incuria vestra ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis; quatenus auditores vestros, verbo pariter et exemplo vestro docere possitis. Ideoque, dum legitis, in alto loco Ecclesiæ stetis, ut ab omnibus audiamini, et videamini figurantes positione corporali, vos in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audimini et videmini, cælestis vitæ formam præbeatis: Quod in vobis Deus impleat per gratiam suam.

Deinde Pontifex accipit, et tradit omnibus codicem, de quo lecturi sunt, quem manu dextera tangunt, dicens:

ACcipite, et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.

Quibus expeditis, et illis genuflexis, Pontifex stans cum mitra versus ad eos, dicit:

ORemus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos in Ordinem Lectorum dignatus est assumere, bene ✠ dictionem suam clementer effundat: quatenus distincte legant quæ in Ecclesia Dei legenda sunt; et eadem operibus impleant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum: Qui cum eo vivit et regnat

in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Tum Pontifex, mitra deposita, stans conversus ad altare, dicit: Oremus. Et ministri subjungunt: Flectamus genua.
℟. Levate.

Deinde conversus ad Ordinatos genuflexos, dicit, sine mitra.

Domine sancte, Pater omnipotens æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Lectorum; ut assiduitate lectionum instructi sint atque ordinati; et agenda dicant, et dicta opere impleant: ut in utroque sanctæ Ecclesiæ exemplo sanctitatis suæ consulant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Postea, suggerente Archidiacono, redeunt ordinati ad loca sua.

DE ORDINATIONE
EXORCISTARUM.

Pro Exorcistis ordinandis paretur liber exorcismorum, cujus loco dari potest Pontificale, vel Missale.

Lectoribus ordinatis, Pontifex reassumpta mitra accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra oblato sibi libro et candela, legit secundum Graduale, vel secundum Alleluja, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim cantatur a choro ipsum Graduale, vel Alleluja. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat tertiam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur tertia Lectio. Interim accedunt duo capellani cum Libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, revertitur ad faldistorium ante altare, et sedet cum mitra. Exorcistæ vero vocantur per Archidiaconum modo consueto, dicentem: Accedant qui ordinandi sunt ad Officium Exorcistarum.

Et ipsi singulatim nominantur per Notarium, ut prius dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

Ordinandi, filii charissimi, in officium Exorcistarum, debetis noscere quid suscipitis. Exorcistam etenim oportet abjicere dæmones; et dicere populo, ut, qui non communicat, det locum; et aquam in ministerio fundere. Accipitis

itaque potestatem imponendi manum super energumenos, et per impositionem manuum vestrarum, gratia Spiritus Sancti, et verbis exorcismi, pelluntur spiritus immundi a corporibus obsessis. Studete igitur, ut sicut a corporibus aliorum dæmones expellitis, ita a mentibus et corporibus vestris omnem immunditiam et nequitiam ejiciatis; ne illis succumbatis, quos ab aliis, vestro ministerio, effugatis. Discite per officium vestrum vitiis imperare; ne in moribus vestris aliquid sui juris inimicus valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis dæmonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam superatis. Quod vobis Dominus agere concedat per Spiritum suum Sanctum.

Post hæc Pontifex accipit, et tradit omnibus librum, in quo scripti sunt exorcismi: cujus loco tradi potest Pontificale, vel Missale, quem manu dextera tangunt, Pontifice dicente:

Accipite, et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.

Postea vero, omnibus devote genuflexis, Pontifex cum mitra stans, dicit:

Deum Patrem omnipotentem, fratres charissimi, supplices deprecemur, ut hos famulos suos bene ✠ dicere dignetur in officium Exorcistarum: ut sint spirituales imperatores, ad abjiciendos dæmones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi. Per Unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum: Qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum conversus ad altare, deposita mitra, dicit: Oremus. Et ministri subjungunt:

Flectamus genua. ℟. Levate.

Et mox conversus ad Ordinatos genuflexos, dicit:

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere digneris hos famulos tuos in officium Exorcistarum: ut per impositionem manuum, et oris officium, potestatem et imperium habeant spiritus immundos coercendi; ut probabiles sint medici Ecclesiæ tuæ, gratia curationum virtuteque cælesti confirmati. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

DE ORDINATIONE
ACOLYTHORUM.

Pro Acolythis ordinandis parentur candelabrum cum cereo extincto, et urceolus vacuus pro vino, pro Sacramento.

EXorcistis ordinatis, Pontifex reassumpta mitra accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit tertium Graduale, vel tertium Alleluja, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim a choro cantatur ipsum Graduale, vel Alleluja. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat quartam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur quarta Lectio. Interim accedunt duo capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium ante altare, ubi sedet cum mitra. Acolythi vero vocantur per Archidiaconum.

Accedant qui ordinandi sunt ad officium Acolythorum.

Et mox nominantur per Notarium, ut supra. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

SUscepturi, filii charissimi, officium Acolythorum, pensate quod suscipitis. Acolythum etenim oportet ceroferarium ferre; luminaria Ecclesiæ accendere; vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare. Studete igitur susceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus præferentes, operibus tenebrarum inserviatis, et per hoc aliis exempla perfidiæ præbeatis. Sed sicut Veritas dicit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Et sicut Apostolus Paulus ait: In medio nationis pravæ et perversæ, lucete sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes. Sint ergo lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, ut filii lucis sitis. Abjiciatis opera tenebrarum, et induamini arma lucis. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate. Quæ sit vero ista lux, quam tantopere inculcat Apostolus, ipse demonstrat, subdens: Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate. Estote igitur soliciti, in omni justitia, bonitate, et veritate, ut et vos, et alios, et Dei Ecclesiam illuminetis. Tunc etenim in Dei sacrificio

digne vinum suggeretis et aquam, si vos ipsi Deo sacrificium, per castam vitam, et bona opera oblati fueritis: Quod vobis Dominus concedat per misericordiam suam.

Post hæc Pontifex accipit, et tradit omnibus candelabrum cum candela extincta, quod successive manu dextera singuli tangant, Pontifice dicente:

ACcipite ceroferarium cum cereo, et sciatis, vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini. ℟. Amen.

Tunc accipit, et tradit eis urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens communiter omnibus:

ACcipite urceolum, ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini. ℟. Amen.

Postea, eis genuflexis permanentibus, Pontifex stans cum mitra versus ad eos, dicit:

DEum Patrem omnipotentem, fratres charissimi, suppliciter deprecemur, ut hos famulos suos bene ✠ dicere dignetur in Ordine Acolythorum; quatenus lumen visibile manibus præferentes, lumen quoque spirituale moribus præbeant: Adjuvante Domino nostro Jesu Christo: Qui cum eo et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Tum Pontifex ad altare se convertens, deposita mitra, stans dicit: Oremus. Et Ministri: Flectamus genua.

℟. Levate.

Et mox Pontifex conversus ad eosdem genuflexos, dicit:

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, et Apostolos ejus in hunc mundum lumen claritatis tuæ misisti; quique, ut mortis nostræ antiquum aboleres chirographum, gloriosissimæ illum Crucis vexillo affigi, ac sanguinem et aquam ex latere illius pro salute generis humani effluere voluisti: bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos in officium Acolythorum; ut ad accendendum lumen Ecclesiæ tuæ, et ad suggerendum vinum et aquam ad conficiendum Sanguinem Christi Filii tui in offerenda Eucharistia, sanctis altaribus tuis fideliter subministrent. Accende, Domine, mentes eorum et corda ad amorem gratiæ tuæ; ut illuminati vultu splendoris tui, fideliter tibi in sancta Ecclesia deserviant. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui ad Moysen et Aaron locutus es, ut accenderentur lucernæ in tabernaculo testimonii: bene ✠ dicere dignare hos

famulos tuos, ut sint Acolythi in Ecclesia tua. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, fons lucis, et origo bonitatis, qui per Jesum Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusque passionis mysterio redemisti: bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos, quos in officium Acolythorum consecramus, poscentes clementiam tuam, ut eorum mentes et lumine scientiæ illustres, et pietatis tuæ rore irriges; ut ita acceptum ministerium, te auxiliante, peragant, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereantur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc, suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua.

DE SACRIS ORDINIBUS

IN GENERE.

SAcri et majores Ordines sunt, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus: ad quos ordinati omnes debent communicare, ideo parentur pro eorum numero Hostiæ parvæ consecrandæ.

DE ORDINATIONE

SUBDIACONORUM.

Pro ordinatione Subdiaconorum parentur Calix vacuus cum Patena superposita, Urceoli cum manutergio, et liber Epistolarum.

ACOlythis ordinatis, Pontifex reassumpta mitra accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolæ; ubi sedens cum mitrà, oblato sibi libro et candela, legit quartum Graduale, vel quartum Alleluja, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim a choro cantatur ipsum Graduale, vel Alleluja. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat quintam Collectam.

Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur quinta Lectio. Interim accedunt duo capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis Pontifex revertitur ad sedem suam, ante medium altaris; et Archidiaconus versus ad Ordinandos, dicit:

Accedant qui ordinandi sunt Subdiaconi.

Et Notarius unumquemque illorum vocat, dicens:

N. Ad titulum Ecclesiæ N.

N. ad titulum patrimonii sui.

Frater N. professus Ordinis N. ad titulum paupertatis.

Et sic de aliis; et quilibet vocatus, dicit: Adsum, et accedit versus Episcopum.

Debet autem quilibet ordinandorum in Subdiaconum indutus esse amictu, non tamen super caput, alba, et cingulo, habere manipulum in manu sinistra, tunicellam super brachio sinistro, et candelam in manu dextera.

Omnibus autem in Subdiaconos ordinandis competenti spatio coram Pontifice stantibus, Pontifex cum mitra sedens admonet eos, (nisi omnes sint religiosi, quia tunc ista admonitio omittitur) dicens:

Filii dilectissimi, ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, iterum atque iterum considerare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus enim liberi estis, licetque vobis pro arbitrio ad sæcularia vota transire; quod si hunc Ordinem susceperitis, amplius non licebit a proposito resilire; sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari; et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit; atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatos. Proinde, dum tempus est, cogitate, et, si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini huc accedite.

Illis tunc accedentibus, et coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus vocat ceteros Ordinandos, dicens:

Accedant qui ordinandi sunt Diaconi, et Presbyteri.

Quibus accedentibus, Archidiaconus ordinat eos; videlicet, Diaconandos paratos amictu, alba, cingulo, et manipulo, stolam in manu sinistra, dalmaticam super brachium sinistrum, et candelam in manu dextera tenentes, contra cornu Epistolæ altaris, faciebus altari versis; et Presbyterandos paratos amictu, alba, cingulo, manipulo, stola in modum Diaconi, planetam super brachium sinistrum, mappulam albam manu sinistra, et candelam dextera tenentes contra faciem Pontificis, ac medium altaris, faciebus similiter altari versis. Quibus sic ordinatis, Pontifex mitram in capite tenens procumbit super faldistorium, in superiori gradu, sive plano altaris paratum, et omnes ordinandi in locis super tapetia prosternunt se; Ministri vero, et alij astantes genuflectunt; et schola inchoat Litanias, choro respondente: vel si officium fiat sine cantu, Pontifex dicit, Ministris et capellanis respondentibus.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, Orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines, orate
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate.
Sancti Joannes et Paule, orate.
Sancti Cosma et Damiane, orate.
Sancti Gervasi et Protasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.

Sancte Silvester,	ora.
Sancte Gregori,	ora.
Sancte Ambrosi,	ora.
Sancte Augustine,	ora.
Sancte Hieronyme,	ora.
Sancte Martine,	ora.
Sancte Nicolae,	ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores,	orate.
Omnes sancti Doctores,	orate.
Sancte Benedicte,	ora.
Sancte Antoni,	ora.
Sancte Bernarde,	ora.
Sancte Dominice,	ora.
Sancte Francisce,	ora.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitæ,	orate.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ,	orate.
Sancta Maria Magdalena,	ora.
Sancta Agatha,	ora.
Sancta Lucia,	ora.
Sancta Agnes,	ora.
Sancta Cæcilia,	ora.
Sancta Catharina,	ora.
Sancta Anastasia,	ora.
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ,	orate pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei,	Intercedite pro nobis.
Propitius esto,	Parce nobis Domine.
Propitius esto,	Exaudi nos Domine.
Ab omni malo,	Libera nos Domine.
Ab omni peccato,	Libera nos Domine.
Ab ira tua,	Libera nos Domine.
A subitanea et improvisa morte,	Libera nos Domine.
Ab insidiis diaboli,	Libera nos Domine.
Ab ira et odio et omni mala voluntate,	Libera nos Domine.
A spiritu fornicationis,	Libera nos Domine.
A fulgure et tempestate,	Libera nos Domine.
A morte perpetua,	Libera nos Domine.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ,	Libera nos Domine.
Per Adventum tuum,	Libera nos Domine.
Per Nativitatem tuam,	Libera nos Domine.
Per Baptismum et sanctum Jejunium tuum,	Libera nos Domine.
Per Crucem et Passionem tuam,	Libera nos Domine.
Per Mortem et Sepulturam tuam,	Libera nos Domine.
Per sanctam Resurrectionem tuam,	Libera nos Domine.
Per admirabilem Ascensionem tuam,	Libera nos Domine.

Per Adventum Spiritus Sancti Paracliti, Libera nos Domine.
In die Judicii, Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus audi nos.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut domnum Apostolicum et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Regibus et Principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut cuncto populo Christiano pacem et unitatem largiri digneris, Te rogamus audi nos.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut mentes nostras ad cælestia desideria erigas, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogamus audi nos.
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, Te rogamus audi nos.
Ut fructus terræ dare et conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos.
Hic datur Benedictio, sanctificatio, et consecratio per Pontificem rebus consecrandis, ut infra in locis propriis dicetur.
Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.
Fili Dei, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Postquam autem dictum fuerit in Litaniis,
Ut omnibus fidelibus defunctis, etc. ℟. Te rogamus audi nos,
Surgit Pontifex cum mitra ab accubitu, et se ad ordinandos vertens, et baculum pastoralem in sinistra manu tenens, Ordinandis prostratis manentibus dicit:
Ut hos electos bene ✠ dicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit :

Ut hos electos bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare digneris.
℟. Te rogamus audi nos.

Tertio dicit :

Ut hos electos bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris, ℟. Te rogamus audi nos.

Tum iterum super faldistorium procumbit, schola perficiente Litanias: Ut nos exaudire digneris, usque ad finem. Quibus finitis, Pontifex surgens cum mitra, sedet super faldistorium ante medium altaris, et Archidiaconus dicit alta voce :

Recedant in partem qui ordinandi sunt Diaconi et Presbyteri.

Quibus ad aliquem locum idoneum, unde Pontificem celebrantem videre possint, transeuntibus, ad ordinationem Subdiaconorum proceditur. Illis itaque coram Pontifice, per ordinem, in modum coronæ, genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

Adepturi, filii dilectissimi, officium Subdiaconatus, sedulo attendite, quale ministerium vobis traditur. Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris præparare; Diacono ministrare; pallas altaris et corporalia abluere; Calicem et Patenam in usum sacrificii eidem offerre. Oblationes, quæ veniunt in altare, panes propositionis vocantur. De ipsis oblationibus tantum debet in altare poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ, quæ sunt in substratorio altaris, in alio vase debent lavari, et in alio corporales pallæ. Ubi autem corporales pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari; ipsaque lotionis aqua in baptisterium debet vergi. Studete itaque, ut ista visibilia ministeria, quæ diximus, nitide et diligentissime complentes, invisibilia horum exemplo perficiatis. Altare quidem sanctæ Ecclesiæ ipse est Christus, teste Joanne, qui in Apocalypsi sua altare aureum se vidisse perhibet: stans ante thronum, in quo, et per quem oblationes fidelium Deo Patri consecrantur. Cujus altaris pallæ et corporalia sunt membra Christi, scilicet fideles Dei, quibus Dominus, quasi vestimentis pretiosis circumdatur, ut ait Psalmista : Dominus regnavit, decorem indutus est. Beatus quoque Joannes in Apocalypsi vidit Filium hominis præcinctum zona aurea, id est, Sanctorum caterva. Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, præbenda est a vobis aqua cælestis doctrinæ, qua purificati, ad ornamentum altaris, et cultum divini sacrificii redeant. Estote ergo tales, qui sacrificiis divinis, et Ecclesiæ Dei, hoc est, Corpori Christi digne servire valeatis, in vera et catholica fi-

de fundati; quoniam, ut ait Apostolus: Omne quod non est ex fide, peccatum est, schismaticum est, et extra unitatem Ecclesiæ est. Et ideo, si usque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui. Si usque nunc somnolenti, amodo vigiles. Si usque nunc ebriosi, amodo sobrii. Si usque nunc inhonesti, amodo casti: Quod ipse vobis præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Deinde Pontifex accipit, et tradit omnibus Calicem vacuum cum Patena vacua superposita, quem successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente:

Videte cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.

Et Archidiaconus, accipit, et tradit eis urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutergio, quæ omnia similiter tangere debent.

Postea surgit Pontifex, et versus ad populum stans cum mitra, dicit:

Oremus Deum ac Dominum nostrum, fratres charissimi, ut super hos servos suos, quos ad Subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat bene ✠ dictionem suam et gratiam: ut in conspectu ejus fideliter servientes, prædestinata sanctis præmia consequantur: Adjuvante Domino nostro Jesu Christo; qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum deposita mitra, conversus ad altare Pontifex, dicit: Oremus. Et Ministri.

Flectamus genua. ℟. Levate.

Et mox Pontifex versus ad Ordinandos genuflexos dicit sine mitra:

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hos famulos tuos, quos ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es: ut eos in sacrario tuo sancto strenuos solicitosque cælestis militiæ instituas excubitores, sanctisque altaribus tuis fideliter subministrent; et requiescat super eos Spiritus sapientiæ et intellectus; Spiritus consilii et fortitudinis; Spiritus scientiæ et pietatis; et repleas eos Spiritu timoris tui; et eos in ministerio divino confirmes, ut obedientes facto, ac dicto parentes, tuam gratiam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex sedens, accepta mitra, amictum, qui in collo Ordinandorum jacet, imponit super caput singulis, dicens:

ACcipe amictum, per quem designatur castigatio vocis: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Tum immittit manipulum in sinistrum brachium, cuilibet dicens:

ACcipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Post hæc induit quemlibet tunica, et si tantum unica sit, immittit illam cuilibet solum usque ad scapulas, ac retrahens, postremum totaliter induit, dicens cuilibet:

TUnica jucunditatis, et indumento lætitiæ induat te Dominus: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Postea accipit, et tradit omnibus librum Epistolarum, manu dextera ipsum simul tangentibus, dicens:

ACcipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Omnibus expeditis, suggerente Archidiacono, Ordinati redeunt ad loca sua; unus tamen de noviter Ordinatis, tunica indutus, dicet Epistolam suo tempore.

DE ORDINATIONE
DIACONORUM.

SUbdiaconis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolæ, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit Hymnum, Benedictus es, vel Alleluja, cum versu, Benedictus es, si sit infra Octavam Pentecostes. Interim cantatur a Choro dictus Hymnus, vel Alleluja, cum suo versu, ut supra. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare, dicit in competenti tono, Gloria in excelsis Deo, si sit infra Octavam Pentecostes, quod dum a choro perficitur, sedet cum mitra. Quo finito, deposita mitra, surgit, et versus ad populum, dicit, Pax vobis, vel Dominus vobiscum, si Gloria in excelsis, non sit dicendum; et conversus ad altare cantat Orationem Missæ diei, cum Oratione pro Ordinatis, et Ordinandis, sub uno Per Dominum nostrum, videlicet:

Oratio.

EXaudi, quæsumus Domine, supplicum preces, et devoto tibi pectore famulantes perpetua defensione custodi: ut nullis perturbationibus impediti, liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat, etc.

Finita Oratione, sedet Pontifex, reassumpta mitra, et oblato sibi libro et candela, legit Epistolam. Interim per unum ex Subdiaconis noviter ordinatis cantatur Epistola. Qua finita, surgit Pontifex, et accedit ad faldistorium ante altare cum mitra, et ibi sedet. Promovendi vero ad Ordinem Diaconatus per Archidiaconum vocantur, dicendo:

Accedant qui ordinandi sunt ad Diaconatum.

Et mox singulatim nominantur per Notarium, nulla tamen facta mentione de titulo. Eis igitur amictu, alba, cingulo, et manipulo paratis, ac stolam in sinistra manu, et candelam in dextera, ac dalmaticam super brachium sinistrum tenentibus, et in modum coronæ coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus offerens illos Pontifici, dicit:

REverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hos præsentes Subdiaconos ad onus Diaconii ordinetis.

Pontifex interrogat, dicens:

Scis illos dignos esse?

Respondet Archidiaconus:

Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii.

Et Pontifex dicit: Deo gratias.

Et ad eorum Ordinationem procedit. In primis Pontifex cum mitra sedens, clero et populo annuntiat, dicens:

AUxiliante Domino Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus hos præsentes Subdiaconos in ordinem Diaconii. Si quis habet aliquid contra illos, pro Deo, et propter Deum cum fiducia exeat, et dicat: verumtamen memor sit conditionis suæ.

Et facta aliquali mora, Pontifex convertens sermonem suum, ad Ordinandos, admonet eos, dicens:

PRovehendi, filii dilectissimi, ad Leviticum ordinem, cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis. Diaconum enim oportet ministrare ad altare; baptizare, et prædicare. Sane in veteri lege ex duodecim una Tribus Levi electa est, quæ speciali devotione tabernaculo Dei, ejusque sacrificiis, ritu perpetuo deserviret. Tantaque dignitas ipsi concessa est, quod nullus, nisi ex ejus stirpe, ad divinum

illum cultum atque officium ministraturus assurgeret; adeo ut grandi quodam privilegio hæreditatis, et Tribus Domini esse mereretur, et dici: quorum hodie, filii dilectissimi, et nomen et officium tenetis; quia in ministerium tabernaculi testimonii, id est, Ecclesiæ Dei, eligimini in Levitico officio, quæ semper in procinctu posita, incessabili pugna contra inimicos dimicat, unde ait Apostolus: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus. Quam Ecclesiam Dei, veluti tabernaculum, portare et munire debetis ornatu sancto, prædicatu divino, exemplo perfecto. Levi quippe interpretatur additus, sive assumptus. Et vos, filii dilectissimi, qui ab hæreditate paterna nomen accipitis, estote assumpti a carnalibus desideriis, a terrenis concupiscentiis, quæ militant adversus animam: estote nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei, ut digne addamini ad numerum Ecclesiastici gradus: ut hæreditas et Tribus amabilis Domini esse mereamini. Et quia comministri et cooperatores estis Corporis et Sanguinis Domini, estote ab omni illecebra carnis alieni, sicut ait Scriptura: Mundamini, qui fertis vasa Domini. Cogitate beatum Stephanum, merito præcipuæ castitatis ab Apostolis ad officium istud electum. Curate, ut quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur: Beati pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Habete pedes vestros calceatos Sanctorum exemplis, in præparatione Evangelii pacis: Quod vobis Dominus concedat per gratiam suam.

℟. Amen.

Deinde si non sint ordinati Subdiaconi, ordinandi omnes prosternunt se, ubi genuflectebant: et Pontifice ante faldistorium suum genuflectente, dicuntur Litaniæ, et Ordinandi per Pontificem benedicuntur, prout, supra, pag. 21. in Ordinatione Subdiaconi dictum est. Post hæc Ordinandis ab accubitu surgentibus, genuflexis tamen manentibus, Pontifex, sedens in faldistorio cum mitra, intelligibili voce alloquitur clerum et populum, dicens:

Commune votum, communis oratio prosequatur; ut hi totius Ecclesiæ prece, qui ad Diaconatus ministerium præparantur, Leviticæ bene ✠ dictionis ordine clarescant, et spirituali conversatione præfulgentes, gratia sanctificationis eluceant: Præstante Domino nostro Jesu Christo: qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.

Deinde surgens cum mitra Pontifex, stans versus ad ordinandos dicit, alta voce legendo:

Oremus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad officium Diaconatus dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eisque consecrationis indultæ propitius dona conservet, et preces nostras clementer exaudiat: ut quæ nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio; et, quos sacris mysteriis exequendis pro nostra intelligentia credimus offerendos, sua bene ✠ dictione sanctificet et confirmet. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eo et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus.

Deinde, deposita mitra, extensis manibus ante pectus, dicit:

Per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum dator, ordinumque distributor, atque officiorum dispositor; qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponis, per verbum, virtutem, sapientiamque tuam, Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia præparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cujus corpus, Ecclesiam videlicet tuam, cælestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris; sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens; electis ab initio Levi filiis, qui in mysticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos, quæsumus Domine, placatus intende, quos tuis sacris altaribus servituros in officium Diaconatus suppliciter dedicamus. Et nos quidem, tamquam homines divini sensus et summæ rationis ignari, horum vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem, Domine, quæ nobis sunt ignota non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor es secretorum, tu scrutator es cordium. Tu horum vitam cælesti poteris examinare judicio, quo semper prævales, et admissa purgare, et ea, quæ sunt agenda, concedere.

Hic solus Pontifex manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet Ordinando, et nullus alius; quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur, dicens singulis:

Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus: In nomine Domini.

Postea prosequitur in primo tono, extensam tenens manum dexteram, usque in finem Præfationis.

Emitte, in eos, quæsumus Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritualis observantia disciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant; ut suæ castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat; et bonum conscientiæ testimonium præferentes, in Christo firmi et stabiles perseverent, dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen, quod a circumstantibus possit audiri:

Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc Pontifex sedens cum mitra cuilibet ordinando ante se genuflexo stolam, quam singuli in manu habent, imponit successive super humerum sinistrum, dicens singulis:

Accipe stolam ✠ candidam de manu Dei: adimple ministerium tuum; potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam: Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Faciens supra quemlibet eorum signum Crucis; et Ministri reflectant capita stolæ, et alligent sub brachio dextro.

Post hæc Pontifex accipiens dalmaticam, induit ea quemlibet successive, usque ad humeros, et sic fit usque ad ultimum, quem ea totaliter induit; et hoc, si una tantum sit dalmatica; si vero quilibet suam habet, tunc singulos sua totaliter induit, dicens cuilibet:

Induat te Dominus indumento salutis, et vestimento lætitiæ, et dalmatica justitiæ circumdet te semper: In nomine Domini. ℟. Amen.

Postremo Pontifex accipit, et tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, dicens:

Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: In nomine Domini. ℟. Amen.

Quo facto, Pontifex stans ad altare conversus dicit, sine mitra:

Oremus. Et ministri:

Flectamus genua.

℣. Levate.

Et vertens se ad ordinatos, dicit:

EXaudi Domine, preces nostras, et super hos famulos tuos Spiritum tuæ bene ✠ dictionis emitte: ut cælesti munere ditati, et tuæ majestatis gratiam possint acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine sancte, Pater fidei, spei, et gratiæ, et profectuum remunerator, qui in cælestibus et terrenis Angelorum ministeriis ubique dispositis, per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum, hos quoque famulos tuos spirituali dignare illustrare affectu: ut tuis obsequiis expediti, sanctis altaribus tuis ministri puri accrescant; et indulgentia tua puriores eorum gradu, quos Apostoli tui in septenarium numerum, beato Stephano duce ac prævio, Spiritu Sancto auctore, elegerunt, digni existant; et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet instructi, tibi complaceant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde cum tempus fuerit, aliquis de noviter ordinatis dalmatica indutus Evangelium dicit. Ordinati autem statim, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

DE ORDINATIONE
PRESBYTERORUM.

Pro Ordinatione Presbyterorum parentur oleum Catechumenorum, Calix cum vino et aqua, Patena et Hostia desuper posita, medulla panis, et bacile cum buccali pro manibus abluendis, quas singuli ad suas mappulas extergunt.

DIaconis ordinatis, Pontifex ad sedendum in sede sua, vel in faldistorio, in plano juxta cornu Epistolæ accedit, et cantatur Tractus, usque ad ultimum versum exclusive; vel si sit infra Octavam Pentecostes, Tractus et

Sequentia, usque ad ultimum versum exclusive. Interim accedunt duo capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit ipsum Tractum et Sequentiam, usque ad ultimum versum exclusive. Deinde Pontifex cum mitra revertitur ante altare, ubi sedet super faldistorium.

Tunc Archidiaconus vocat ordinandos voce intelligibili, dicens: Accedant qui ordinandi sunt ad Ordinem Presbyteratus.

Et mox nominatim leguntur per Notarium, prout supra dictum est, nulla tamen de titulo facta mentione. Tunc illi more Diaconorum parati, amictu, alba, cingulo, stola, et manipulo, tenentes planetas super brachium sinistrum complicatas, et in manu dextera candelas ac mappulas albas pro ligandis et lavandis manibus, ad Pontificem accedunt et coram eo in modum coronæ se disponunt. Tunc Archidiaconus præsentat ordinandos Pontifici, dicens:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hos præsentes Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis.

Et Pontifex interrogat dicens: Scis illos esse dignos?

Respondet Archidiaconus: Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio et testificor ipsos dignos esse ad hujus onus officii. Pontifex dicit: Deo gratias.

Et annuntiat clero, et populo, dicens:

Quoniam, fratres charissimi, rectori navis et navigio deferendis eadem est vel securitatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra a Patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus: quia de vita et conversatione præsentandi, quod nonnumquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis; et necesse est, ut facilius ei, quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando. Horum siquidem Diaconorum in Presbyteros, auxiliante Domino, Ordinandorum conversatio (quantum mihi videtur) probata et Deo placita existit, et digna (ut arbitror) Ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortasse, vel paucos, aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce pandatis; et his testimonium Sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua, tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, et propter Deum, cum fiducia exeat, et dicat: verumtamen memor sit conditionis suæ.

Postea Pontifex, facta aliqua mora, convertens sermonem suum ad ordinandos admonet eos, dicens:

Consecrandi, filii dilectissimi, in Presbyteratus officium, illud digne suscipere, ac susceptum laudabiliter exequi studeatis. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, et baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum, ut cælestis sapientia, probi mores, et diuturna justitiæ observatio ad id electos commendet. Unde Dominus præcipiens Moysi, ut septuaginta viros de universo Israel in adjutorium suum eligeret, quibus Spiritus Sancti dona divideret, suggessit: Quos tu nosti, quod senes populi sunt. Vos siquidem in septuaginta viris et senibus signati estis, si per Spiritum septiformem, Decalogum legis custodientes, probi et maturi in scientia similiter, et opere eritis. Sub eodem quoque mysterio et eadem figura in novo testamento Dominus septuaginta duos elegit, ac binos ante se in prædicationem misit; ut doceret verbo simul et facto, ministros Ecclesiæ suæ fide et opere debere esse perfectos; seu geminæ dilectionis, Dei scilicet et proximi virtute fundatos. Tales itaque esse studeatis, ut in adjutorium Moysi, et duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet catholicorum, qui per Moysen et Apostolos figurantur, digne, per gratiam Dei, eligi valeatis. Hac certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur, et regitur; cum alii in ea Pontifices, alii minoris ordinis Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi, diversorum ordinum viri; consecrantur; et ex multis, et alternæ dignitatis membris unum Corpus Christi efficitur. Itaque, filii dilectissimi, quos ad nostrum adjutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus vestris castæ et sanctæ vitæ integritatem. Agnoscite quod agitis. Imitamini quod tractatis; quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei. *Sit* odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi; ut prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est, familiam Dei: quatenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur: Quod ipse nobis concedat per gratiam suam. ℟. Amen.

Si non sint factæ ordinationes Subdiaconorum, vel Diaconorum, dicuntur Litaniæ, ut supra in ordinatione Subdiaconorum dictum est pag. 21.

Post hæc surgunt omnes, et ordinandis coram Pontifice

binis et binis successive genuflectentibus, Pontifex stans ante faldistorium suum cum mitra, et nulla oratione nulloque cantu præmissis, imponit simul utramque manum super caput cujuslibet ordinandi successive, nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes, qui adsunt, quorum tres, aut plures planetis, vel saltem cum stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent. Quo facto, tam Pontifex, quam Sacerdotes, tenent manus dexteras extensas super illos. Et Pontifex stans cum mitra, dicit:

OREmus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad Presbyterii munus elegit, cælestia dona multiplicet: et quod ejus dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pontifex, deposita mitra, conversus ad altare, dicit:

Oremus. Et ministri:

Flectamus genua.

℟. Levate.

Et mox conversus ad ordinandos, dicit:

EXaudi nos, quæsumus Domine Deus noster, et super hos famulos tuos bene ✠ dictionem Sancti Spiritus, et gratiæ Sacerdotalis infunde virtutem; ut quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.

Tum extensis manibus ante pectus, dicit:

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bonorum auctor, et distributor omnium dignitatum: per quem proficiunt universa; per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et Sacerdotales gradus, atque officia Levitarum, Sacramentis mysticis instituta creverunt: ut cum Pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societatis et operis adjumentum sequentis ordinis viros, et secundæ digni-

tatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus, in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic et in Eleazarum et Ithamarum filios Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti; ut ad hostias salutares, et frequentioris officii Sacramenta ministerium sufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui Doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine quæsumus, hæc adjumenta largire; qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæsumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos Presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum Spiritum sanctitatis; ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineant; censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent. Sint providi cooperatores ordinis nostri; eluceat in eis totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur.

Quod sequitur, legat submissa voce; ita tamen quod a circumstantibus audiri possit.

Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Pontifex sedet, accepta mitra, et reflectit orarium, sive stolam ab humero sinistro cujuslibet, capiens partem, quæ retro pendet, et imponens super dexterum humerum, aptat eam ante pectus in modum crucis, singulis dicens:

Accipe jugum Domini; jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.

Postea imponit cuilibet successive casulam usque ad scapulas, quam quilibet teneat super humeros complicatam, a parte anteriori deorsum dependentem, singulis dicens:

Accipe vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem et opus perfectum. ℟. Deo gratias.

Surgit Pontifex sine mitra, et omnibus genua flectentibus, dicit:

Deus sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio plenaque benedictio est: tu Domine super hos famulos tuos, quos ad Presbyterii honorem dedicamus, munus tuæ bene ✠ dictionis infunde; ut gravitate actuum et censura vivendi probent se seniores, his instituti disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit; ut in lege tua die

ac nocte meditantes, quod legerint, credant; quod crediderint, doceant; quod docuerint, imitentur; justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem, cæterasque virtutes in se ostendant; exemplo præeant; admonitione confirment; ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodiant; et in obsequium plebis tuæ panem et vinum in Corpus et Sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment; et inviolabili charitate in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, in die justi et æterni judicii Dei, conscientia pura, fide vera, Spiritu Sancto pleni resurgant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex sine mitra ante altare conversus, flexis genibus incipit alta voce, schola prosequente, Hymnum:

Veni, creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti, pectora.

Surgit Pontifex, et facit ut in fine Hymni habetur: interim schola prosequitur Hymnum; qui, si propter ordinandorum multitudinem necesse fuerit, repetatur, omisso primo versu.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,

Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

Dicto primo versu, surgit Pontifex, et sedet in faldistorio cum mitra, et depositis chirothecis, et annulo Pontificali reassumpto, ponitur ei gremiale, sive mappula super gremium, et singuli ordinandi successive coram eo genua flectunt, et Pontifex cum Oleo Catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul junctas, in modum crucis; producendo cum pollice suo dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet, a pollice dexteræ manus usque ad indicem sinistræ, et a pollice sinistræ usque ad indicem dexteræ, ungendo mox totaliter palmas, dicens dum quemlibet inungit:

Consecrare, et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem, et nostram bene ✠ dictionem. ℟. Amen.

Pontifex producit manu dextera signum crucis super manus illius quem ordinat, et prosequitur:

Ut quæcumque benedixerint, benedicantur; et quæcumque consecraverint, consecrentur, et sanctificentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi.

Et quilibet ordinandus respondet, Amen.

Tum Pontifex claudit, seu jungit manus cuilibet successive: quas sic consecratas aliquis ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet, dexteram super sinistram alligat; et mox unusquisque ad ordinem suum redit; et sic clausas et alligatas manus tenet. Omnium manibus unctis et consecratis, Pontifex pollicem mica panis tergit; tum tradit cuilibet successive Calicem cum vino et aqua, et Patenam superpositam cum Hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam Calicis et Patenam simul tangunt, Pontifice singulis dicente:

Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini. ℟. Amen.

His peractis, Pontifex lavat manus cum medulla panis, et aqua lotionis hujusmodi projicitur in sacrarium. Deinde cum mitra revertitur ad sedem suam, vel ad faldistorium in cornu Epistolæ, in plano sibi paratum, ubi sedet cum mitra. Et chorus cantat ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ, sive Alleluja. Interim accedunt duo capellani ante Pontificem cum libro et candela, qui ex eo legit dictum ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ, sive Alleluja: legit etiam secrete, Munda cor meum, atque Evangelium.

Interea unus ex Diaconis noviter ordinatis, accedit ad altare cum textu Evangelii ante pectus, et dicit, Munda cor meum, etc. et cantat Evangelium. Interim parantur per ministros Hostiæ super altare, pro numero ordinatorum in Ordinibus sacris, qui omnes communicare debent, et proceditur in Missa ordine solito. Interea dum Offertorium cantatur, vel etiam prius, ordinati Sacerdotes poterunt lavare manus suas cum medulla panis, et aqua bene mundare, atque extergere mappulis illis, quibus ligatæ erant, et aqua ablutionis hujusmodi projiciatur in sacrarium.

Pontifex vero, Offertorio lecto, accepta mitra, vadit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedens accipit Offertorium ab omnibus ordinatis; qui omnes accedunt bini et bini ad Pontificem, coram quo genuflexi offerunt illi singulas candelas accensas, et osculantur ejus manum: primo Presbyteri; tum Diaconi successive, et alii suo ordine.

Accepto singulorum Offertorio, Pontifex lavat manus, et surgit sine mitra, ac tollitur faldistorium, et prosequitur Missam.

Presbyteri vero ordinati, post Pontificem, vel hinc et inde, ubi magis commodum erit, in terra genuflexi habeant libros coram se, dicentes;

Suscipe sancte Pater, etc. et omnia alia de Missa, prout dicit Pontifex: qui tamen bene advertat, quod secretas morose dicat, et aliquantulum alte, ita ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, et præsertim verba consecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem.

Secreta pro ordinatis, quæ dicitur cum Secreta Missæ diei sub uno, Per Dominum etc.

Tuis, quæsumus Domine, operare mysteriis: ut hæc tibi munera dignis mentibus offeramus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Cum Pontifex dixerit Orationem, Domine Jesu Christe, qui etc. osculatur altare, et dat primo ex singulis ordinatis cujuslibet Ordinis sacri ad eum successive accedenti, et altare prius ad dexteram Pontificis deosculanti, pacem, dicens: Pax tecum.

Cui ille respondet: Et cum spiritu tuo.

Et quilibet illorum dat sequenti sui Ordinis secum ordinato, et ille alteri, et sic usque ad ultimum continuatur. Si autem Ordinatorum parvus sit numerus, Pontifex poterit dare pacem singulis.

Postquam vero Pontifex se communicaverit, et totum Sanguinem sumpserit, priusquam digitos abluat, accedunt ante altare Presbyteri, deinde Diaconi, tandem Subdiaconi: quibus ordinate dispositis et genuflexis, Pontifex facta reverentia Sacramento, et aliquantulum versus cornu Evangelii se retrahens, ad eos se convertit, et singuli ex Diaconis et Subdiaconis tantum dicunt submissa voce:

Confiteor Deo, etc.

Et si officium fiat in cantu, unus de noviter Ordinatis illud cantat.

Et Pontifex stans capite detecto, versus ad eos dicit intelligibili voce, nisi officium fiat in cantu:

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum, tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et manu dextera signum Crucis super eos communiter producit. Presbyteri ante communionem non dicunt confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici: propterea si non sunt alii ordinati, Confessio et Absolutio prædictæ omittuntur.

Tum accedunt ordinati ad supremum gradum altaris bini et bini. Pontifex vero ponit plures Hostias consecratas super patenam, quam ori cujuslibet communicandi supponit, et singulos communicat, cuilibet dicens:

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. Quilibet respondet: Amen.

Et priusquam communionem sumat, manum Pontificis Hostiam tenentem osculatur.

Unus ministrorum Pontificis stat juxta cornu Epistolæ altaris Calicem habens, non illum cum quo Pontifex celebravit, sed alium cum vino, et mappulam mundam in manibus, ad quem singuli communicati accedunt, et se purificant, os extergunt, et ad partem se locant.

Omnibus communicatis, Pontifex extergit Patenam super Calicem suum, super eum digitos abluit, sumit ablutionem, accipit mitram, et lavat manus.

Pontifex, lotis manibus, mitra deposita, stans in cornu Epistolæ altaris, versus ad illud inchoat in cantu, schola prosequente, Responsorium, 8. ton. quod a Septuagesima usque ad Pascha dicitur sine Alleluja.

Jam non dicam vos servos, sed amicos meos, quia omnia

cognovistis, quæ operatus sum in medio vestri, alleluja. * Accipite Spiritum Sanctum in vobis paraclitum, * Ille est, quem Pater mittet vobis, alleluja. ℣. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. * Accipite.
℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. * Ille est, quem.

Incepto Responsorio, Pontifex, accepta mitra, vertit se ad Presbyteros ordinatos, qui ante altare coram ipso stantes profitentur fidem, quam prædicaturi sunt, dicentes:

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cæli et terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus. Descendit ad inferos; tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos, et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum. Sanctam Ecclesiam Catholicam. Sanctorum Communionem. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem. Vitam æternam, Amen.

Quo finito, Pontifex cum mitra sedens super faldistorium, ante medium altaris, imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet:

Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis; et quorum retinueris, retenta sunt.

Deinde explicans casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, singulis dicens:

Stola innocentiæ induat te Dominus.

Et mox unusquisque iterum ad Pontificem accedit; et genuflexus ponit manus suas junctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet, si suus est Ordinarius:

Promittis mihi, et successoribus meis reverentiam, et obedientiam?

Et ille respondet: Promitto.

Si vero Pontifex non est suus Ordinarius, cum manus eorum inter suas tenet, ut præfertur, dicit singulis Presbyteris sæcularibus:

Promittis Pontifici ordinario tuo, etc.

Singulis vero Regularibus.

Promittis Prælato Ordinario tuo, etc.

Promittis Pontifici (vel Prælato) Ordinario tuo, pro tempore existenti reverentiam, et obedientiam?

Et ille respondet: Promitto.

Tunc Pontifex, tenens manus illius inter suas, osculatur unumquemque, dicens:

Pax Domini sit semper tecum.

Et ille respondet : Amen.

His expletis, et eis ad ordinem suum reversis, Pontifex sedens cum mitra et baculo, admonet eos, dicens :

Quia res, quam tractaturi estis, satis periculosa est, filii dilectissimi, moneo vos, ut diligenter totius Missæ ordinem, atque Hostiæ consecrationem, ac fractionem, et communionem, ab aliis jam doctis Sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandum Missam accedatis.

Pontifex surgit cum mitra et baculo, et Presbyteris coram eo adhuc genuflexis benedicit, dicens voce competenti :

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti descendat super vos ; ut sitis benedicti in ordine Sacerdotali ; et offeratis placabiles Hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo : cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc Pontifex, deposita mitra, et amoto faldistorio, convertitur ad altare, prosequitur Missam, et cantatur Communio ; et dicitur hæc Postcommunio pro ordinatis sub uno, Per Dominum, *cum Postcommunione Missæ diei.*

Postcommunio.

Quos tuis, Domine, reficis Sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis : ut tuæ redemptionis effectum et mysteriis capiamus, et moribus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde dicitur, Benedicamus Domino, *vel* Ite Missa est, *prout tempus requirit, et per Pontificem,* Placeat tibi sancta, etc.

Quo dicto, Pontifex, accepta mitra et baculo pastorali, dat benedictionem solitam, dicens : Sit nomen Domini benedictum, etc.

Tum sedet, et alloquitur ordinatos sub his verbis :

Filii dilectissimi, diligenter considerate Ordinem per vos susceptum, ac onus humeris vestris impositum : studete sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possitis acquirere, quam ipse vobis per suam misericordiam concedere dignetur.

Singuli ad primam Tonsuram, vel ad quatuor minores Ordines promoti dicite semel septem Psalmos Pœnitentiales, cum Litaniis, Versiculis, et Orationibus. Ad Subdiaconatum, vel Diaconatum, Nocturnum talis diei. Ad Presbyteratum vero ordinati, post primam vestram Missam, tres alias

Missas, videlicet, unam de Spiritu Sancto, aliam de beata Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate.

Quod illi devote suscipiunt, et respondent se facturos.

Tum Pontifex convertit se ad altare, et dicit submissa voce: Dominus vobiscum.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem. In principio, etc.

Signat altare, et se; et revertitur ad sedem, vel ad faldistorium, ubi exuitur sacris vestibus. Ordinati etiam ad Presbyteratum dicunt idem Evangelium, et in loco convenienti sacras vestes deponunt, et cum eis alii ordinati.

DE CONSECRATIONE
ELECTI IN EPISCOPUM.

NEmo consecrari debet, nisi prius constet Consecratori de commissione consecrandi, sive per litteras Apostolicas, si sit extra curiam, sive per commissionem vivæ vocis oraculo, a summo Pontifice Consecratori factam, si Consecrator ipse sit Cardinalis.

Statuta die Consecrationis, quæ debet esse Dominica, vel natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si summus Pontifex hoc specialiter indulserit: et tam Consecrator, quam Electus conveniens est, ut præcedenti die jejunent.

Consecratio, si extra curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur.

In Ecclesia, ubi fiet Consecratio, ornantur duæ capellæ, major pro Consecrante, et minor pro Electo. Et in majori quidem, super altari parato, ut est moris, erit Crux in medio, et ad minus quatuor candelabra. In terra ad gradus altaris erunt tapetia strata, super quibus procumbit Electus; sed Consecrator, et alii genuflectent.

Paratur etiam in loco propinquo et congruo credentia pro Consecratore, super quam erit mappa munda; duo candelabra; vasa ad abluendum manus, cum suis mantilibus; vas cum aqua benedicta, et aspersorio; thuribulum cum navicella, cochleari, et incenso, si officium fit in cantu, alias non; ampullæ cum vino et aqua pro sacrificio; Calix, Hostiaria cum Hostiis; medulla panis pro abstergendis manibus; sanctum Chrisma.

Item paramenta omnia Pontificalia coloris tempori et officio Missæ convenientis, videlicet, sandalia, amictus, al-

ba, cingulum, Crux pectoralis, stola, tunicella, dalmatica, chirothecæ, planeta, mitra auriphrygiata, annulus Pontificalis, baculus pastoralis, manipulus, et Gremiale.

Item paratur faldistorium ornatum pro Consecratore, et tres sedes pro Electo, et duobus Episcopis Assistentibus; Missale, et Pontificale. Consecrator habeat tres capellanos ad minus, cum superpelliceis, et duos scutiferos ad credentiam.

In capella vero minore pro Electo, quæ a majore debet esse distincta, paratur altare cum Cruce, et duobus candelabris, et super illud Missale, et Pontificale; ac paramenta omnia Pontificalia albi coloris, ut supra pro Consecratore numerata sunt; et ultra illa, pluviale album, et prope altare credentia minor cum mappa munda, et vasis ad abluendum manus, et medulla panis ad extergendum manus et caput.

Ponuntur etiam octo mappulæ ex duabus cannis panni linei subtilis, per medium scissis in longitudinem; quarum duæ sint longitudinis sex palmorum quælibet, aliæ vero sex, æqualis sint quantitatis. Et candelæ saltem octo, unius libræ quælibet; quarum quatuor super altare Consecrantis, duæ super ejus credentiam, et duæ super altare Electi ponuntur.

Annulus cum gemma benedicendus, et Electo tradendus, pecten eburneus. Et pro offertorio intortitia duo, quatuor librarum quodlibet, duo panes magni, et duo barilia vini. Panes et barilia ornentur; duo, videlicet, videantur argentea, et duo aurea, hinc et inde insignia Consecratoris et Electi habentia, cum capello, vel cruce, vel mitra, pro cujusque gradu et dignitate.

Adsint duo ad minus Episcopi Assistentes, qui induuntur rocheto, et si sint Regulares, superpelliceo, amictu, stola, pluviali (quæ cum reliquis paramentis sint coloris tempori et officio Missæ congruentis), et mitra simplici alba, et quisque habeat suum Pontificale.

Hora igitur competenti Consecrator, Electus, Assistentes Episcopi, et alii, qui Consecrationi interesse debent, ad Ecclesiam conveniunt, et Consecrator, facta oratione ante altare, ascendit ad sedem, si sit in Ecclesia sua; vel accedit ad faldistorium in capella sua, juxta cornu Epistolæ præparatum, et ibi de more paratur. Electus vero cum Assistentibus Episcopis vadit ad capellam suam, et ibi capit paramenta opportuna, videlicet, si Missa cantatur, amictum, albam, cingulum, stolam in modum Sacerdotis, et pluviale. Si vero officium legitur, poterit, antequam dicta paramenta accipiat, capere sandalia, et legere Psalmum, Quam dilecta, etc. Assistentes etiam Episcopi interim sua paramenta prædicta capiunt.

Omnibus itaque paratis, Consecrator accedit ante altare, et ibi in medio sedet super faldistorium, vertens renes altari. Electus vero cum suo bireto ducitur sic paratus, medius inter Assistentes sibi Episcopos paratos, et mitratos: et cum ante Consecratorem pervenerit, nudato capite, illud profunde inclinando, ei reverentiam facit: Assistentes vero Episcopi eidem cum mitra caput aliquantulum inclinant.

Tum sedent in sedibus suis, ante Consecratorem, hoc modo: Electus contra faciem Consecratoris, ita ut inter eos sit competens distantia. Antiquior Episcopus Assistens ad dexteram Electi, junior ad sinistram; ita tamen, quod ipsi Assistentes ad alterutrum facies vertant. Cum sic locati fuerint, et aliquantulum quieverint, surgunt, Electus sine bireto, et Assistentes Episcopi sine mitris, et senior Assistentium versus ad Consecratorem dicit:

REverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.

Consecrator dicit:

Habetis mandatum Apostolicum?

Respondet Episcopus senior Assistentium: Habemus. Consecrator dicit: Legatur.

Tum Notarius Consecratoris accipiens mandatum de manu Episcopi Assistentis, legit a principio ad finem. Interim sedent omnes, tectis capitibus. Mandato per Notarium perlecto, Consecrator dicit:

Deo gratias. Vel, si Consecratio fit vigore litterarum Apostolicarum, per quas etiam juramenti per Electum præstandi receptio Consecratori committitur; litteris ipsis lectis, antequam Consecrator aliud dicat, Electus de sede sua veniens, coram Consecratore genuflectit, et legit juramentum de verbo ad verbum, juxta tenorem commissionis prædictæ præstandum, in hunc modum videlicet:

FORMA JURAMENTI.

EGo N. Electus Ecclesiæ N. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Apostolo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et Domino nostro, Domino N. Papæ N. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum; seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur; vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæsito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt,

per se, aut Nuntios suos, seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, et Regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia, et auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ et successorum prædictorum, conservare, defendere, augere, et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status, et potestatis eorum machinentur. Et, si talia a quibuscumque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse; et quanto citius potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones, et mandata Apostolica, totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos, et rebelles eidem Domino nostro, vel successoribus prædictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad synodum, veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditioue. Apostolorum limina singulis trienniis personaliter per me ipsum visitabo; et Domino nostro, ac successoribus præfatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, ac de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata Apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, præfata omnia adimplebo per certum Nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio mei Capituli, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem; aut, iis mihi deficientibus, per diœcesanum Sacerdotem; et clero deficiente omnino, per aliquem alium Presbyterum sæcularem vel regularem, spectatæ probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Proponentem in Congregatione sacri Concilii, per supradictum Nuntium transmittendas.

Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad

aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo.

Consecrator in gremio suo librum Evangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri Electo versa, ab eo præstationem hujusmodi juramenti recipit, Electo adhuc coram eo genuflexo dicente:

Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Et ipsum textum Evangeliorum ambabus manibus tangente, tum, non prius dicit Consecrator: Deo gratias.

Ad hoc tempus singulorum tricenniorum tenentur omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, atque Episcopi Itali: videlicet, vel ex Italicis insulis, unde in Italiam commodius trajici potest; veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacentium provinciarum Italiæ, atque etiam Dalmatiæ et Græcarum, quæ e regione ipsis Italiæ et Siciliæ oris sunt.

Ad tempus singulorum quadrienniorum, Germani, Galli, Hispani, Belgæ, Bohemi, Hungari, Poloni, Angli, Scoti, Hiberni, et cæteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum et Balticum, atque omnium insularum maris Mediterranei.

Ad tempus singulorum quinquenniorum, qui intra Europæ fines sunt his provinciis remotiores, atque etiam Africani littoribus nostris adversi, atque insularum maris Oceani, Septentrionalis et Occidentalis Europæ, atque Africæ, citra continentem Novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad Catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint.

Ad tempus singulorum decenniorum Asiatici, et qui extra Asiam, et in aliis novis terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, et Septentrionalibus, tam in insulis, quam in continentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus existentes.

Deinde Electo et Assistentibus, in locis suis (ut dictum est) sedentibus, Consecrator intelligibili voce legit sequentem examinationem, quæ legi debet semper, sicut jacet, in singulari, etiam si plures simul examinentur. Assistentes vero Episcopi submissa voce dicunt, quæcumque dixerit Consecrator, et omnes debent tunc mitras tenere, et sedere.

E X A M E N.

Antiqua sanctorum Patrum institutio docet et præcipit, ut is, qui ad Episcopatus Ordinem eligitur, antea diligentissime examinetur cum omni charitate de fide sanctæ Trinitatis; et interrogetur de diversis causis et moribus, quæ

huic regimini congruunt, ac necessaria sunt retineri secundum Apostoli dictum: Manus nemini cito imposueris. Et ut etiam is, qui ordinandus est, erudiatur, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in Ecclesia Dei; et ut irreprehensibiles sint, qui ei manus Ordinationis imponunt. Eadem itaque auctoritate et præcepto interrogamus te, dilectissime frater, charitate sincera, si omnem prudentiam tuam, quantum tua capax est natura, divinæ Scripturæ sensibus accommodare volueris?

Tum electus aliquantulum assurgens, detecto capite, respondet: **Ita ex toto corde volo in omnibus consentire et obedire.**

Et hoc servabit ad omnes alias responsiones sequentes. Et si plures Electi fuerint successive quisque sic respondet.

Interrogat Consecrator:

VIs ea, quæ ex divinis Scripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, et verbis docere et exemplis? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis traditiones Orthodoxorum Patrum, ac Decretales sanctæ et Apostolicæ Sedis Constitutiones veneranter suscipere, docere, ac servare? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis beato Petro Apostolo, cui a Deo data est potestas ligandi ac solvendi, ejusque Vicario Domino nostro, Domino N. Papæ N. suisque successoribus, Romanis Pontificibus, fidem, subjectionem, et obedientiam, secundum canonicam auctoritatem, per omnia exhibere? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis mores tuos ab omni malo temperare, et quantum poteris, Domino adjuvante, ad omne bonum commutare? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis castitatem et sobrietatem cum Dei auxilio custodire et docere? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis semper in divinis esse negotiis mancipatus, et a terrenis negotiis vel lucris turpibus alienus, quantum te humana fragilitas consenserit posse? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis humilitatem et patientiam in te ipso custodire, et alios similiter docere? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis pauperibus, et peregrinis, omnibusque indigentibus esse propter nomen Domini affabilis et misericors? ℟. Volo.

Tunc dicit ei Consecrator:

HÆc omnia, et cætera bona tribuat tibi Dominus, et custodiat te atque corroboret in omni bonitate.

Et respondent omnes: Amen.

Interrogatio.

CRedis, secundum intelligentiam et capacitatem sensus tui, sanctam Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in sancta Trinitate Deitatem, coessentialem, consubstantialem, coæternam et coomnipotentem, unius voluntatis, potestatis, et majestatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia, quæ sunt in cælo et in terra, visibilia et invisibilia, corporalia et spiritualia?

℟. Assentio, et ita credo.

Interrogatio.

Credis singulam quamque in sancta Trinitate personam unum Deum, verum, plenum, et perfectum? ℟. Credo.

Interrogatio.

Credis ipsum Filium Dei, verbum Dei æternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, et coæqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria semper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem, Deum verum et hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum, nec phantasmaticum, sed unicum et unum Filium Dei in duabus et ex duabus naturis, sed in unius personæ singularitate, impassibilem et immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis et pro salute nostra passum vera carnis passione, et sepultum, ac tertia die resurgentem a mortuis vera carnis resurrectione; die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, et anima ascendisse ad cælum, et sedere ad dexteram Patris; inde venturum judicare vivos et mortuos; et redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala?

℟. Assentio, et ita per omnia credo.

Interrogatio.

Credis etiam Spiritum Sanctum, plenum, et perfectum, verumque Deum, a Patre et Filio procedentem, coæqualem et coessentialem, coomnipotentem et coæternum per omnia Patri et Filio? ℟. Credo.

Interrogatio.

Credis hanc sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unum Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, et incommutabilem? ℟. Credo.

Interrogatio.

Credis sânctam Catholicam, et Apostolicam unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur verum baptisma, et vera omnium remissio peccatorum? ℟. Credo.

Interrogatio.

Anathematizas etiam omnem hæresim, extollentem se adversus hanc sanctam Ecclesiam Catholicam? ℟. Anathematizo.

Interrogatio.

Credis etiam veram resurrectionem ejusdem carnis, quam nunc gestas; et vitam æternam? ℟. Credo.

Interrogatio.

Credis etiam novi et veteris Testamenti, legis, et Prophetarum, et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem? ℟. Credo.

Postea Consecrator dicit:

HÆc tibi fides augeatur a Domino, ad veram et æternam beatitudinem, dilectissime frater in Christo. Et respondent omnes: Amen.

Expleto itaque examine, præfati Assistentes Episcopi ducunt Electum ad Consecratorem, coram quo genuflexus, ejus manum reverenter osculatur. Tunc Consecrator, deposita mitra, cum ministris ad altare conversus, facit solito more Confessionem, Electo a sinistris ejus manente; et omnes Episcopi ante sedes suas stantes faciunt similiter Confessionem cum Capellanis suis. Facta itaque Confessione, Consecrator ascendit ad altare, et osculatur illud, et Evangelium in Missa dicendum; et incensat altare, more solito. Deinde vadit ad sedem suam, vel faldistorium, et procedit in Missa usque ad Alleluja, sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ, exclusive.

Si vero Missa legitur, osculato altari et Evangelio, omissa incensatione, omnia prædicta legit in altari; et illis dictis, sive Missa legatur, sive cantetur, redit cum mitra ad sedendum in faldistorio, quod ante medium altaris sibi reponitur.

Episcopi vero Assistentes ducunt Electum ad Capellam suam: et ibi deposito pluviali, Acolythi induunt illum sandalia, ipso Psalmos et orationes consuetas legente, si prius illa non accepit. Tunc accipit Crucem pectoralem, et stola ei aptatur, ut ab humeris dependeat. Deinde tunicella, dalmatica, casula, et manipulo induitur; quibus indutus accedit ad suum altare, ubi stans in medio, medius inter Episcopos Assistentes, detecto capite legit totum officium Missæ, usque ad Alleluja, sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ, exclusive; nec vertit se ad populum cum dicit, Dominus vobiscum, ut in aliis Missis fieri solet.

Propter ordinationes Episcoporum numquam mutatur officium diei; dicitur tamen post Collectam diei pro officio Consecrationis Collecta pro Electo, sub uno Per Dominum nostrum, etc.

Oratio.

ADesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus: ut quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Finito Graduali, si Alleluja dicitur, alioquin dicto Tractu vel Sequentia, usque ad ultimum versum, exclusive, Consecrator accedit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedet cum mitra; Assistentes vero Episcopi iterum ducunt Electum ad Consecratorem, cui Electus, deposito bireto, caput profunde inclinans humilem reverentiam facit: Assistentes vero cum mitris se aliquantulum inclinantes, etiam Consecratorem venerantur. Tum sedent omnes, ut prius; et Consecrator sedens cum mitra, versus ad illum, dicit:

EPiscopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, et confirmare.

Deinde omnibus surgentibus, Consecrator stans cum mitra, dicit ad circumstantes:

ORemus, fratres charissimi, ut huic Electo, utilitati Ecclesiæ providens, benignitas omnipotentis Dei gratiæ suæ tribuat largitatem. Per Chistum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et mox Consecrator ante faldistorium suum, et Assistentes Episcopi ante sedes suas cum mitris procumbunt: Electus vero prosternit se a sinistris Consecratoris; ministri etiam atque alii omnes genuflectunt.

Tum cantor, vel, si officium fit legendo, Consecrator incipit Litanias, dicens: Kyrie eleison, etc. prosequendo totas, prout supra in Ordinatione Subdiaconi dictum est, pag. 21.

Postquam autem dictum fuerit, Ut omnibus fidelibus defunctis, etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Consecrator ab accubitu surgens, ad Electum conversus, baculum Pastoralem cum sinistra tenens, dicit sub voce Litaniarum, Primo: Ut hunc præsentem Electum bene ✠ dicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit:

Ut hunc præsentem Electum bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Tertio dicit :

Ut hunc præsentem Electum bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Producendo semper signum Crucis super illum ; idemque faciunt et dicunt Assistentes Episcopi, genuflexi tamen permanentes.

Deinde iterum procumbit Consecrator ; et cantor, seu ipse qui prius dixit, eas prosequitur usque ad finem.

Ut nos exaudire digneris, etc.

Quibus finitis, surgunt omnes, et Consecratore ante faldistorium suum cum mitra stante, Electus coram eo genuflectit.

Tum Consecrator, accepto libro Evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus Episcopis Assistentibus, nihil dicens, imponit super cervicem et scapulas Electi; ita quod inferior pars libri cervicem capitis Electi tangat, littera ex parte inferiori manente, quem unus ex Capellanis Electi, post ipsum genuflexus, quousque liber ipse eidem Electo in manus tradendus sit, continue sustinet.

Deinde Consecrator et Assistentes Episcopi ambabus manibus caput Consecrandi tangunt, dicentes :

ACcipe Spiritum Sanctum.

Quo facto, Consecrator stans, deposita mitra, dicit :

PRopitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, bene ✠ dictionis tuæ in eum effunde virtutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Deinde, extensis manibus ante pectus, dicit :

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honor omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ sacris famulantur ordinibus. Deus, qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu inter cætera cælestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti Sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset æta-

ti. Cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret; et apud nos certiora essent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus nostræ mentis ornatus est, et Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia et illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius, quæ in ipsis erant, intelligenda poscebant. Et idcirco huic famulo tuo, quem ad summi Sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus Domine, gratiam largiaris: ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, et in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus actibusque clarescat. Comple in Sacerdote tuo ministerii tui summam; et ornamentis totius glorificationis instructum, cælestis unguenti rore sanctifica.

Si in Romana curia fit Consecratio, Subdiaconus Apostolicus, vel unus ex Capellanis Pontificis ligat caput Electi cum una ex longioribus mappulis, de octo superius dictis; et Consecrator, flexis genibus, versus ad altare incipit, cæteris prosequentibus, Hymnum:

Veni, Creator Spiritus, etc.

Et dicitur usque ad finem, prout habetur supra in Ordinatione Presbyteri. pag. 36.

Finito primo versu, surgit Pontifex, et sedet in faldistorio ante medium altaris; capit mitram, deponit annulum et chirothecas; resumit annulum, et imponitur ei gremiale a ministris. Tum pollicem suum dexterum intingit in sanctum Chrisma, et caput Electi coram se genuflexi inungit, formans primo signum Crucis per totam coronam, deinde reliquum coronæ liniendo, interim dicens:

Ungatur, et consecretur caput tuum, cælesti benedictione, in ordine Pontificali.

Et producens manu dextera tertio signum Crucis super caput Electi, dicit:

In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen. ℣. Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

Et si plures sint Consecrandi, hoc in persona cujuslibet singulariter repetit.

Expleta unctione, Pontifex pollicem cum medulla panis paululum abstergit: et finito Hymno prædicto, deposita mitra, surgit, et in pristina voce prosequitur, dicens:

Hoc, Domine, copiose in caput ejus influat; hoc in oris subjecta decurrat; hoc in totius corporis extrema descendat: ut tui spiritus virtus et interiora ejus repleat, et exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectio-

nis, sinceritas pacis. Sint speciosi munere tuo pedes ejus ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da ei, Domine, ministerium reconciliationis in verbo et in factis, in virtute signorum et prodigiorum. Sit sermo ejus et prædicatio, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Da ei, Domine, claves regni cælorum, ut utatur, non glorietur potestate, quam tribuis in ædificationem, non in destructionem. Quodcumque ligaverit super terram, sit ligatum et in cælis; et quodcumque solverit super terram, sit solutum et in cælis. Quorum retinuerit peccata, retenta sint; et quorum remiserit, tu remittas. Qui maledixerit ei, sit ille maledictus; et qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur. Sit fidelis servus et prudens, quem constituas tu, Domine, super familiam tuam; ut det illis cibum in tempore opportuno; et exhibeat omnem hominem perfectum. Sit solicitudine impiger; sit spiritu fervens; oderit superbiam; humilitatem ac veritatem diligat, neque eam unquam deserat, aut laudibus aut timore superatus. Non ponat lucem tenebras, nec tenebras lucem; non dicat malum bonum, nec bonum malum. Sit sapientibus et insipientibus debitor; ut fructum de profectu omnium consequatur. Tribuas ei, Domine, cathedram Episcopalem, ad regendum Ecclesiam tuam, et plebem sibi commissam. Sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas. Multiplica super eum bene ✠ dictionem et gratiam tuam; ut ad exorandam semper misericordiam tuam, tuo munere idoneus, et tua gratia possit esse devotus.

Deinde submissa voce dicit legendo, ita quod a circumstantibus audiri possit:

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc Consecrator inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 2.

Unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus: mandavit Dominus benedictionem in sæculum.

Psalmus 132.

Ecce quam bonum, et quam jucundum * habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite, * quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus: * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, * et vitam usque in sæculum.

Gloria Patri, etc.

Sicut erat in principio, etc.

Deinde repetitur tota Antiphona. Unguentum in capite, etc.

Incepta Antiphona ante Psalmum, imponitur ad collum Electi alia ex longioribus mappulis, de octo supradictis. Consecrator sedet; accipit mitram; et Electo ante ipsum genuflexo inungit ambas manus simul junctas cum Chrismate in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero intincto duas lineas: videlicet a pollice dexteræ manus usque ad indicem sinistræ, et a pollice sinistræ usque ad indicem dexteræ: et mox inungat totaliter palmas Electi, dicens:

UNgantur manus istæ de oleo sanctificato, et Chrismate sanctificationis, sicut unxit Samuel David Regem et Prophetam, ita ungantur et consecrentur.

Et producens manu dextera ter signum crucis super manus Electi, dicit: **In nomine Dei Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, facientes imaginem sanctæ Crucis Salvatoris nostri Jesu Christi, qui nos a morte redemit, et ad regna cælorum perduxit. Exaudi nos pie Pater omnipotens, æterne Deus; et præsta, ut, quod te rogamus, exoremus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.**

Et prosequitur sedens:

DEus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te ad Pontificatus sublimari voluit dignitatem, ipse te Chrismate et mysticæ delibutionis liquore perfundat, et spiritualis bene ✠ dictionis ubertate fœcundet: quidquid bene ✠ dixeris, benedicatur; et quidquid sanctificaveris, sanctificetur; et consecratæ manus istius, vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem. ℟. Amen.

Præmissis itaque expeditis, Consecratus jungit ambas manus, et dexteram super sinistram tenet, et eas imponit mappulæ a collo dependenti. Consecrator vero abstergit paululum cum medulla panis pollicem: et deposita mitra, surgit: et benedicit baculum pastoralem, si non sit benedictus, dicens:

Oremus.

SUstentator imbecillitatis humanæ Deus, bene ✠ dic baculum istum: et quod in eo exterius designatur, interius in moribus hujus famuli tui, tuæ propitiationis clementia, operetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde illum aspergit aqua benedicta.

Tum sedens, accepta mitra, solus tradit illum Consecrato coram eo genuflexo, capienti ipsum inter indices et medios digitos, manibus non disjunctis, Consecratore dicente:

Accipe baculum pastoralis officii: ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens. ℟. Amen.

Quo facto, deposita mitra, surgit Consecrator, et benedicit annulum, si non sit prius benedictus, dicens:

Oremus.

Creator, et conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, tu, Domine, emitte bene ✠ dictionem tuam super hunc annulum: ut quicumque hoc sacrosanctæ fidei signo insignitus incesserit, in virtute cælestis defensionis ad æternam vitam sibi proficiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum aspergit ipsum annulum aqua benedicta: sedet cum mitra, et solus annulum in digitum annularem dexteræ manus Consecrati immittit, dicens:

Accipe annulum, fidei scilicet signaculum: quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custodias. ℟. Amen.

Tum Consecrator accipit librum Evangeliorum de scapulis Consecrati; et adjuvantibus ipsum Episcopis Assistentibus, tradit eum clausum Consecrato, tangenti illum sine apertione manuum, dicens:

Accipe Evangelium, et vade, predica populo tibi commisso; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam: Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Demum Consecrator recipit Consecratum ad osculum pacis; similiter et Assistentes Episcopi singuli, dicentes ipsi Consecrato: Pax tibi.

Et ipse respondet singulis: Et cum spiritu tuo.

Tum Consecratus medius inter Assistentes Episcopos, redit ad Capellam suam, ubi abstergitur ei sedenti caput cum medulla panis, et cum panno mundo; deinde cum pectine mundantur et complanantur capilli; postea lavat manus. Consecrator vero in suo faldistorio manus lavat. Deinde procedit in Missa usque ad Offertorium inclusive. Idem facit Consecratus in capella sua.

Dicto Offertorio, Consecrator sedet cum mitra in faldistorio, ante medium altaris. Et consecratus veniens ex sua capella, inter Assistentes Episcopos medius, coram Consecratore genuflectit; et illi offert duo intortitia accensa; duos panes; et duo barilia vino plena; et Consecratoris prædicta recipientis manum reverenter osculatur.

Deinde Consecrator lavat manus, et accedit ad altare; Con-

secratus etiam ad posterius cornu Epistolæ altaris ejusdem accedit : et ibi stans medius inter Episcopos Assistentes , ante se habens Missale suum , simul cum Consecratore dicit , et facit omnia , prout in Missali. Et ponatur una Hostia consecranda , pro Consecrante et Consecrato , et vinum consecrandum in Calice , sufficiens pro utroque.

Secreta sequens dicitur cum Secreta Missæ diei sub uno , **Per Dominum** , per Consecratorem.

Secreta.

SUscipe , Domine , munera , quæ tibi offerimus pro hoc famulo tuo : et propitius in eo tua dona custodi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus , per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Consecratus dicit : Secreta.

SUscipe , Domine , munera , quæ tibi offerimus pro me famulo tuo : ut propitius in me tua dona custodias. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus , per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Infra actionem dicit Consecrator :

HAnc igitur oblationem servitutis nostræ , sed et cunctæ familiæ tuæ , quam tibi offerimus , etiam pro hoc famulo tuo , quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es, quæsumus Domine , ut placatus accipias , et propitius in eo tua dona custodias : ut , quod divino munere consecutus est, divinis effectibus exequatur ; diesque nostros in tua pace disponas ; atque ab æterna damnatione nos eripi , et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Consecratus dicit :

HAnc igitur oblationem servitutis nostræ , sed et cunctæ familiæ tuæ , quam tibi offerimus , etiam pro me famulo tuo , quem ad Episcopatus ordinem promovere dignatus es , quæsumus Domine , ut placatus accipias , et propitius in me tua dona custodias ; ut quod divino munere consecutus sum , divinis effectibus exequar ; diesque nostros in tua pace disponas ; atque ab æterna damnatione nos eripi , et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Dicta Oratione , Domine Jesu Christe , qui etc. per Consecratorem et Consecratum , Consecratus accedit ad dexteram Consecratoris , et ambo osculantur altare : tum Consecrator dat pacem Consecrato , dicens : **Pax tecum.**

Cui respondet Consecratus: Et cum spiritu tuo.

Et dat eam Assistentibus suis, seniori primo, tum alteri, singulis dicens: Pax tibi.

Et illi sibi respondent: Et cum spiritu tuo.

Deinde postquam Consecrator Corpus Domini sumpserit, non totum Sanguinem sumit, sed solum partem ejus cum particula Hostiæ in Calicem missa. Et priusquam se purificet, communicat Consecratum ante se in eodem cornu capite inclinato stantem, et non genuflectentem, prius de Corpore, tum de Sanguine: deinde purificat se, postea Consecratum. Tum abluit digitos super Calicem, et sumit etiam ablutionem, et, assumpta mitra, lavat manus.

Interim Consecratus cum Assistentibus Episcopis accedit ad posteriorem partem alterius cornu altaris, videlicet Evangelii, et ibi prosequitur Missam, sicut Consecrator in cornu Epistolæ.

Postcommunio, quæ dici debet cum Postcommunione diei sub uno Per Dominum nostrum Jesum, etc.

PLenum, quæsumus Domine, in nobis remedium tuæ miserationis operare: ac tales nos esse perfice propitius; et sic fove, ut tibi in omnibus placere valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde dicto, Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, prout tempus requirit, Consecrator dicto in medio altaris, Placeat, etc., accepta ibidem mitra, si non sit Archiepiscopus, et in sua provincia, stans versus ad altare populo solemniter benedicit, dicens: Sit nomen Domini Benedictum, etc.

Data benedictione, reponitur faldistorium ante medium altaris, et Consecrator cum mitra in eo sedet: Consecratus vero parvum biretum in capite tenens, coram eo genuflectit. Tunc Consecrator, deposita mitra, surgit, et benedicit mitram, si non sit benedicta, dicens:

Oremus.

DOmine Deus, Pater omnipotens, cujus præclara bonitas est, et virtus immensa, a qua omne datum optimum, et omne donum perfectum, totiusque decoris ornamentum: bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare dignare hanc mitram hujus famuli tui Antistitis capiti imponendam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et mox eam aspergit aqua benedicta: deinde sedens cum mitra, adjuvantibus ipsum Assistentibus Episcopis, imponit eam capiti Consecrati, dicens:

IMponimus, Domine, capiti hujus Antistitis et agonistæ tui galeam munitionis et salutis; quatenus decorata facie et armato capite, cornibus utriusque Testamenti terribilis appareat adversariis veritatis: et, te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat; qui Moysi famuli tui faciem, ex tui sermonis consortio decoratam, lucidissimis tuæ claritatis ac veritatis cornibus insignisti, et capiti Aaron Pontificis tui tiaram imponi jussisti. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde, si chirothecæ non sint benedictæ, surgit Consecrator, mitra deposita, et eas benedicit, dicens:

Oremus.

OMnipotens Creator, qui homini ad imaginem tuam condito manus discretionis insignitas, tamquam organum intelligentiæ, ad recte operandum, dedisti, quas servari mundas præcepisti, ut in eis anima digne portaretur; et tua in eis digne consecrarentur mysteria: bene ✠ dicere et sancti ✠ ficare dignare manuum hæc tegumenta; ut quicumque ministrorum tuorum sacrorum Pontificum his velare manus suas cum humilitate voluerit, tam cordis quam operis ei munditiam tua misericordia subministret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergit eas aqua benedicta. Tunc extrahitur Consecrato annulus Pontificalis, deinde sedet Consecrator, et accepta mitra, adjuvantibus Assistentibus Episcopis, imponit illas manibus Consecrati, dicens:

CIrcumda, Domine, manus hujus ministri tui munditia novi hominis, qui de cælo descendit: ut quemadmodum Jacob dilectus tuus, pelliculis hœdorum opertis manibus, paternam benedictionem, oblato patri cibo potuque gratissimo, impetravit; sic et iste, oblata per manus suas hostia salutari, gratiæ tuæ benedictionem impetrare mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui in similitudinem carnis peccati tibi pro nobis obtulit semetipsum. ℟. Amen.

Et statim imponit ei annulum Pontificalem. Tum surgit Consecrator, et accipit Consecratum per manum dexteram; et primus ex Assistentibus Episcopis per sinistram, et inthronizant eum, ponendo ipsum ad sedendum in faldistorio, de quo surrexit Consecrator: vel, si id fiat in Ecclesia propria Consecrati, inthronizant eum in sede Episcopali consueta, et Consecrator tradit ei baculum pastoralem in sinistra.

Deinde versus ad altare Consecrator, deposita mitra, stans incipit, ceteris usque ad finem prosequentibus, Hymnum:

Te Deum laudamus: * te Dominum confitemur.
Te æternum Patrem * omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli: * tibi cæli, et universæ potestates:
Tibi Cherubim et Seraphim * incessabili voce proclamant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus * Dominus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cæli et terra * majestatis gloriæ tuæ.
Te gloriosus * Apostolorum chorus:
Te Prophetarum * laudabilis numerus:
Te Martyrum candidatus * laudat exercitus:
Te per orbem terrarum * sancta confitetur Ecclesia:
Patrem * immensæ majestatis:
Venerandum tuum verum, * et unicum Filium:
Sanctum quoque * Paraclitum Spiritum.
Tu Rex * gloriæ Christe.
Tu Patris * sempiternus es Filius.
Tu ad liberandum suscepturus hominem, * non horruisti Virginis uterum.
Tu devicto mortis aculeo, * aperuisti credentibus regna cælorum.
Tu ad dexteram Dei sedes * in gloria Patris.
Judex * crederis esse venturus.
Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, * quos pretioso Sanguine redemisti.
Æterna fac cum Sanctis tuis: * in gloria numerari.
Salvum fac populum tuum Domine: * et benedic hæreditati tuæ.
Et rege eos, * et extolle illos usque in æternum.
Per singulos dies * benedicimus te.
Et laudamus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.
Dignare Domine die isto: * sine peccato nos custodire.
Miserere nostri Domine, * miserere nostri.
Fiat misericordia tua Domine super nos, * quemadmodum speravimus in te.
In te Domine speravi, * non confundar in æternum.

Incepto Hymno, Consecratus ducitur ab Assistentibus Episcopis cum mitris per Ecclesiam; et omnibus benedicit; Consecratore interim apud altare sine mitra stante in eodem loco. Cum vero Consecratus reversus fuerit ad sedem suam, seu faldistorium, iterum sedet, quousque finiatur Hymnus prædictus; Assistentes deponunt mitras, et stant apud Consecratorem.

Finito Hymno, Consecrator stans sine mitra apud sedem, seu faldistorium a parte dextera Consecrati, dicit; vel si Of-

ficium cantatur, incipit, schola prosequente, Antiphonam ton. 6. Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua: justitia et judicium præparatio sedis tuæ. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Et repetitur tota Antiphona; qua finita, Consecrator dicit:

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus omnium fidelium pastor, et rector, hunc famulum tuum, quem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice; da ei, quæsumus, verbo et exemplo, quibus præest, proficere; ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

His dictis, Consecrator, detecto capite, manet ad cornu Evangelii altaris, apud quem Assistentes stant sine mitris.

Consecratus vero surgit, et accedens cum mitra, et baculo pastorali ante medium altaris, versus ad illud, signans se cum pollice dexteræ manus ante pectus, dicit: Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Deinde faciens signum crucis a fronte ad pectus, dicit: Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

Tum elevans, ac jungens manus, et caput inclinans, dicit: Benedicat vos omnipotens Deus

Et cum dixerit Deus, vertit se ad populum, et tertio super eum signans benedicit, dicens:

Pa ✠ ter, et Fi ✠ lius, et Spiritus ✠ Sanctus. ℟. Amen.

Tum Consecrator accipit mitram, stans in cornu Evangelii, versa facie ad cornu Epistolæ: apud quem etiam stant Assistentes cum mitris, Consecratus vero accedit ad cornu Epistolæ altaris, et ibidem cum mitra et baculo genuflexus, versus ad Consecratorem, dicit cantando: Ad multos annos.

Deinde accedens ante medium altaris, ubi iterum ut prius genuflexus, dicit altius cantando: Ad multos annos.

Postea accedit ad pedes Consecratoris, ubi tertio genuflexus, ut supra, iterum altius cantando dicit: Ad multos annos.

Tum Consecrator recipit eum surgentem ad osculum pacis; et similiter faciunt Assistentes Episcopi, qui Consecratum cum mitra et baculo pastorali incedentem, et Evangelium sancti

Joannis, In principio erat Verbum, etc. dicentem, post reverentiam Cruci super altare factam, inter se medium ducentes, ad suam capellam revertuntur, ad se exuendum sacris vestibus, et interim dicit Antiph. Trium puerorum, et Cantic. Benedicite, etc. Consecrator vero, pacis osculo, ut præmittitur, Consecrato dato, dicit submissa voce: Dominus vobiscum. Initium sancti Evangelii secundum Joannem. In principio erat Verbum, etc.

Signat altare, et se; et facta similiter Cruci reverentia, apud sedem vel faldistorium deponit sacras vestes, interim etiam dicens Antiphonam, Trium puerorum, et Canticum Benedicite, etc. quibus depositis, Consecratus Consecratori et Assistentibus suis, pro more, gratias agit; et vadunt in pace omnes.

Quando Electus in Patriarcham, vel Archiepiscopum consecratur, forma præmissa in omnibus observatur, sed per hujusmodi Consecrationem non assumit sibi nomen Patriarchæ, vel Archiepiscopi, quod per traditionem Pallii dumtaxat sibi attribuitur, usque ad quam dicitur Electus, etiam post Consecrationem prædictam, prout infra dicetur. Electus vero in Episcopum, cum primum consecratus est, Episcopus vocatur, non Electus.

In anniversario Consecrationis Episcopi dicitur Missa ut in Missali Romano.

DE PALLIO.

Cum Pallium a Sede Apostolica mittitur, Pontifex, cui res ipsa committitur, statuta die cum Electo convenit in Ecclesia sua, si commode fieri potest, vel alia Ecclesia suæ diœcesis, vel Provinciæ magis commoda, in qua Missarum solemnia peragantur. Et, facta communione per celebrantem, Pallium reponitur supra medium altaris extensum, et serico, in quo involutum portatum fuit, coopertum. Deinde peractis Missarum solemniis, Pontifex indutus amictu, stola, pluviali, et mitra, sedens ante altare, super faldistorio, capit juramentum fidelitatis, nomine Sedis Apostolicæ, ab ipso Electo, omnibus Pontificalibus paramentis, ac si celebraturus esset, mitra tamen et chirothecis demptis, induto, ante se genuflexo, juxta formam per litteras Apostolicas traditam.

FORMA JURAMENTI.

EGo N. Electus Ecclesiæ N. ab hac hora in antea fidelis, etc. prout habetur in Consecratione Electi in Episcopum, pag. 44.

Expleto Juramento ab Electo, dictus Pontifex in gremio suo librum Evangeliorum ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri Electo versa, ab eo præstationem hujusmodi juramenti recipit, et Electo, adhuc coram eo genuflexo, dicente: Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Tum Pontifex respondet: Deo gratias.

Juramento præstito, Pontifex surgit cum mitra, et Pallium de altari accipit, et illud super humeros Electi adhuc ante se genuflexi imponit, dicens:

AD honorem omnipotentis Dei, et Beatæ Mariæ semper Virginis, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli, Domini nostri N. Papæ N. et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, necnon Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de corpore beati Petri sumptum: in quo est plenitudo Pontificalis officii, cum Patriarchalis, vel Archiepiscopalis nominis appellatione; ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Quo dato, Pontifex, detecto capite, vadit ad cornu Evangelii altaris; et Patriarcha, vel Archiepiscopus surgit cum Pallio, et ascendens ad altare, Crucem suam ante se habens, si sit in Ecclesia sua, vel alia suæ diœcesis, vel provinciæ, detecto capite benedicit populo solemniter dicens: Sit nomen, etc.

Qua benedictione data, dimissis in Ecclesia paramentis, omnes ad sua revertuntur.

Et quia Pontificalis officii plenitudo confertur per Pallium, antequam obtinuerit quis Pallium, licet sit consecratus, non sortitur nomen Patriarchæ, Primatis, aut Archiepiscopi; et non licet ei Episcopos consecrare, nec convocare Concilium, nec Chrisma conficere, neque Ecclesias dedicare, nec Clericos ordinare, etiam si Pallium in alia Ecclesia habuisset, cum oporteat petere novum Pallium.

Potest tamen, quando vult, Missam sine Pallio et sandaliis celebrare.

Potest etiam hujusmodi Consecrationes ante Pallii receptionem alteri committere, dummodo non sit in mora petendi Pallium.

Neque ante habitum Pallium potest Electus ante se Crucem deferre, sed tantum postea.

Nec potest Patriarcha, vel Archiepiscopus uti Pallio extra suum Patriarchatum, vel provinciam; et non omni tempore, sed tantum in Ecclesiis, in Missarum solemniis, in Festis præcipuis, non in processionibus, neque in Missis pro defunctis. Et quia Pallium est personale, ideo accommodari non potest, neque in morte alicui relinqui; sed Patriarcha, vel Archiepiscopus cum eo sepeliri debet.

DIES, QUIBUS PALLIO

UTI POTEST PATRIARCHA, SIVE ARCHIEPISCOPUS, SUNT HI:

Nativitas Domini nostri Jesu Christi.
Sancti Stephani Protomartyris.
Sancti Joannis Apostoli et Evangelistæ.
Circumcisio Domini.
Epiphania Domini.
Dominica in Palmis.
Feria quinta in Cœna Domini.
Sabbatum sanctum.
Dominica Resurrectionis cum duobus diebus sequentibus.
Dominica in Albis.
Ascensio Domini.
Dominica Pentecostes.
Festum Corporis Christi.
Festivitates quatuor beatæ Mariæ semper Virginis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, et Nativitatis.
Nativitas sancti Joannis Baptistæ.
Festum Omnium Sanctorum.
Festivitates Omnium Apostolorum.
Dedicationes Ecclesiarum.
Principales festivitates Ecclesiæ suæ.
Ordinationes Clericorum.
Consecrationes Episcoporum et Virginum.
Dies anniversarius Dedicationis Ecclesiæ;
Et Consecrationis suæ.

DE BENEDICTIONE

ABBATIS.

IN primis benedicendus provideat de mandato Apostolico, benedictionem sibi impendendam Pontifici committente.

Deinde statuta die benedictionis, quæ debet esse Dominica, vel festiva, tam ipse Pontifex, quam Electus convenit, quod die præcedenti jejunent.

In Ecclesia, ubi benedictio fiet, ornantur duæ capellæ, major pro Pontifice, minor pro Electo. In majori quidem super altari parato, ut est moris, erit Crux in medio, et ad minus quatuor candelabra. In terra ad gradus altaris erunt tapetia strata.

Paratur etiam in loco congruo credentia pro Pontifice, super quam erit mappa munda, duo candelabra, vasa ad abluendum manus cum suis mantilibus; vas cum aqua benedicta et aspersorio; thuribulum cum navicella, cochleari et incenso; ampullæ pro vino et aqua pro sacrificio; Calix, Hostiaria cum Hostiis.

Item paramenta omnia Pontificalia, coloris tempori et officio Missæ convenientis, videlicet, sandalia, amictus, alba, cingulum, crux pectoralis, stola, tunicella, dalmatica, chirothecæ, planeta, mitra auriphrygiata, annulus Pontificalis, baculus pastoralis, et manipulus.

Item paratur faldistorium ornatum pro Pontifice, et tria scabella, pro Electo et duobus Abbatibus Assistentibus, Missale, et Pontificale. Pontifex habeat tres Capellanos ad minus, cum superpelliceis, et duos scutiferos ad credentiam. In Capella vero minore pro Electo, quæ a majori debet esse distincta, paratur altare cum Cruce et duobus candelabris, et super illud Missale, et Pontificale, ac paramenta omnia Pontificalia albi coloris, ut supra pro Pontifice numerata sunt. Et hoc, si Abbas benedicendus sit de mitra, si vero non sit de mitra, parantur tantum paramenta Sacerdotalia; et ultra illa, pluviale album: prope altare sit credentia minor cum mappa munda et vasis ad abluendum manus. Ponuntur etiam quinque mappulæ æqualis mensuræ, factæ ex una canna cum dimidia panni lanei subtilis; et candelæ octo unius libræ quælibet, quarum quatuor super altare Pontificis, duæ super ejus credentiam, et duæ super altare Electi ponuntur. Annulus cum gemma benedicendus, et Electo tradendus, vestes monasticæ, seu regulares; et pro offertorio intortitia duo, quatuor librarum quodlibet; duo panes magni, et duo barilia vini: panes et barilia ornentur, duo videlicet videantur argentea, et duo aurea, hinc et inde insignia Pontificis et Monasterii, seu Electi, habentia, cum capello, vel cruce, vel mitra pro cujusque gradu et dignitate.

Adsint duo Abbates Assistentes, qui sint induti superpelliceo, stola, pluviali, et mitra simplici alba.

Hora igitur competenti Pontifex, Electus, Assistentes, et alii, qui benedictioni interesse debent, ad Ecclesiam conveniunt: et Pontifex facta oratione ante altare, ascendit ad sedem, si sit in Ecclesia sua, vel accedit ad faldistorium in Capella sua, juxta cornu altaris Epistolæ præparatum, et ibi de more paratur. Interim etiam Abbates Assistentes sua paramenta prædicta capiunt. Quibus sic paratis, Pontifex sedet cum mitra super faldistorium, ante medium altaris sibi paratum. Electus vero in habitu suo quotidiano medius inter Abbates Assistentes paratos et mitratos, Pontifici cum debitis reverentiis præsentatur, atque eidem mandatum Apostolicum traditur. Quo publice lecto per Pontificis Notarium, Electus genuflectit ante Pontificem, qui surgit, deposita mitra, et super eum dicit Orationes sequentes, nisi jam sit Professus.

℣. **Adjutorium nostrum in nomine Domini.**

℟. **Qui fecit cælum et terram.**

℣. **Dominus vobiscum.**

℟. **Et cum spiritu tuo.**

Oremus.

DEus indulgentiæ Pater, qui severitatem tuæ districtionis temperans, indulsisti ne filius portet iniquitatem patris: et qui mira dispensatione, etiam malis bene utens, tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris: quæsumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo non obsistat, quod habitum religionis per nos, tanta ac tali re indignos, accipit; sed ministerium, quod exterius per nos exhibetur, tu interius per donum Spiritus Sancti exequaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui per coæternum Filium tuum cuncta creasti, quique mundum peccatis inveteratum per mysterium sanctæ Incarnationis ejus renovare dignatus es: te suppliciter exoramus; ut ejusdem Domini nostri gratia super hunc famulum tuum, abrenuntiationem sæculi profitentem, clementer respicere digneris; per quam in spiritu suæ mentis renovatus, veterem hominem cum actibus suis exuat: et novum, qui secundum Deum creatus est, induere mereatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui es via, sine qua nemo venit ad Patrem, quæsumus clementiam tuam, ut hunc famulum tuum a carnalibus desideriis abstractum, per iter

disciplinæ regularis deducas; et qui peccatores vocare dignatus es, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego vos reficiam: præsta, ut hæc vox invitationis tuæ ita in eo convalescat, quatenus peccatorum onera deponens, et quam dulcis es, gustans, tua refectione sustentari mereatur: et sicut attestari de ovibus tuis dignatus es, agnosce eum inter oves tuas; ut ipse te agnoscat, et alienum non sequatur, sed te; neque audiat vocem aliorum, sed tuam, qua dicis: Qui mihi ministrat, me sequatur: Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

SAncte Spiritus, qui te Deum ac Dominum mortalibus revelare dignatus es, immensam tuæ pietatis gratiam postulamus: ut, sicut ubi vis spiras, sic et huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas. Et quoniam tua sapientia est conditus, tua quoque providentia gubernetur. Quem juxta tibi consuetam gratiam unctio tua de omnibus doceat; et per intercessionem sancti N quem præcipuum hujus sanctæ institutionis legislatorem dedisti, nec non et aliorum Sanctorum, ad quorum nomina professionem facit, eum a vanitate sæculi veraciter converte. Et sicut es omnium peccatorum remissio, ita deprimentes impietatis colligationes in eo dissolve; et ad observantiam hujus sancti propositi fac eum ita certatim fervere, ut in tribulationibus et angustiis tua indeficienti consolatione valeat respirare; ut juste et pie, per veram humilitatem atque obedientiam in fraterna charitate fundatus, quod te donante, hodie promittit, felici perseverantia compleat: Quod ipse præstare digneris, qui cum Deo Patre, sanctoque unigenito Filio ejus Domino nostro Jesu Christo, vivis et gloriaris Deus, per infinita sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde benedicuntur vestes, quæ novæ afferuntur, et tenentur per unum ex ministris Electi coram Pontifice, qui stans sine mitra, dicit:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui tegumen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ largitatis abundantiam, ut hoc genus vestimenti, quod sancti Patres ad innocentiæ, vel humilitatis indicium abrenuntiantes sæculo ferre sanxerunt, tu ita bene ✠ dicere digneris; ut hic famulus tuus, qui hoc indutus fuerit vestimento, te

quoque induere mereatur: Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Et aspergit vestes cum aqua benedicta. Post hæc Pontifex sedet cum mitra, et exuit Electum veste sæculari, dicens:

EXuat te Dominus veterem hominem, cum actibus suis.

Et mox induit illum habitum Monasticum, dicens:

INduat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis.

Tunc deposita mitra, surgit Pontifex, et dicit:

Oremus.

DEus misericors, Deus clemens, cui cuncta bona placent, sine quo nihil boni inchoatur, nihilque boni perficitur; adsint nostris humillimis precibus tuæ pietatis aures: et hunc famulum tuum, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ religionis imponimus, a mundi impedimento, vel sæculari desiderio defende; et concede ei, ut in hoc sancto proposito devotus persistere, et remissione peccatorum percepta, ad electorum tuorum valeat pervenire consortium. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Quibus dictis, sedet Pontifex, et imponitur sibi mitra; et Electus, professionem emissurus, junctis ante pectus manibus, coram eo genuflexus, dicit:

SUscipe me Domine secundum eloquium tuum, et vivam: et non confundas me ab expectatione mea.

Circumstantibus, vel Monachis, si sit in suo monasterio, respondentibus:

SUscepimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui. ℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Et hoc ter, tam per Electum, quam per circumstantes, repetitur. Deinde Electus ante altare et Pontificem se prosternit in terram; et dicuntur sequentes Psalmi per Pontificem sedentem cum mitra, circumstantibus respondentibus.

Psalmus 47.

MAgnus Dominus, et laudabilis nimis * in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, * latera Aquilonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur, * cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati sunt: * convenerunt in unum.

Ipsi videntes, sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: * tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis: * in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: * Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus Deus misericordiam tuam, * in medio templi tui.

Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terræ: * justitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, et exultent filiæ Judæ, * propter judicia tua Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam: * narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus: * et distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Psalmus. Miserere mei Deus. Et totus dicitur cum Gloria Patri, ut infra habetur. pag. 76.

Psalmus 132.

Ecce quam bonum, et quam jucundum * habitare fratres in unum:

Sicut unguentum in capite, * quod descendit in barbam, barbam Aaron,

Quod descendit in oram vestimenti ejus: * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, * et vitam usque in sæculum.

Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Quibus finitis, Pontifex deposita mitra, surgit, et dicit: Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui non vis mortem peccatoris, sed per pœnitentiam et emendationem, vitam semper inquiris: te suppliciter deprecamur; ut huic famulo tuo sæcularibus actibus renuntianti large tuæ pietatis gratiam infundere digneris; quatenus castris tuis insertus, ita tibi militando statum vitæ præsentis percurrere valeat, ut bravium æternæ remunerationis, te donante, percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His dictis, sedet Pontifex, et mitram accipit; ac coram eo genuflexus Electus emittens professionem, ex præscripto cujusque Congregationis, in charta scriptam, quam in manibus tenet, et legit.

Qua lecta, ponit chartam ipsam super altare; et iterum, ut prius, genuflectit coram Pontifice incipiente, et schola prosequente, Antiphonam.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem. ton. 8.

Qua dicta, Pontifex adhuc cum mitra sedens accipit eum in Congregationem et Societatem aliorum Monachorum sui Ordinis, dicens:

OMnes, quamvis per gratiam baptismi, fratres simus in Christo, et unum Patrem habeamus in cælo, si ejus præceptis, prout possumus, obsequimur; proculdubio tunc maxime unimur, quando orationibus et beneficiis invicem nos copulamus: quemadmodum in primitiva Ecclesia sancti Patres, quibus cor unum et anima una erat, fecisse leguntur, quorum plures Christi amore mente accensi, possessiones et facultates rerum vendentes, congregatis in unum pretiis, ad Apostolos ferebant gaudentes. Quæ Apostoli accipientes, tribuebant omnibus, prout opus erat. Sicque iste nihilominus, Deo inspirante, eorum exemplo commonitus, religiosorum Ordinis sancti N. optat conjungi consortiis. Idcirco damus ei communem societatem vivendi cum illis, quantum a Domino possumus promereri, et nostrum est largiri: quatenus cum Electis a remuneratore omnium bonorum valeat præmia repromissa percipere: Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Qua dicta, Pontifex et omnes Monachi præsentes recipiunt eum ad osculum pacis.

Deinde Electus vadit ad capellam suam, in qua paratur amictu, alba, cingulo, et stola in modum Presbyteri, ac pluviali; et associatus medius inter duos Abbates indutos su-

perpelliceo, stola, pluviali, et mitra simplici, si benedicendus sit de mitra; alias inter priorem et seniorem, aut duos seniores religiosos, sui, si adsunt, aut alterius Monasterii, indutos superpelliceo, et pluviali, ducitur ad Pontificem in faldistorio ante altare sedentem, cui, deposito bireto, se humiliter inclinans facit reverentiam. Assistentes etiam, detectis capitibus, illa inclinantes, Pontificem venerantur. Tum sedent omnes eo ordine, prout in Consecratione Episcopi supra dictum est. Et, postquam parum quieverint, surgunt omnes, capitibus detectis: et senior Assistentium, stans detecto capite versus ad Pontificem, dicit: **Adest, etc.** ut infra.

DE BENEDICTIONE

ABBATIS AUCTORITATE APOSTOLICA.

ADest, Reverendissime Pater, Electus Monasterii N. Ordinis sancti N. diœcesis N. quem ad vestram Reverendissimam Paternitatem, ex parte conventus ejusdem Monasterii duximus præsentandum, humiliter postulantes a Vobis, ut ipsum in Abbatem dicti Monasterii, auctoritate Apostolica vobis commissa, dignemini ordinare.

Pontifex interrogat eos, dicens: Habetis mandatum Apostolicum? Respondet ille: Habemus. Pontifex dicit: Legatur.

Tunc Notarius Pontificis, accipiens mandatum a præsentante, illud legit a principio usque ad finem. Interim omnes sedent, tectis capitibus. Quo totaliter perlecto, Pontifex dicit: Deo gratias.

Vel si benedictio fit vigore litterarum Apostolicarum, per quas etiam juramenti receptio committitur, litteris lectis, antequam Pontifex aliquid dicat, Electus de scabello suo veniens, coram Pontifice genuflectit, et legit juramentum de verbo ad verbum, juxta formam juramenti prout infra.

EGo N. Electus Monasterii N. Ordinis sancti N. diœcesis N. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Apostolo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et Domino nostro, Domino N. Papæ N. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum; seu capiantur mala captione; aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur; vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæsito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se, aut Nuntios suos, seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam.

Papatum Romanum, et Regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicæ Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia, et auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ, et successorum prædictorum, conservare, defendere, augere, et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status, et potestatis eorum machiuentur. Et, si talia a quibuscumque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro posse; et quanto citius potero, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones, et mandata Apostolica, totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Hæreticos, schismaticos, et rebelles eidem Domino nostro, vel successoribus prædictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum, veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Possessiones vero ad Monasterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Conventus Monasterii mei, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo.

Quo per eum lecto, Pontifex supra gremium suum librum Evangeliorum apertum tenens, inferiori parte libri Electo versa, ab eo præstationem hujusmodi juramenti recipit, Electo dicente:

Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Et textum Evangeliorum ambabus manibus tangente, tum, non prius, dicit Pontifex: Deo gratias.

Deinde, Electo et Assistentibus sedentibus, Pontifex intelligibili voce legit sequens examen:

Antiqua sanctorum Patrum institutio docet et præcipit, ut is, qui ad regimen animarum eligitur, examinari et interrogari debeat de diversis causis et moribus, quæ huic regimini congruunt ac necessaria sunt. Eadem igitur auctoritate, te, frater charissime, interrogamus.

Interrogatio.

Vis tuum sanctum propositum, et sancti N. regulam observare, tibique subjectos, ut idipsum faciant, diligenter instruere?

Electus assurgens, detecto capite ad istam, et ad omnes alias responsiones sequentes respondet: Volo.

Interrogatio.

Vis mores tuos ab omni malo temperare, et quantum, adjuvante Domino, poteris, ad omne bonum commutare? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis castitatem, sobrietatem, humilitatem, et patientiam, cum Dei adjutorio, in te ipso custodire, subditosque tuos talia docere? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis res Monasterii tibi commissi fideliter custodire, et in usus Ecclesiæ, fratrum, pauperum, et peregrinorum distribuere? ℟. Volo.

Interrogatio.

Vis sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ, ac Sanctissimo Domino nostro N. summo Pontifici ejusque successoribus fidem, subjectionem, obedientiam, et reverentiam devote et fideliter per omnia perpetuo exhibere? ℟. Volo.

Si vero benedicendus exemptus non est, neque auctoritate Apostolica, sed ab ordinario suo Pontifice benedicitur, post prædictas omnes interrogationes subjungitur etiam sequens; quæ alias omittitur, quando benedicendus est ab ordinaria jurisdictione exemptus.

Interrogatio.

Vis sanctæ Ecclesiæ N. (nominando Ecclesiam Patriarchalem Metropolitanam, seu Cathedralem, cujus Prælati jurisdictioni Electus Abbas, seu ejus Monasterium subjecti existunt), mihique ejusdem Patriarchæ, vel Archiepiscopo, vel Episcopo, et meis successoribus fidem, subjectionem, obedientiam, et reverentiam devote et fideliter perpetuo exhibere? ℟. Volo.

Si autem benedicendus Abbas, non exemptus auctoritate Apostolica, ab alio, quam ordinario suo Pontifice benedicitur; Pontifex benedictionem ei impensurus, loco interrogationis proxime positæ, et illa omissa, sequentem subjungit, dicens: Vis sanctæ Ecclesiæ N. (nominando Ecclesiam Patriarchalem, Metropolitanam, seu Cathedralem, cujus Pontificis jurisdictioni Electus Abbas, seu ejus Monasterium subjecti existunt), illiusque Patriarchæ, aut Archiepiscopo, vel Episcopo, ac suis successoribus fidem, subjectionem, obedientiam, et reverentiam devote et fideliter perpetuo exhibere? ℟. Volo.

Subjungit Pontifex.

Hæc omnia et cætera bona tribuat tibi Dominus, et custodiat te, atque corroboret in omni bonitate. ℟. Amen.

Tunc Electus ante Pontificem genuflexus osculatur ejus manum. Deinde deposita mitra, surgit Pontifex, et stans versus ad altare, facit Confessionem, Electo a sinistris sibi respondente. Qua finita, Pontifex ascendens ad altare, osculatur illud, et Evangelium in Missa dicendum; atque incensat altare more solito: deinde accedit ad sedem suam, et procedit in Missa usque ad Alleluja, sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ, exclusive. Si vero Missa legitur, osculato altari et Evangelio, omissa incensatione, omnia prædicta leguntur in Altari. Electus vero vadit cum Assistentibus ad Capellam suam; ubi deposito pluviali, accipit sandalia, dicens Psalmos consuetos ante Missam. Tum accipit crucem pectoralem; et aptatur ei stola, ut ab humeris dependeat; deinde sumit tunicellam, dalmaticam, planetam et manipulum: et hoc, si ex privilegio mitra uti possit; qua si uti sibi licet, et prius sit Professus, ac Missa legatur, potest accipere sandalia, et dicere Psalmum, Quam dilecta, etc. ac paramenta omnia Sacerdotalia capere, dempta planeta, cujus loco accipit pluviale, ante inchoationem officii, eo tempore, quo Pontifex eum benedicturus Pontificalia paramenta recipit. Si vero non sit de mitra, deposito pluviali, et retenta stola in modum Presbyteri, accipit planetam tantum. Qua indutus, stans in Altari suo medius inter Assistentes, prosequitur Missam usque ad Alleluja, si dicitur, sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ, exclusive. Et cum dicit, Dominus vobiscum, non se debet ad populum vertere. Missa dicitur de die cum Collecta pro Electo sub uno Per Dominum, cum Collecta diei per Pontificem.

Oratio.

Concede, quæsumus Domine, huic famulo tuo, ut prædicando et exercendo quae recta sunt, per exemplum bonorum operum animos suorum instruat subjectorum: et æternæ remunerationis mercedem a te piissimo Pastore percipiat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Electus vero, dicit Orationem.

Concede, quæsumus Domine, mihi famulo tuo, ut prædicando et exercendo quæ recta sunt, per exemplum bonorum operum animos meorum instruam subjectorum: et æternæ remunerationis mercedem a te piissimo Pastore percipiam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicto Graduali, si **Alleluja** est dicendum, alioquin dicto etiam Tractu, vel Sequentia usque ad ultimum versum exclusive, Pontifex sedet cum mitra in faldistorio suo ante altare, et ante eum reducitur Electus per Assistentes; et facta Pontifici reverentia, ut prius, surgit Pontifex, et genuflexus cum mitra procumbit in faldistorio suo. Assistentes genuflectunt ante scabella. Electus vero ad sinistram Pontificis prosternit se. Tunc cantores incipiunt, choro respondente; vel, si non sint cantores et chorus, dicit Pontifex, cæteris sibi respondentibus, Antiphonam ton. 4.

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris, Domine Deus noster.

Psalmus 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: * sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: * sed tu Domine usqueqno?

Convertere Domine, et eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui: * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem: * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei: * convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Psalmus 31.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: * et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, * nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, * dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: * conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: * et injustitiam meam non abscondi.

Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: * et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus, * in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, * ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: * exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: * firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eorum constringe, * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris, * sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, et exultate justi, * et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Psalmus 37.

DOmine, ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: * non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: * et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, * a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: * tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: * et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: * rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: * et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, * et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei * adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: * et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: * et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam : * et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens : * et non habens in ore suo radargutiones.

Quoniam in te Domine speravi : * tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi : Nequando supergaudeant mihi inimici mei : * et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum : * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo , * et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt , et confirmati sunt super me : * et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis , detrahebant mihi : * quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: * ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum , * Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri. Sicut erat , etc.

Psalmus 50.

MIserere mei Deus , * secundum magnam misericordiam tuam :

Et secundum multitudinem miserationum tuarum , * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea : * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi , et malum coram te feci : * ut justificeris in sermonibus tuis , et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti : * incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo , et mundabor : * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam : * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis : * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus : * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua : * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui : * et spiritu principali confirma me.
Docebo iniquos vias tuas : * et impii ad te convertentur.
Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ : * et exultabit lingua mea justitiam tuam.
Domine labia mea aperies : * et os meum annuntiabit laudem tuam.
Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique : * holocaustis non delectaberis.
Sacrificium Deo spiritus contribulatus : * cor contritum et humiliatum Deus non despicies.
Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion : * ut ædificentur muri Jerusalem.
Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta : * tunc imponent super altare tuum vitulos.
Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Psalmus 101.

Domine exaudi orationem meam : * et clamor meus ad te veniat.
Non avertas faciem tuam a me : * in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.
In quacumque die invocavero te, * velociter exaudi me.
Quia defecerunt sicut fumus dies mei : * et ossa mea sicut cremium aruerunt.
Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum : * quia oblitus sum comedere panem meum.
A voce gemitus mei * adhæsit os meum carni meæ.
Similis factus sum pellicano solitudinis : * factus sum sicut nycticorax in domicilio.
Vigilavi, * et factus sum sicut passer solitarius in tecto.
Tota die exprobrabant mihi inimici mei : * et qui laudabant me, adversum me jurabant.
Quia cinerem tamquam panem manducabam : * et potum meum cum fletu miscebam.
A facie iræ et indignationis tuæ : * qui elevans allisisti me.
Dies mei sicut umbra declinaverunt : * et ego sicut fœnum arui.
Tu autem Domine in æternum permanes : * et memoriale tuum in generationem et generationem.
Tu exurgens misereberis Sion : * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.
Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, * et terræ ejus miserebuntur.
Et timebunt Gentes nomen tuum Domine : * et omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion : * et videbitur in gloria sua.
Respexit in orationem humilium : * et non sprevit precem eorum.
Scribantur hæc in generatione altera : * et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.
Quia prospexit de excelso sancto suo : * Dominus de cælo in terram aspexit :
Ut audiret gemitus compeditorum : * ut solveret filios interemptorum :
Ut annuntient in Sion nomen Domini : * et laudem ejus in Jerusalem.
In conveniendo populos in unum, * et reges ut serviant Domino.
Respondit ei in via virtutis suæ : * Paucitatem dierum meorum nuntia mihi.
Ne revoces me in dimidio dierum meorum : * in generationem et generationem anni tui.
Initio tu Domine terram fundasti : * et opera manuum tuarum sunt cæli.
Ipsi peribunt, tu autem permanes : * et omnes sicut vestimentum veterascent.
Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : * tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.
Filii servorum tuorum habitabunt : * et semen eorum in sæculum dirigetur.
Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Psalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine : * Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuæ intendentes, * in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates observaveris Domine: * Domine quis sustinebit?
Quia apud te propitiatio est : * et propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo ejus : * speravit anima mea in Domino.
A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.
Quia apud Dominum misericordia : * et copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus.
Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Psalmus 142.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua : * exaudi me in tua ustitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: * quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.
Quia persecutus est inimicus animam meam: * humiliavit in terra vitam meam.
Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: * et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.
Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: * in factis manuum tuarum meditabar.
Expandi manus meas ad te: * anima mea sicut terra sine aqua tibi.
Velociter exaudi me Domine: * defecit spiritus meus.
Non avertas faciem tuam a me: * et similis ero descendentibus in lacum.
Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: * quia in te speravi.
Notam fac mihi viam, in qua ambulem: * quia ad te levavi animam meam.
Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: * propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.
Educes de tribulatione animam meam: * et in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.
Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: * quoniam ego servus tuus sum.
Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Deinde repetitur Antiphona. Ne reminiscaris Domine etc. supra ante Psalmos posita. Et subjunguntur immediate Litaniæ, quæ habentur in Ordinatione Subdiaconi. pag. 21. Cumque in iis dictum fuerit:

Ut omnibus fidelibus, etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Surgit ab accubitu Pontifex, et in manum sinistram accipit baculum pastoralem, et conversus ad Electum, dicit:

Ut hunc præsentem Electum bene ✠ dicere digneris.

℟. Te rogamus audi nos. Deinde dicit:

Ut hunc præsentem Electum bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Producendo singulis vicibus super Electum manu dexterâ signum Crucis; et mox redit ad accubitum, et perficiuntur Litaniæ: quibus finitis, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus ad Electum prostratum manentem, dicit: Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Hic accipiet benedictionem a Domino.
℟. Et misericordiam a Deo salutari suo.
℣. Memor esto congregationis tuæ.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum.
℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.
℣. Dominus custodiat te ab omni malo.
℟. Custodiat animam tuam Dominus.
℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

COncede, quæsumus omnipotens Deus, affectui nostro t miserationis effectum : et hunc famulum tuum, quem regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono prosequere, te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus. . Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus..

CUnctorum bonorum institutor Deus, qui per Moysen mulum tuum ad gubernandas Ecclesias præpositos ir tuisti : tibi supplices fundimus preces, teque devotis me bus exoramus; ut hunc famulum tuum, quem communis ctio famulorum tuorum Abbatem ovium tuarum esse co tuit, protectionis tuæ gratia munire digneris; sicque re subditas commendatasque oves concedas; ut cum illis omn regna cælorum adipiscatur: quatenus te, Domine, opitula Apostolicis jugiter fultus doctrinis, centesimo cum fructu l introeat portas paradisi; atque a te, Domine, collaud audire mereatur, Euge serve bone et fidelis, quia super ca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in dium Domini tui; Quod ipse præstare digneris, qui et regnas Deus.

Tum surgit Electus, et ante Pontificem genuflectit, Pontifex, extensis manibus ante pectus, dicit:

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, affluentem spiritum tuæ bene ✠ dictionis super hunc famulum tuum, nobis orantibus, propitius infunde.

Hic Pontifex imponit ambas manus extensas, digitis non disjunctis, super caput Electi; et eas sic tenet, dicens:

Ut qui per nostræ manus impositionem hodie Abbas constituitur, sancti ✠ ficatione tua dignus, a te electus permaneat; et numquam postmodum a tua gratia separetur indignus.

Hic Pontifex amovet manus de capite Electi, ac eas ante pectus extensas tenens, dicit:

Suscipiat, te Domine largiente, hodie in bono opere perseverantiam, in adversis constantiam, in tribulationibus tolerantiam, in jejuniis desiderium, in impietatibus misericordiam, in humilitate principatum; in superbia odium, in fide dilectionem; in doctrina pervigilantiam, in castitate continentiam, in luxuria abstinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam: te tribuente, Domine, talis in hoc ministerio perseveret, qualis Levita electus ab Apostolis sanctus Stephanus meruit perdurare: totam ab hac die mundanam conversationem despiciat: tua Domine bene ✠ dictione largiente, contemnat præsentia, diligat cælestia, desideret sempiterna: sit exemplum et forma justitiæ, ad gubernandam regendamque Ecclesiam tuam fideliter; ut speculator idoneus inter suos collegas semper efficiatur. Sit magni consilii, industria censuræ, et efficacia disciplinæ: ita, te Domine tribuente, in omnibus mandatis tuis sine reprehensione tibi mundo corde serviens, ut ad bravium supernæ vocationis, multiplicato fœnore, cum centesimo fructu, coronaque justitiæ ad cælestium thesaurorum dona tua perveniat.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen, quod a circumstantibus intelligi possit.

Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde dicit:

Oremus.

Deus, cui omnis potestas et dignitas famulatur: da huic famulo tuo prosperum suæ dignitatis effectum, in qua

semper te timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnium, Domine, fons bonorum, justorumque provectuum munerator, tribue quæsumus huic famulo tuo, adeptam bene gerere dignitatem: et a te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

EXaudi Domine preces nostras, quas in conspectu tuæ majestatis super hunc famulum tuum fundimus, qui vice tui nominis ad gubernationem ovium tuarum statuitur; ut eum respicere, et interveniente beato N. bene ✠ dicere digneris; et qui ad redemptionem et protectionem nostram de cælo descendisti, et mundo te verum et summum Pastorem exhibuisti, dicens, Ego sum Pastor bonus: te invocamus, te suppliciter deprecamur; ut huic famulo tuo, quem pastoralis officii culmen subire voluisti, tua bonitas adsit, et bene ✠ dictio omnibus diebus vitæ suæ. Protege eum, Domine, et defende ab omnibus visibilium et invisibilium adversitatibus inimicorum; dirige gressus ejus in viam pacis et justitiæ; et largire tuarum dona virtutum, justitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam, charitatem, sobrietatem, patientiam, longanimitatem, constantiam insuperabilem, fidem non fictam, spem inconcussam, mentem devotam, humilitatem perfectam, intelligentiam rectam, benignitatem, modestiam, unanimitatem, pacem, concordiam, castitatem, abstinentiam, vigilantiam, discretionem, rectitudinem, scientiam, pietatem, consilium, et in cunctis actibus bonis inviolatam perseverantiam. Aufer, Domine Jesu Christe, ab eo quidquid pravum et distortum est, quidquid saluti contrarium, quidquid animæ nocivum; superbiam, jactantiam, vanam gloriam, elationem, et quidquid ad ultimum tibi displicens esse potest. Circumda eum interius, et exterius tuæ protectionis auxilio; ut, te defensore, sit tutus; te protegente, securus; te docente, scius. Ostende ei viam, per quam ambulet; tribue ei thesaurum sapientiæ, ut sciat et habeat unde nova et vetera proferat. Fac eum in omnibus tua sequi vestigia, et de sua ministratione gaudium bonum adipisci; ut post hujus sæculi excursum, cum ante tribunal tuum venerit, cum multiplici fructu animarum, illud ei præmium largiaris cum omnibus, quos tibi præsentabit, quod fidelibus dispensatoribus tuis, pro tuo nomine laborantibus in terris, te promisisti daturum esse in cælis: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea sedens Pontifex, accepta mitra, dat ei ambabus manibus tangenti et recipienti Regulam, dicens:

ACcipe Regulam a sanctis Patribus traditam ad regendum custodiendumque gregem tibi a Deo creditum, quantum Deus ipse te confortaverit, et fragilitas humana permiserit. Accipe gregis Dominici paternam providentiam, et animarum procurationem: et per divinæ legis incedendo præcepta, sis ei dux ad cælestis hæreditatis pascua: Adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde, deposita mitra, surgit Pontifex, et stans benedicit baculum pastoralem, si non sit benedictus, dicens:

Oremus.

SUstentator imbecillitatis humanæ, Deus, bene ✠ dic baculum istum: et quod in eo exterius designatur, interius in moribus hujus famuli tui propitiationis tuæ clementia operetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit illum aqua benedicta. Tum sedens accipit mitram; et stans tradit baculum Abbati coram se genuflexo ambabus manibus illum capienti, dicens:

ACcipe baculum pastoralis officii, quem præferas catervæ tibi commissæ: ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens; et cum iratus fueris, misericordiæ memor eris.

Deinde deposita mitra, surgit Pontifex, et benedicit annulum, si non sit benedictus, dicens:

Oremus.

CReator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, tu, Domine, emitte bene ✠ dictionem tuam super hunc annulum; ut quicumque hoc sacrosanctæ fidei signo insignitus incesserit, in virtute cælestis defensionis ad æternam sibi proficiat salutem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc aspergit annulum aqua benedicta, sedet cum mitra, et annulum in digitum annularem dexteræ manus Abbatis immittit, dicens:

ACcipe annulum, fidei scilicet signaculum; quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus illibate custodias.

Tum, deposita mitra, surgit Pontifex, et stans versus ad illum coram se genuflexum, dicit:

Oremus.

TE, omnipotens et piissime Domine, deprecamur, hunc famulum tuum propitius intuere: ut gratia tua auxiliante, in sua subjectorumque conversatione præcepta sanctæ

regulæ efficaciter studeat adimplere, ut una cum commisso sibi grege perpetua potiatur beatitudine. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His expeditis, Pontifex accipit Abbatem ad osculum pacis. Idem faciunt Assistentes. Tum surgens Pontifex, accedit ad altare, si Missa legitur: si vero cantatur, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, et ibi prosequitur Missam usque ad offertorium inclusive.

Abbas autem redit cum Assistentibus ad capellam suam, et ibi in altari suo similiter Missam prosequitur usque ad Offertorium inclusive: quo dicto, Pontifex sedet ante altare in faldistorio cum mitra, et Abbas ante eum medius inter Assistentes reducitur, et coram eo genuflexus, offert ei duo intortitia accensa, duos panes, et duo barilia vino plena, et Pontificis prædicta recipientis manum reverenter osculatur; deinde surgit Abbas: Pontifex vero lavat manus, et accedit ad altare, ac prosequitur Missam; Abbas vero ante scabellum, super quod coram se habeat Missale in loco convenienti, medius inter Assistentes suos genuflexus, legit totam Missam, exceptis verbis consecrationis, quæ non proferet.

Pro Abbate benedicto, cum Secreta diei sub uno Per Dominum, per Pontificem dicitur

Secreta.

Munera nostra quæsumus Domine, suscipe placatus: et hunc famulum tuum semper et ubique misericorditer protege. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Per Abbatem dicitur

Secreta.

Munera, quæsumus Domine, suscipe placatus: et me famulum tuum semper et ubique misericorditer protege. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicta Oratione, Domine Jesu Christe, qui, etc. per Pontificem et Abbatem, Abbas accedit ad altare, ad dexteram Pontificis, et ambo osculantur altare. Tum Pontifex dat pacem Abbati, dicens: Pax tecum.

Cui Abbas respondet: Et cum spiritu tuo.

Et redit ad suum scabellum, et dat pacem Assistentibus suis; primum seniori, tum alteri, singulis dicens: Pax tecum.

Et illi respondent: Et cum spiritu tuo.

Deinde postquam Pontifex se de Corpore et Sanguine,

(quem totum sumere debet) communicaverit, et antequam se purificet, communicat Abbatem genuflexum de Corpore tantum. Tum Pontifex, accepta mitra, lavat manus: et prosequitur Missam usque ad finem. Abbas etiam in scabello suo Missam perficit.

Postcommunio, quæ dicitur sub uno **Per Dominum**, cum Postcommunione diei per Pontificem.

Postcommunio.

HÆc nos communio, Domine, purget a crimine: et hunc famulum tuum benigna pietate conservet. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Per Abbatem dicitur:

Postcommunio.

HÆc nos communio, Domine, purget a crimine: et me famulum tuum benigna pietate conservet. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Pontifex in fine dat benedictionem solemnem: qua data, si Abbas est de mitra, reponitur faldistorium ante medium Altaris, et Pontifex cum mitra in eo sedet. Abbas vero biretum in capite tenens, coram eo genuflectit. Tunc Pontifex, deposita mitra, surgit, et benedicit mitram, si non sit benedicta, dicens:

Oremus.

DOmine Deus, Pater omnipotens, cujus præclara bonitas est, et virtus immensa, a qua omne datum optimum, et omne donum perfectum, totiusque decoris ornamentum: bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare dignare hanc mitram hujus famuli tui Abbatis capiti imponendam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et mox eam aspergit aqua benedicta: deinde sedens cum mitra, imponit eam capiti Abbatis, dicens:

IMponimus, Domine, capiti hujus famuli tui Abbatis galeam munitionis, et salutis; quatenus decorata facie, et armato capite cornibus utriusque Testamenti terribilis appareat adversariis veritatis: et, te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat: qui Moysi famuli tui faciem ex tui sermonis consortio decoratam, lucidissimis tuæ claritatis ac veritatis cornibus insignisti, et capiti Aaron Pontificis tui tiaram imponi jussisti. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde, si chirothecæ non sint benedictæ, surgit Pontifex, mitra deposita, et eas benedicit, dicens:

Oremus.

OMnipotens creator, qui homini ad imaginem tuam condito, manus discretione insignitas, tamquam organum intelligentiæ ad recte operandum dedisti, quas servari mundas præcepisti, ut in eis anima digne portaretur, et tua in eis digne consecrarentur mysteria: bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare dignare manuum hæc tegumenta; ut quicumque ministrorum tuorum, sacrorum Pontificum, his velare manus suas cum humilitate voluerit, tam cordis, quam operis ei munditiam tua misericordia subministret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergit eas aqua benedicta. Deinde, accepta mitra, sedet, et imponit illas manibus Abbatis, extracto prius illi annulo Pontificali, dicens:

CIrcumda, Domine, manus hujus ministri tui munditia novi hominis, qui de cælo descendit: ut quemadmodum Jacob dilectus tuus, pelliculis hœdorum opertis manibus, paternam benedictionem, oblato patri cibo potuque gratissimo, impetravit; sic et iste, oblata per manus suas hostia salutari, gratiæ tuæ benedictionem impetrare mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui in similitudinem carnis peccati tibi pro nobis obtulit semetipsum. ℟. Amen.

Et statim imponit ei annulum. Si Abbas non sit de mitra, omnia, quæ post benedictionem, finita Missa, per Pontificem datam, posita sunt, prætermittuntur. Tum Pontifex mitram in capite tenens, campanis pulsantibus, si sit in monasterio Abbatis, ducit illum etiam mitram in capite tenentem, si sit de mitra, ad chorum; et statuens eum in sede prædecessoris sui, et dans ei baculum pastoralem in manu sinistra, dicit:

ACcipe plenam et liberam potestatem regendi hoc Monasterium et Congregationem ejus, et omnia quæ ad illius regimen interius et exterius spiritualiter et temporaliter pertinere noscuntur.

Si vero benedictio fit extra monasterium suum, Pontifex statuit illum in faldistorio, quo ipse usus est, ante medium altaris posito, dicens:

STa in justitia et sanctitate, et tene locum a Deo tibi delegatum: potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam.

Et Abbas si non sit de mitra, biretum sibi ipsi reponit.

Deinde Pontifex stans a dextris Abbatis, versus ad altare, mitra deposita, incipit Hymnum, schola, vel clericis prosequentibus.

Te Deum laudamus, ut supra 59.

Et manet sine mitra apud sedem usque ad finem Hymni.

Dicto primo versu, surgit Abbas, si sit de mitra, et circuiens per Ecclesiam, associatus a suis Assistentibus cum mitris, benedicit populo rediens ad sedem, seu faldistorium, in quo sedet: et si sit in suo monasterio, recipit omnes Monachos suos ad manus et oris osculum, qui tamen omnes prius ei reverentiam exhibeant. Si vero non sit de mitra, manet sedens in sede, seu faldistorio, cooperto capite a principio Hymni prædicti usque ad illius finem, et recipit omnes Monachos suos ad osculum, ut supra. Finito Hymno, Pontifex stans sine mitra, a dextris Abbatis cum mitra (si sit de mitra, alioquin cum bireto) sedentis, dicit super eum:

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.
℣. Salvum fac servum tuum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi, Domine, preces nostras, et super hunc famulum tuum spiritum tuæ bene ✠ dictionis emitte: ut cælesti munere ditatus, et tuæ majestatis gratiam possit acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

His dictis, Pontifex accepta mitra, vadit ad cornu Evangelii altaris: apud quem stant Assistentes cum mitris. Abbas vero, si sit de mitra, surgit cum mitra, et baculo pastorali, et accedens ante medium altaris, populo solemniter benedicit, dicens: Sit nomen, etc.

Postea accedit ad cornu Epistolæ altaris, et ibidem cum mitra et baculo genuflexus, versus ad Pontificem, dicit cantando: Ad multos annos.

Si vero non sit de mitra, omissa benedictione, dicit:

Ad multos annos, ut supra dictum est: quo dicto, Pontifex recipit eum surgentem ad osculum pacis. Idem faciunt Assistentes, qui deinde Abbatem Evangelium sancti Joannis, In principio erat Verbum, etc. dicentem, inter se medium ad ejus capellam reducunt, cum mitra (si ea utitur), et baculo pastorali incedentem. Pontifex vero pacis osculo, ut præmittitur, Abbati dato, dicit submissa voce: Dominus vobiscum. Initium sancti Evangelii secundum Joannem. Signat altare et se; et apud sedem, vel faldistorium deponit sacras vestes. Quibus depositis, Abbas Pontifici et Assistentibus, pro more, gratias agit, et vadunt in pace omnes.

DE BENEDICTIONE

ABBATIS AUCTORITATE ORDINARII.

Benedicendus Abbas, si non sit provisus a Sede Apostolica, sed per Ordinarium suum, aut ejus auctoritate benedicitur, die statuto pro ejus benedictione, ordinantur omnia, quæ supra, in benedictione Abbatis auctoritate Apostolica, posita sunt. Deinde Pontifex accipit omnia Pontificalia paramenta: et sedet cum mitra in faldistorio ante medium altaris præparato. Electus vero in sua capella indutus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali, ac sandaliis, si illis ex privilegio uti possit, et Missa legenda sit, ducitur medius inter duos Abbates Assistentes, superpelliceo, stola, pluviali, et mitra indutos, si sint ad hoc privilegiati, coram Pontifice: cui facta reverentia debita, Electus prosternit se in terram, ante medium altaris: et Pontifex, deposita mitra, surgit, et incipit, schola prosequente, Antiphonam ton. 8. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Qua finita, incipit, et dicit cum Assistentibus usque ad finem Psalmum sequentem: quo incepto, sedet cum mitra.

Psalmus 67.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: * et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

Sicut deficit fumus, deficiant: * sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei: * et delectentur in lætitia.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: * iter facite ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus, * turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, et judicis viduarum.

Deus in loco sancto suo: * Deus qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: * similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.

Deus cum egredereris in conspectu populi tui: * cum pertransires in deserto;

Terra mota est, etenim cæli destillaverunt a facie Dei Sinai; * a facie Dei Israel.

Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ: * et infirmata est, tu vero perfecisti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: * parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus * virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: * et speciei domus dividere spolia.

Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ,* et posteriora dorsi ejus in pallore auri.

Dum discernit cælestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon: * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: * ut quid suspicamini montes coagulatos?

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: * etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: * Dominus in eis in Sina in sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: * accepisti dona in hominibus.

Etenim non credentes, * inhabitare Dominum Deum.

Benedictus Dominus die quotidie: * prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

Deus noster, Deus salvos faciendi: * et Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringent capita inimicorum suorum: * verticem capilli perambulantium in delictis suis.

Dixit Dominus: Ex Basan convertam, * convertam in profundum maris:

Ut intingatur pes tuus in sanguine: * lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.

Viderunt ingressus tuos Deus, * ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, * in medio juvencularum tympanistriarum.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino, * de fontibus Israel.

Ibi Beniamin adolescentulus, * in mentis excessu.
Principes Juda, duces eorum: * principes Zabulon, principes Nephtali.
Manda Deus virtuti tuæ: * confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
A templo tuo in Jerusalem, * tibi offerent reges munera.
Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: * ut excludant eos, qui probati sunt argento.
Dissipa Gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: * Æthiopia præveniet manus ejus Deo.
Regna terræ cantate Deo: * psallite Domino.
Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli, * ad Orientem.
Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: * magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.
Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ: * benedictus Deus.
Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Deinde repetitur Antiphona. Tum deposita mitra, surgit Pontifex, et stans versus ad Electum, dicit:

℣. Salvum fac servum tuum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Memor esto congregationis tuæ.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super hunc famulum tuum, et super congregationes illi commissas spiritum gratiæ salutaris: et, ut in veritate tibi placeat, perpetuum ei rorem benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde surgit Electus, et una cum Assistentibus coram Pontifice genuflectit; et prior Assistentium dicit Pontifici:

ADest, Reverendissime Pater, Electus Monasterii N. quem ad vestram Reverendissimam Paternitatem ex parte Con-

ventus ejusdem monasterii duximus præsentandum, humiliter postulantes a Vobis, ut ipsum in Abbatem dicti monasterii dignemini ordinare.

Tunc Pontifex interrogat eos, dicens:

Scitis illum esse dignum?

℟. Scimus et testificamur ipsum dignum esse.

Interrogatio.

Fuit ejus electio canonice concorditer celebrata? ℟. Fuit.

Pontifex dicit: Deo gratias.

Quo dicto, surgunt omnes, et sedent in suis scabellis, et Pontifex prosequitur examen, dicens: Antiqua sanctorum Patrum, etc. et omnia alia fiunt, prout supra, pag. 71. in benedictione Abbatis auctoritate Apostolica posita sunt.

Finito examine, et manu Pontificis per Electum osculata, idem Electus ante Pontificem genuflexus, coram se tenens schedulam scriptam, et suo pendenti sigillo sigillatam, debitæ fidelitatis juramentum Pontifici, Ordinario suo, præstat in hunc modum:

EGo N. monasterii N. ordinandus Abbas promitto coram Deo et Sanctis ejus, et hac solemni fratrum congregatione, fidelitatem, dignamque subjectionem, obedientiam, et reverentiam matri meæ Ecclesiæ N. (nominando Ecclesiam, cujus jurisdictioni ordinariæ subjectus existit), Tibique N. Domino meo, ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ, vel Archiepiscopo, aut Episcopo, et successoribus tuis, secundum sacrorum Canonum instituta, et prout præcipit inviolabilis auctoritas Pontificum Romanorum.

Deinde librum Evangeliorum, quem Pontifex super genua sua tenet apertum, inferiori parte ejusdem libri Electo versa, quem ipse Electus, ambabus manibus supra scripturam positis, tangit, dicens: Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Tum schedulam ipsam Pontifici tradit: qui illa recepta, et mitra deposita, surgit, et facit Confessionem; et proceditur in omnibus et per omnia, prout supra ordinatum est, pag. 73.

DE BENEDICTIONE
ABBATISSÆ.

ELecta in Abbatissam, et confirmata, benedici debet in die Dominico, vel aliis, quibus consecrantur Virgines, si non est prius consecrata et velata; alioquin fieri potest qua-

libet die hoc modo. Pontifex paratus omnibus Pontificalibus ornamentis apud altare majus paratum, cum sua credentia et rebus consuetis, procedit in Missa usque ad Alleluja, si dicitur; sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ, exclusive. Interim Electa in veste sua audiat Missam in choro, quæ dici debet de die, cum Collecta pro Electa, sub uno Per Dominum, ut infra, Pontifice celebrante.

Oratio.

DA, quæsumus Domine, huic famulæ tuæ, quam virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis consummatum effectum: et ut perfectam tibi offerat plenitudinem, initia sua perducere mereatur ad finem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicto Graduali, seu Tractu, vel Sequentia, usque ad ultimum versum exclusive, Pontifex accedit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedet cum mitra. Electa vero e monasterio egressa, associata a duabus matronis senioribus, ac velo ante faciem demisso, Pontifici præsentata, coram eo genuflexa, in manibus habens schedulam scriptam, et suo pendenti sigillo sigillatam, debitæ fidelitatis juramentum præstat Pontifici suo Ordinario, in hunc modum.

EGo N. monasterii N. ordinanda Abbatissa, promitto coram Deo et Sanctis ejus, et hac solemni sororum congregatione, fidelitatem, dignamque subjectionem, obedientiam, et reverentiam matri meæ Ecclesiæ N. (nominando Ecclesiam, cujus jurisdictioni ordinariæ subjecta existit), Tibique N. Domino meo ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ, vel Archiepiscopo, aut Episcopo, et successoribus tuis, secundum sacrorum Canonum instituta, et prout præcipit inviolabilis auctoritas Pontificum Romanorum.

Si vero fuerit exempta, ita præstabit juramentum.

Ego N. monasterii N. Ordinis sancti N. diœcesis N. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro Apostolo, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et Domino nostro, Domino N. suisque successoribus canonice intrantibus, et Tibi, vel pro tempore existenti meæ religionis Superiori, secundum Regulam sancti Patris nostri N. et prædicti Ordinis constitutiones.

Deinde librum Evangeliorum, quem Pontifex super genua sua tenet apertum, interiori parte ejusdem libri Electæ versa, quem ipsa Electa, ambabus manibus supra scripturam positis, tangit, dicens:

Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Tum schedulam ipsam Pontifici tradit, qui surgit cum mitra, et super faldistorium procumbit. Electa vero prosternit se super tapete ad ejus sinistram; et chorus dicat Litanias, prout supra. pag. 21. in quibus cum dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus, etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Pontifex surgit cum mitra, et baculum pastoralem in sinistra tenens, versus ad Electam dicit:

Ut hanc præsentem Electam bene ✠ dicere digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Deinde dicit:

Ut hanc præsentem Electam bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Tum iterum procumbit, et perficiuntur Litaniæ; quibus finitis, surgit Pontifex, Electa adhuc prostrata manente; et stans versus ad illam, deposita mitra, dicit:

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvam fac ancillam tuam Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Hæc accipiet benedictionem a Domino.
℟. Et misericordiam a Deo salutari suo.
℣. Memor esto congregationis tuæ.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Dominus custodiat te ab omni malo.
℟. Custodiat animam tuam Dominus.
℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Concede quæsumus omnipotens Deus, affectui *nostro tuæ miserationis effectum: et hanc famulam tuam, quam ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono prosequere; ut, te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

CUnctorum bonorum institutor Deus, qui per Moysen famulum tuum ad gubernandas Ecclesias præpositos instituisti, tibi supplices fundimus preces, teque devotis mentibus exoramus: ut hanc famulam tuam, quam communis electio famularum tuarum Abbatissam ovium tuarum esse constituit, protectionis tuæ gratia munire digneris; sicque regere subditas commendatasque oves concedas; ut cum illis omnibus regna cælorum adipiscatur; quatenus, te, Domine, opitulante, Apostolicis jugiter fulta doctrinis, centesimo cum fructu læta introeat portas paradisi; atque a te, Domine, collaudante audire mereatur, Euge serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui: Quod ipse præstare digneris, qui vivis et regnas Deus.

His dictis, Electa surgit, et ante Pontificem genuflectit, qui prosequitur, manus ante pectus extensas tenens, dicens: Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, affluentem spiritum tuæ bene ✠ dictionis super hanc famulam tuam, nobis orantibus, propitius infunde.

Pontifex imponit ambas manus extensas, digitis tamen non disjunctis, super caput Electæ, et eas sic tenet, prosequendo: Et quæ per nostræ manus impositionem hodie Abbatissa constituitur, sancti ✠ ficatione tua digna, a te electa permaneat; et numquam postmodum a tua gratia separetur indigna.

Pontifex amovet manus de capite Electæ, prosequens, ante pectus eas extensas tenens:

Suscipiat, te Domine largiente, hodie in bono opere perseverantiam, in adversis constantiam, in tribulationibus tolerantiam, in jejuniis desiderium, in impietatibus misericordiam, in humilitate principatum, in superbia odium, in fide dilectionem, in doctrina pervigilantiam, in castitate continentiam, in luxuria abstinentiam, in varietatibus moderationem, in moribus doctrinam: te auxiliante, Domine, talis in hoc ministerio perseveret, qualis Levita electus ab Apostolis sanctus Stephanus meruit perdurare: totam ab hac die mundanam conversationem despiciat; tua, Domine, bene ✠

dictione largiente, contemnat præsentia, diligat cælestia, desideret sempiterna: sit exemplum et forma justitiæ, ad gubernandam regendamque Ecclesiam tuam fideliter; ut specularix idonea inter suas collegas semper efficiatur: sit magni consilii, industria censuræ, et efficacia disciplinæ: ita, te, Domine, tribuente, in omnibus mandatis tuis sine reprehensione tibi mundo corde serviens, ut ad bravium supernæ vocationis, multiplicato fœnore, cum centesimo fructu coronaque justitiæ, ad cælestium thesaurorum dona tua perveniat.

Quod sequitur, dicit submissa voce, ita tamen, quod a circumstantibus audiatur.

Præstante Domino nostro Jesu Christo: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Tum Pontifex adhuc sine mitra, ut supra, stans dicit:

Oremus.

DEus, cui omnis potestas et dignitas famulatur: da huic famulæ tuæ prosperum suæ dignitatis effectum, in qua semper te timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnium, Domine, fons bonorum justorumque provectuum munerator: tribue quæsumus huic famulæ tuæ, adeptam bene gerere dignitatem; et a te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

COncede, quæsumus omnipotens Deus, famulæ tuæ, ut ostendendo et exercendo quæ recta sunt, per exemplum bonorum operum animas suarum instruat subjectarum; et æternæ remunerationis mercedem a te piissimo Pastore percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui sororem Moysi Mariam, præeuntem cum cæteris mulieribus inter æquoreas undas cum tympanis et choris, lætam ad littus maris venire fecisti: te supplices deprecamur, pro hac fideli famula tua, quæ hodie super universas sibi subditas Abbatissa constituitur; ut ita monastica, vel canonica norma tueatur cunctas famulas tuas sibi commissas, quatenus ad æternam gloriam, te auxiliante, cum omnibus illis introeat læta, ibique exultans cum Angelis, canens cantica nova, sequatur Agnum quocumque ierit, Jesum Christum Dominum nostrum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum sedet Pontifex, accepta mitra, et tradit Abbatissæ coram se genuflexæ in manibus regulam, dicens:

Accipe regulam a sanctis Patribus traditam, ad regendum custodiendumque Gregem tibi a Deo commissum, quantum Deus ipse te confortaverit, et fragilitas humana permiserit. Accipe gregis Dominici maternam providentiam, et animarum procurationem; et per divinæ legis incedendo præcepta, sis ei dux ad cælestis hæreditatis pascua: Adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde, si prius, dum erat Monialis, non fuit velata, Pontifex, deposita mitra, surgit, et benedicit velum, quod per unum ex ministris coram eo tenetur, dicens:

Oremus.

Suppliciter te, Domine, rogamus, ut super hanc vestem ancillæ tuæ capiti imponendam, bene ✠ dictio tua benigna descendat; et sit vestis hæc benedicta, consecrata, immaculata, et sancta. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Caput omnium fidelium, Deus, et totius corporis salvator, hoc operimentum velaminis, quod famula tua propter tuum, tuæque Genitricis beatissimæ Virginis Mariæ amorem suo capiti est impositura, dextera tua sancti ✠ fica: et hoc, quod per illud mystice datur intelligi, tua semper custodia, corpore pariter, et animo incontaminato, custodiat; ut, quando ad perpetuam Sanctorum remunerationem venerit, cum prudentibus et ipsa virginibus præparata, te perducente, ad sempiternæ felicitatis nuptias introire mereatur: Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit velum ipsum aqua benedicta. Tum sedens, accepta mitra, imponit illud super caput Abbatissæ, ita ut dependat super scapulas, et ante pectus, et usque ad oculos, sic dicens:

Accipe velamen sacrum, quo cognoscaris mundum contempsisse, et te Christo Jesu veraciter humiliterque, toto cordis annisu, sponsam perpetualiter subdidisse, qui te ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam. ℟. Amen.

Si vero Abbatissa prius velata fuit, omittuntur prædicta. His finitis, surgunt omnes, et Pontifex procedit in Missa, quam Abbatissa in loco ad partem audit. Incepto a choro Offertorio, et per Pontificem lecto, sedet Pontifex in faldi-

storio ante medium altaris, accepta mitra; et Abbatissa, præcedentibus eam duobus famulis duo intortitia accensa portantibus, venit de loco suo, associata a duabus matronis, et coram Pontifice genuflectit; ac ei successive dicta duo intortitia offert; et Pontificis ea recipientis manum osculatur; tum ad locum suum revertitur.

Pontifex vero manus lavat, surgit deposita mitra, et Missam prosequitur.

Secreta.

OBlatis hostiis, quæsumus Domine, præsenti famulæ tuæ perseverantiam perpetuæ virginitatis accommoda: ut apertis januis, summi Regis adventu, regnum cæleste cum lætitia mereatur intrare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postquam Pontifex se communicaverit, Abbatissam communicet. Tum, accepta mitra, lavat manus; deinde prosequitur Missam usque ad benedictionem exclusive.

Postcommunio.

RESpice, Domine, famulæ tuæ tibi debitam servitutem: ut inter humanæ fragilitatis incerta, nullis adversitatibus opprimatur, quæ de tua protectione confidit. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicto, **Ite Missa est**, vel **Benedicamus Domino**, et **Placeat**, etc.

Pontifex cum mitra inthronizat Abbatissam in sede; et si sit in proprio monasterio, dicit:

ACcipe plenam et liberam potestatem regendi hoc monasterium, et congregationem ejus, et omnia quæ ad illius regimen interius et exterius, spiritualiter et temporaliter pertinere noscuntur.

Si vero benedictio fit extra monasterium suum, Pontifex dicit:

STa in justitia et sanctitate, et tene locum a Deo tibi delegatum: potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam.

Tunc Pontifex stans a dextris Abbatissæ, versus ad altare, mitra deposita, incipit cantando, schola prosequente, Hymnum.

Te Deum laudamus, ut supra. pag. 59.

Et dicitur totus; et Pontifex manet sine mitra apud sedem usque ad finem Hymni. Interim dum cantatur Hymnus, Ab-

batissa revertitur ad monasterium, associata, ut supra, et a Monialibus senioribus excipitur intra portam, atque ad chorum perducitur; ubi Moniales omnes faciunt ei reverentiam, singulariter genuflexæ ante illam, et recipiuntur ab ea benigne ad osculum. Finito Hymno, Pontifex stans sine mitra, sedente Abbatissa in sede sua in choro, super eam dicit:

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.
℣. Salvam fac ancillam tuam Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

FAmulam tuam, Domine, custodia muniat pietatis: ut virginitatis sanctæ propositum, quod, te inspirante, suscepit, te protegente illæsum custodiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex assumpta mitra, benedicit solemniter populo, dicens: **Sit nomen Domini**, etc.

Et benedictione data, vadunt omnes in pace.

DE BENEDICTIONE

ET CONSECRATIONE VIRGINUM.

BEnedictio et consecratio Virginum fieri debet in Epiphania Domini, vel in Albis Paschalibus, aut in Natalitiis Apostolorum, seu in Dominicis diebus. Die vero præcedenti, hora vespertina, vel etiam mane, antequam Pontifex ad Missam se paret, in loco convenienti, præsentantur ei Virgines benedicendæ; qui de earum ætate et proposito singulariter singulas, videlicet, an annum vigesimum quintum compleverint, si voluntatem et propositum servandæ virginitatis habeant, diligenter inquirit; et insuper seorsum cum qualibet de vita, et conscientia, et carnis integritate. Quo facto super altari in cornu Epistolæ locantur pro Virginibus benedicendis vestes, vela, annuli, et torques, sive coronæ, tem-

pore suo Virginibus tradenda. Deputantur paranymphæ matronæ seniores, et propinquæ earum, quæ Virgines associant et præcedunt, collocant, et deducunt ad Pontificem, et reducunt. Ordinatur etiam in Ecclesia papilio, aut alius locus conveniens paratur, in quo Virgines ipsæ conveniunt, et suo tempore se vestiunt benedictis vestibus. Post hæc, hora congrua, Pontifex paratus omnibus Pontificalibus paramentis, procedit more consueto ad Missam, et in ea usque ad Alleluja, sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ, exclusive.

Missa dicitur de die, cum Collecta pro Virginibus, sub uno Per Dominum.

Oremus.

DA, quæsumus Domine, his famulabus tuis, quas virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis consummatum effectum: et, ut perfectam tibi offerant plenitudinem, initia sua perducere mereantur ad finem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Dicto Graduali, Tractu, vel Sequentia usque ad ultimum versum exclusive, Pontifex sedet cum mitra super faldistorium, ante medium altaris præparatum. Virgines vero in vestibus, quibus in Monasterio usæ sunt, sine velis, sine mantellis, et sine cucullis e monasterio egressæ, associatæ singulæ a duabus matronis senioribus et propinquis, ac velis ante faciem demissis, Ecclesiam ingrediuntur; et Archipresbyter superpelliceo et pluviali indutus cantat, competenti voce, hanc Antiphonam ton. 4.

Prudentes Virgines aptate vestras lampades: ecce sponsus venit, exite obviam ei.

Virgines vero audientes vocem Archipresbyteri, et accendentes cereos suos, progrediuntur binæ et binæ. Archipresbyter vero præcedens statuit eas extra chorum, ut facies ad altare majus vertant, et Pontificem coram altari sedentem possint videre, et ipse eas. Tunc idem Archipresbyter, in parte Virginum stans, dicit competenti voce, in tono lectionis, ad Pontificem, Virginibus genuflectentibus:

REverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut has præsentes Virgines dignemini benedicere, et consecrare, ac Domino nostro Jesu Christo, summi Dei Filio desponsare.

Pontifex interrogat; dicens: Scis illas dignas esse? Respondet Archipresbyter:

Quantum humana fragilitas nosse sinit, credo, et testificor illas dignas esse.

*

Tunc Pontifex adhuc sedens cum mitra, dicit ad circumstantes:

AUxiliante Domino Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus has præsentes Virgines benedicere, et consecrare, ac Domino nostro Jesu Christo, summi Dei Filio, desponsare.

Deinde Pontifex vocat Virgines in cantu, dicens: Venite.

Virgines respondent: Et nunc sequimur.

Surgentes mox seriatim veniunt usque ad introitum chori, exterius tamen genua flectentes.

Tunc Pontifex eas secundo altius vocat in cantu, dicens: Venite.

Virgines surgentes respondent similiter in cantu, dicentes: Et nunc sequimur in toto corde.

Deinde usque ad medium chori procedunt, et ibi genua flectunt. Tunc Pontifex tertio altius vocat eas in cantu, dicens: Venite filiæ, audite me: timorem Domini docebo vos.

Virgines vero surgentes respondent cantantes Antiphonam: Et nunc sequimur in toto corde, timemus te, et quærimus faciem tuam videre: Domine, ne confundas nos, sed fac nobis juxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ.

Et præmissa cantantes Virgines, magis appropinquantes; ascendunt in Presbyterium: ubi omnes coram Pontifice genuflectunt; et capita profunde, quasi usque ad terram, inclinant. Deinde singulæ successive caput aliquantulum erigentes, cantant etiam hunc versum:

SUscipe me, Domine, secundum eloquium tuum; ut non dominetur mei omnis injustitia.

Quo per singulas dicto, surgunt omnes: et a matronis prædictis seriatim ordinantur, stantes ibidem in modum coronæ coram Pontifice, congruo tamen spatio distantes ab eo. Tunc Pontifex hortatur illas publice ad amplectendum et servandum sanctæ Virginitatis propositum; et mox interrogat eas palam et communiter, dicens: Vultis in sanctæ Virginitatis proposito perseverare?

Et singulæ respondent: Volumus.

Tunc unaquæque singillatim genuflectit coram eo, et immissis manibus junctis inter ambas manus Pontificis, Pontifex interrogat quamlibet, dicens: Promittis te Virginitatem perpetuo servare?

Respondet illa: Promitto.

Et Pontifex dicit: Deo gratias.

Illa vero osculatur manus Pontificis, surgitque, et ad suum

locum revertitur, et genuflectit. Omnibus autem sic per ordinem expeditis, et ad sua loca reversis, et genuflexis, Pontifex communiter omnes interrogat, dicens: Vultis benedici, et consecrari, ac Domino nostro Jesu Christo, summi Dei Filio, desponsari?

Respondent omnes: Volumus.

Post hæc Pontifex ante altare super faldistorium procumbit cum mitra; et ministri hinc et inde genuflectunt; Virgines vero post Pontificem super tapetia, in modum coronæ, se prosternunt; et cantores incipiunt, et prosequuntur Litanias ut supra, pag. 21. Et postquam dictum fuerit, et a choro responsum:

Ut omnibus fidelibus, etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Pontifex surgit cum mitra, et vertens se ad Virgines prostratas, tenens baculum pastoralem in sinistra, in pristino tono dicit, primo:

UT præsentes ancillas tuas bene ✠ dicere digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Ut præsentes ancillas tuas bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, Pontifex redit ad accubitum, cantoribus Litanias, ubi dimiserant, reassumentibus et perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, et dicitur Hymnus: Veni, Creator Spiritus, etc. ut supra, pag. 36.

Pontifice, sine mitra ante altare genuflexo, incipiente, et choro illum prosequente usque ad finem: primo versu dicto, Pontifice surgente, et usque ad finem ejusdem Hymni sine mitra stante. Hymno dicto, Virgines ad papilionem, seu ad alium locum idoneum proximiorem, ad hoc ordinatum, revertuntur. Pontifex vero coram altari stans, deposita mitra, benedicit Virginum vestes, dicens:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, æternorum bonorum fidelissime promissor, certissime persolutor, qui vestimentum salutis, et indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promisisti: clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta, humilitatem cordis, et contemptum mundi significantia, quibus famulæ tuæ sancto visibiliter sunt informandæ proposito, propitius bene ✠ dicas; ut beatæ castitatis habitum, quem, te inspirante, suscipiunt, te protegente custodiant; et quas venerandæ vestibus promissionis induis temporaliter, beata facias im-

mortalitate vestiri. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine Deus bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, te obnixis precibus deprecamur: ut has vestes bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, quas famulæ tuæ pro indicio cognoscendæ religionis induere se volunt; ut inter reliquas fæminas tibi cognoscantur dicatæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

EXaudi, omnipotens Deus, preces nostras: et has vestes, quas famulæ tuæ ad seipsas operiendas exposcunt, uberrimæ benedictionis imbre perfunde, sicut perfudisti oram vestimentorum Aaron, benedictione unguenti, profluentis a capite in barbam; et sicut benedixisti vestes omnium religiosorum tibi per omnia placentium, ita eas bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris: ac præsta, clementissime Pater, ut supradictis famulabus tuis sint hæ vestes salutis protectio, hæ cognitio religionis, hæ initium sanctitatis, hæ contra omnia tela inimici robusta defensio; ut centesimi muneris opulentia, perseverante continentia, ditentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et vestes aqua benedicta aspergit, quæ portantur Virginibus ad locum, ad quem divertunt: ubi dimissis quotidianis vestibus, induunt benedictas. Pontifex autem stans, ut supra, benedicit vela Virginum, dicens:

Oremus.

SUppliciter, te Domine, rogamus, ut super has vestes ancillarum tuarum capitibus imponendas bene ✠ dictio tua benigna descendat: et sint hæ vestes benedictæ, consecratæ, immaculatæ, et sanctæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

CAput omnium fidelium Deus, et totius corporis salvator, hæc operimenta velaminum, quæ famulæ tuæ propter tuum, tuæque Genitricis beatissimæ Virginis Mariæ amorem suis capitibus sunt impositura, dextera tua sancti ✠ fica; et hoc, quod per illa mystice datur intelligi, tua semper custodia, corpore pariter et animo incontaminato custodiant: ut quando ad perpetuam Sanctorum remunerationem venerint, cum prudentibus et ipsæ Virginibus præparatæ, te perducente, ad sempiternæ felicitatis nuptias introire mereantur: Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Et vela ipsa aqua benedicta aspergit. Post hæc stans adhuc, ut supra, Pontifex benedicit annulos, dicens:

Oremus.

Creator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritualis, et largitor humanæ salutis: tu, Domine, emitte bene ✠ dictionem tuam super hos annulos; ut quæ eos gestaverint, cælesti virtute munitæ, fidem integram, fidelitatemque sinceram teneant; sicut sponsæ Christi virginitatis propositum custodiant, et in castitate perpetua perseverent. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et aqua benedicta eos aspergit. Tum stans adhuc sine mitra Pontifex, benedicit torques, sive coronas, dicens:

Oremus.

Bene ✠ dic, Domine, ornamenta ista: et præsta per invocationem tui nominis, ut quæcumque ea portaverint, si tibi fideliter servierint, coronam, quam illa designant, in cælo percipere mereantur: Qui in Trinitate perfecta vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde eas aqua benedicta aspergit. His expletis, Virgines, benedictis vestibus, exceptis velis, indutæ, binæ, et binæ seriatim redeunt ad Pontificem, cantantes Responsorium ton. 5,

Regnum mundi, et omnem ornatum sæculi contempsi propter amorem Domini nostri Jesu Christi: * Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi.

℣. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. * Quem vidi.

Tum disponuntur a paranymphis ante altare genuflexæ coram Pontifice in modum coronæ, vultibus demissis. Pontifex vero surgit, mitra deposita, et versus ad eas, dicit:

Oremus.

Respice, Domine, propitius super has famulas tuas: ut sanctæ virginitatis propositum, quod, te inspirante susceperunt, te gubernante custodiant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Deinde dicit, competenti voce, extensis manibus ante pectus, Præfationem:

Per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, castorum corporum benignus habitator, et incorruptarum Deus amator animarum: qui humanam substantiam, in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primæ originis innocentiam revoces, sed etiam ad experientiam æternorum bonorum, quæ novo in sæculo sunt habenda, perducas; et obstrictos adhuc conditione mortalium, jam ad similitudinem provehas Angelorum. Respice, Domine, super has famulas tuas, quæ in manu tua continentiæ suæ propositum collocantes, tibi devotionem suam offerunt, a quo et ipsæ vota assumpserunt. Quomodo enim animus mortali carne circumdatus, legem naturæ, libertatem licentiæ, vim consuetudinis, et stimulos ætatis evinceret, nisi tu, Deus, per liberum arbitrium hunc in eis amorem virginitatis clementer accenderes; tu hanc cupiditatem in earum cordibus benignus aleres; tu fortitudinem ministrares? Effusa namque in omnes Gentes gratia tua ex omni natione, quæ sub cælo est, in stellarum innumerabilem numerum, novi Testamenti hæredibus adoptatis, inter cæteras virtutes, quas filiis tuis non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed de Spiritu Sancto tuo genitis indidisti, etiam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit; ut cum honorem nuptiarum nulla interdicta minuissent, ac super sanctum conjugium nuptialis beuedictio permaneret, existerent tamen sublimiores animæ, quæ in viri ac mulieris copula fastidirent connubium, concupiscerent Sacramentum, nec imitarentur quod nuptiis agitur, sed diligerent quod nuptiis prænotatur. Agnovit auctorem suum beata virginitas, et æmula integritatis Angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo se devovit, qui sic perpetuæ virginitatis est sponsus, quemadmodum perpetuæ virginitatis est filius. Implorantibus ergo auxilium tuum Domine, et confirmari se benedictionis tuæ consecratione cupientibus, da protectionis tuæ munimen, et regimen, ne hostis antiquus, qui excellentiora studia subtilioribus infestat insidiis, ad obscurandam perfectæ continentiæ palmam, per aliquam mentis serpat incuriam, et rapiat de proposito virginum, quod etiam moribus decet inesse nuptarum. Sit in eis, Domine, per donum Spiritus tui prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas. In charitate ferveant, et nihil extra te diligant. Laudabiliter vivant, laudarique non appetant. Te in sanctitate corporis, te in animæ suæ puritate glorificent.

Amore te timeant, amore tibi serviant. Tu eis sis honor, tu gaudium, tu voluntas; tu in mœrore solatium; tu in ambiguitate consilium; tu in injuria defensio; in tribulatione patientia; in paupertate abundantia; in jejunio cibus; in infirmitate medicina. In te habeant omnia, quem diligere appetant super omnia; per te, quod sunt professæ, custodiant. Scrutatori pectorum non corpore placituræ, sed mente, transeant in numerum puellarum sapientum, ut cælestem sponsum, virtutum accensis lampadibus, cum oleo præparationis expectent; nec turbatæ improviso Regis adventu, sed securæ, cum lumine, et præcedentium Virginum choro junctæ, jucundanter occurrant. Et ne excludantur cum stultis, sed regalem januam cum sapientibus Virginibus licenter introeant, et in Agni tui perpetuo comitatu probabiles mansura castitate permaneant. Quatenus centesimi fructus, dono virginitatis decorari, te donante, mereantur.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiatur.

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex, accepta mitra, incipit, schola prosequente, Responsorium ton. 2.

Veni, Electa mea, et ponam in te thronum meum: * Quia concupivit rex speciem tuam.

℣. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam. * Quia.

Incepto Responsorio, sedet Pontifex cum mitra, et eo finito, surgunt Virgines; et duæ primæ ex eis præsentantur a paranymphis Pontifici, coram quo humiliter genua flectunt, cantantes simul Antiphonam ton. 2.

Ancilla Christi sum, ideo me ostendo servilem habere personam.

Qua dicta, Pontifex interrogat illas palam, dicens:

Vultis persistere in sancta Virginitate, quam professæ estis?

Et illæ simul respondent: Volumus.

Tum Pontifex imponit velum super caput cujuslibet, quod dependeat super scapulas, et super pectus, et usque ad oculos singulis, dicens:

Accipe velamen sacrum, quo cognoscaris mundum contempsisse, et te Christo Jesu veraciter, humiliterque, toto cordis annisu, sponsam perpetualiter subdidisse, qui te ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam. ℟. Amen.

Ambabus velatis, ambæ simul genuflexæ, ut erant, cantant hanc Antiphonam ton. 7.

Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam.

Quo facto, reducuntur a matronis prædictis ad loca ordinis sui, ubi prius erant; et aliæ duæ, quæ post illas in ordine sequuntur, præsentantur Pontifici, coram quo simili modo genua flectunt, cantant, et velantur, ut primæ. Omnibus autem sic velatis, deposita mitra, surgit Pontifex, et stans versus ad illas: dicit:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

FAmulas tuas, Domine, tuæ custodia muniat pietatis: ut virginitatis sanctæ propositum, quod te inspirante, susceperunt, te protegente illæsum custodiant: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex accepta mitra, vocat Virgines, incipiens Antiphonam, schola prosequente, ton. 7.

Desponsari, dilecta, veni, hiems transiit, turtur canit, vineæ florentes redolent.

Qua incepta, sedet Pontifex cum mitra, et ea finita, illæ, quæ primæ venerant ad recipiendum velum, præsentantur Pontifici a matronis prædictis, eo modo et ordine, sicut prius. Tunc Pontifex accipiens annulum cum dextera sua, et dexteram manum Virginis cum sinistra manu sua, et mittens annulum ipsum digito annulari dexteræ manus Virginis, desponsat illas Jesu Christo, dicens singulis:

DEsponso te Jesu Christo, Filio summi Patris, qui te illæsam custodiat. Accipe ergo annulum fidei, signaculum Spiritus Sancti, ut sponsa Dei voceris; et si ei fideliter servieris, in perpetuum coroneris: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Quo facto, ambæ simul genuflexæ, decantant Antiphonam ton. 7.

Ipsi sum desponsata, cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur.

Qua cantata, reducuntur a matronis prædictis ad loca sua; et aliæ duæ, quæ illas sequuntur in ordine, præsentantur Pontifici, coram quo genuflectunt, cantant, et desponsantur, modo præmisso. Omnibus ergo sic seriatim desponsatis, et ad loca sua reductis, omnes genuflexæ simul levant in altum, et ostendunt dexteras manus, cantantes hanc Antiph. ton. 7.

Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus, et tamquam sponsam decoravit me corona.

Deinde Pontifex cum mitra surgit, et stans versus ad illas, dicit:

BEne ✠ dicat vos conditor cæli et terræ, Deus Pater omnipotens, qui vos eligere dignatus est ad beatæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi consortium: ut integram et immaculatam virginitatem, quam professæ estis, coram Deo, et Angelis ejus conservetis; propositum teneatis; castitatem diligatis; patientiam custodiatis, ut coronam virginitatis accipere mereamini. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc Pontifex cum mitra stans, iterum vocat illas in cantu, inchoans, schola prosequente, hanc Antiphonam ton. 7.

Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Incepta Antiphona, sedet Pontifex cum mitra; et ea finita præsentantur ei a paranymphis duæ primæ Virgines, ut prius, coram eo genuflexæ. Ipse autem torquem, sive coronam accipiens, imponit capiti cujuslibet Virginis, seriatim singulis dicens:

ACcipe coronam virginalis excellentiæ: ut sicut per manus nostras coronaris in terris; ita a Christo gloria et honore coronari merearis in cælis. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et mox ambæ simul decantant hanc Antiphonam ton. 7.

Induit me Dominus cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me.

Qua cantata, reducuntur a matronis prædictis ad loca sua; et aliæ præsentantur, quæ simili modo genuflectunt, cantant, et coronantur. Omnibus coronatis, et ad loca sua reductis et stantibus, Pontifex, deposita mitra surgit, et stans versus ad illas, dicit:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DA, quæsumus omnipotens Deus, ut hæ famulæ tuæ, quæ pro spe retributionis æternæ tibi Domino Deo desiderant consecrari, plena fide, animoque in sancto proposito permaneant. Tribue eis, Domine, humilitatem, castitatem, obedientiam, charitatem, et omnium bonorum operum quantitatem; ut ad meritum æternæ gloriæ possint pervenire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde omnibus simul genua flectentibus, Pontifex stans, ut prius, sine mitra, dicit hanc Orationem:

Oremus.

TE invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, super has famulas tuas, quæ tibi voverunt pura mente, mundoque corde servire: ut eas sociare digneris inter illos centum quadraginta quatuor millia, qui virgines permanserunt, et se cum mulieribus non coinquinaverunt; in quorum ore dolus non est inventus: ita et has famulas tuas facias permanere immaculatas usque in finem. Per immaculatum Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Qua finita, Virgines surgentes, simul cantant Antiphonam ton. 1.

Ecce quod concupivi, jam video: quod speravi, jam teneo: illi sum juncta in cælis, quem in terris posita, tota devotione dilexi.

Post hæc Pontifex, junctis ante pectus manibus, dicit super illas stantes, humiliter inclinatas, benedictionem.

DEus plasmator corporum, afflator animarum, qui nullam spernis ætatem, nullum sexum reprobas, nullam conditionem gratia tua ducis indignam, sed omnium æqualis creator es et redemptor: tu has famulas tuas, quas ex omni numero gregis, ut bonus pastor, ad conservandam coronam perpetuæ virginitatis, et castimoniam animæ, eligere dignatus es, tuæ protectionis scuto circumtege, et ad omne opus virtutis et gloriæ, magistrante sapientia, præpara; ut vincentes carnis illecebras, et illicita connubia recusantes, insolubilem Filii tui Domini nostri Jesu Christi copulam mereantur. His petimus, Domine, arma suggeras, non carnalia, sed spiritus virtute potentia; ut, te muniente, earum sensus et membra, in earum corporibus et animabus non possit dominari peccatum: ac sub tua gratia vivere cupientibus, nihil sibi defensor malorum, et inimicus bonorum de his vasis nomini tuo consecratis prævaleat vindicare. Omnem etiam nocivum calorem imber gratiæ tuæ cælestis extinguat, lumen vero perpetuæ castitatis accendat; facies pudica scandalis non pateat, neque incautis occasionem tribuat negligentia delinquendi. Sitque in eis casta virginitas: sint ornatæ pariter et armatæ fide integra, spe certa, charitate sincera; ut, præparato animo ad continentiam, virtus tanta præstetur, quæ superet diaboli universa figmenta: et contemnendo præsentia, futura sectentur: jejunia epulis carnalibus præferant: lectiones sacras et orationes conviviis et potationibus anteponant; ut ora-

tionibus pastæ, et eruditionibus expletæ, illuminatæ vigiliis, opus gratiæ virginalis exerceant. His igitur virtutum armis has tuas famulas interius exteriusque communiens, præsta, inoffensum cursum virginitatis implere. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Tum Pontifex, accepta mitra, stans dicit sequentem benedictionem super illas genuflexas:

BEnedicat vos Deus Pa ✠ ter, et Fi ✠ lius, et Spiritus ✠ Sanctus omni benedictione spirituali: ut manentes semper incorruptæ, inviolatæ, et immaculatæ, sub vestimento sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi, requiescat super vos Spiritus septiformis gratiæ; spiritus sapientiæ et intellectus; spiritus consilii et fortitudinis; spiritus scientiæ et pietatis: et repleat vos spiritus timoris Domini: fragiles solidet, invalidasque confirmet, pietate allevet, et mentes regat: vias dirigat, cogitationes sanctas instituat, actus probet, opera perficiat, charitate ædificet, sapientia illuminet, castitate muniat, scientia instruat, fide firmet; in virtute multiplicet, in sanctitate sublimet, ad patientiam præparet, ad obedientiam subdat, sobrias protegat, et pudicas in infirmitate visitet, in dolore relevet, in tentatione custodiat, in prosperitate temperet, in iracundia mitiget, in iniquitate emundet, infundat gratiam, remittat offensam, tribuat disciplinam. Ut his et similibus virtutibus fultæ, et sanctis operibus illustratæ, illa semper studeatis agere, quæ digna fiant remuneratione. Illum habeatis testem, quem habituræ estis judicem; et vos aptetis, ut præfulgentem gestetis in manu lampadem, intraturæ sponsi thalamum, occurratis cum gaudio, et nihil in vobis reperiat fœtidum, nihil sordidum, nihil occultum, nihil corruptum, nihil inhonestum, sed niveas et candidas animas, corporaque lucida atque splendida; ut cum ille dies tremendus remunerationis justorum, retributionisque malorum advenerit, non inveniat in vobis ultrix flamma quod urat, sed divina pietas quod coronet; quas jam in hoc sæculo conversatio religiosa mundavit; ut ad tribunal æterni Regis ascensuræ, celsaque palatia, cum iisdem mereamini habere protectionem, qui sequuntur Agnum, et cantant canticum novum sine cessatione, illic percepturæ præmium post laborem, semperque maneatis in viventium regione. Atque ipse benedicat vos de cælis, qui per Crucis passionem humanum genus est dignatus venire in terris redimere, Jesus Christus Dominus noster: Qui cum æterno Patre et Spiritu Sancto in unitate perfecta vivit et regnat Deus, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex, sedens cum mitra: publica voce anathema ponit, ne quis eas a divino servitio, quæ vexillo castitatis subjectæ sunt, abducat; nullus earum bona surripiat, sed ea cum quiete possideant, in hanc formam:

AUctoritate omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, firmiter et sub interminatione anathematis inhibemus, ne quis præsentes Virgines, seu Sanctimoniales a divino servitio, cui sub vexillo castitatis subjectæ sunt, abducat: nullus earum bona surripiat, sed ea cum quiete possideant. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, maledictus sit in domo, et extra domum; maledictus in civitate et in agro; maledictus vigilando et dormiendo; maledictus manducando et bibendo; maledictus ambulando et sedendo; maledicta sint caro ejus et ossa, et a planta pedis usque ad verticem non habeat sanitatem. Veniat super illum maledictio hominis, quam per Moysen in lege filiis iniquitatis Dominus permisit. Deleatur nomen ejus de libro viventium, et cum justis non scribatur. Fiat pars et hæreditas ejus cum Cain fratricida, cum Dathan et Abiron, cum Anania et Saphira, cum Simone mago et Juda proditore, et cum eis, qui dixerunt Deo: Recede a nobis, semitam viarum tuarum nolumus. Pereat in die judicii; devoret eum ignis perpetuus cum diabolo et angelis ejus, nisi restituerit, et ad emendationem venerit. Fiat, fiat.

Tum dicitur Alleluja, sive ultimus versus Tractus, vel Sequentiæ, et cætera usque ad Offertorium inclusive, Virginibus in ordine suo manentibus.

Offertorio dicto, singulæ Virgines consecratæ, velatis capitibus, ad manus Pontificis, in faldistorio ante medium altaris cum mitra sedentis, offerunt, coram eo genuflexæ, quælibet candelam accensam.

Interim parantur pro eis tot Hostiæ consecrandæ, quot sunt ipsæ numero. Facta oblatione, Pontifex cum mitra sedens, lavat manus; deinde, deposita mitra, surgit, et prosequitur Missam, more consueto.

Secreta.

OBlatis hostiis, quæsumus Domine, præsentibus famulabus tuis perseverantiam perpetuæ virginitatis accommoda: ut apertis januis, summi Regis adventu, regnum cæleste cum lætitia mereantur intrare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postquam Pontifex se de Corpore et Sanguine communicaverit, tum accedunt ad supremum gradum altaris Virgines

ipsæ binæ et binæ, et ibidem genuflectunt: Pontifex vero, singulas communicat; et omnibus communicatis, ipsæ Virgines ante altare, ut in Missa fuerunt genuflexæ, simul cantant Antiphonam ton. 1.

Mel et lac ex ejus ore suscepi, et sanguis ejus ornavit genas meas.

Interim Pontifex ablutionem sumit: tum, accepta mitra, stans lavat manus, deinde perficit Missam.

Postcommunio.

DEus, qui habitaculum tuum in corde pudico fundasti: respice super has famulas tuas, et quæ castigationibus assiduis postulant, tua consolatione percipiant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Missa finita, Pontifex dat benedictionem solemnem.

Et quia in nonnullis monasteriis est consuetudo, quod loco Diaconissatus, Virginibus consecratis datur facultas incipiendi horas Canonicas, et legendi Officium in Ecclesia; Pontifex stans ante altare sine mitra, Virginibus consecratis coram eo genuflexis, dicit:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi, Domine, preces nostras, et super has famulas tuas spiritum tuæ bene ✠ dictionis emitte: ut cælesti munere ditatæ et tuæ majestatis gratiam possint acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum sedet Pontifex, accepta mitra, et tradit Breviarium illis, ambabus manibus ipsum tangentibus, dicens:

ACcipite librum, ut incipiatis Horas canonicas, et legatis Officium in Ecclesia. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Surgit Pontifex, mitra deposita, et conversus ad altare incipit Hymnum, Te Deum laudamus, quem chorus prosequitur usque ad finem, ut supra, pag. 59. et eo finito, duæ ex choro dicunt:

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

Respondet chorus:

A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Et Pontifex stans in cornu Epistolæ altaris conversus ad altare, ex libro ibidem super altari posito, dicit:

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et o-

peratio a te semper incipiat, et per te cæpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc Virgines consecratæ revertuntur ad portam monasterii, ubi Pontifex eas coram se genuflexas præsentat Abbatissæ similiter genuflexæ dicens:

Vide, quomodo istas consecratas Deo serves, et repræsentes immaculatas; redditura pro eis rationem, ante tribunal sponsi earum, venturi judicis.

Tum Pontifex redit ad Ecclesiam, dicens:

Dominus vobiscum.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

In principio, etc.

Et sacris vestibus depositis, vadit in pace.

DE BENEDICTIONE

ET CORONATIONE REGIS.

Cum Rex est coronandus, Episcopi regni ad civitatem, ubi Coronatio fieri debet, convocantur. Rex triduanum jejunium devote peragit per hebdomadam præcedentem, videlicet quarta, et sexta feria, et sabbato. Dominica vero proxima sequenti coronatur, qua ipse Rex se ad Communionem parat. Ecclesia vero ipsa Metropolitana, sive Cathedralis, ubi solemnitas celebrabitur, paretur et ornetur, quo melius fieri poterit. Ad altare majus parantur ea, quæ consueta sunt parari, Pontifice celebrante; et credentia juxta altare cum rebus opportunis. Super altare ponitur gladius, corona, et sceptrum Regi danda, et oleum Catechumenorum, bombyx ad lingendum et extergendum brachium Regis, et inter scapulas post unctionem, fascia ad ligandum bombycem in brachio. Paratur in Ecclesia in loco competenti thalamus, sive suggestum pro rege, in quo sit regalis sedes ornata, et thalamus ipse sit ornatus pannis sericeis, et aulæis. Sed advertendum est, quod altitudo thalami non sit major quam gradus supremus altaris. Paratur etiam in loco convenienti tentorium, sive papilio, sub quo Rex vestes regales, pro regni consuetudine, quæ ibidem pro eo parantur, suo tempore recipit. Et si Regina etiam simul est coronanda, paratur pro ea alius thalamus, non longe a regio, sed illo aliquantulum humilior; et ita sunt situandi thalami, ut inde possint videri altare; et Pontifex celebrans. Parantur etiam ante altare hinc et inde sedes, pro numero Episcoporum coronationi interessentium.

Die autem Dominica, qua Rex benedicendus et coronandus est, omnes Episcopi conveniunt mane in Ecclesia, in qua hoc fieri debet; et Metropolitanus, sive Pontifex, ad quem spectat, parat se solemniter cum ministris, Missam celebraturus, paramentis tempori convenientibus. Episcopi vero induuntur supra rochetum (vel supra superpelliceum, si sint Religiosi) amictu, stola, pluviali albo, et mitra simplici. Quibus omnibus paratis, Metropolitanus in faldistorio ante medium altaris posito sedet cum mitra, et Episcopi parati hinc et inde super sedibus pro eis paratis, quasi in modum coronæ sedentes, sibi assistunt. Interim, Rex vestibus militaribus indutus, cum suis Prælatis domesticis non paratis, ac Baronibus, Nobilibus, et aliis venit ad Ecclesiam: et cum fuerit prope presbyterium, duo priores Episcopi ex paratis veniunt ei obviam, et cum mitris capita illi aliquantulum inclinantes, ipsum inter se medium, bireto deposito, usque ante Metropolitanum deducunt, cui Rex caput inclinans, humilem reverentiam exhibet; qua facta, prior Episcoporum deducentium stans, detecto capite, versus ad Metropolitanum, dicit intelligibili voce:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catolica, ut præsentem egregium militem ad dignitatem Regiam sublevetis.

Interrogat Metropolitanus:

Scitis illum esse dignum, et utilem ad hanc dignitatem?

Ille respondet:

Et novimus, et credimus eum esse dignum, et utilem Ecclesiæ Dei, et ad regimen hujus Regni.

Metropolitanus dicit:

Deo gratias.

Tunc sedet Rex medius inter duos Episcopos deducentes, congruenti spatio a Metropolitano: ita ut illi faciem vertat; ipsi etiam deducentes Episcopi, senior ad dexteram, alius ad sinistram Regis se collocant, ita ut et ipsi ad alterutrum facies vertant. Quibus sic sedentibus, postquam aliquantulum quieverint, Metropolitanus coronandum Regem admonet, dicens:

Cum hodie per manus nostras, optime Princeps, qui Christi Salvatoris nostri vice in hac re fungimur (quamvis indigni), sacram unctionem, et regni insignia sis suscepturus; bene est, ut te prius de onere, ad quod destinaris, moneamus. Regiam hodie suscipis dignitatem, et regendi fideles populos tibi commissos curam sumis. Præclarum sane inter mortales locum, sed discriminis, laboris, atque anxietatis plenum.

Verum, si consideraveris, quod omnis potestas a Domino Deo est, per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt; tu quoque de grege tibi commisso ipsi Deo rationem es redditurus. Primum, pietatem servabis; Dominum Deum tuum tota mente ac puro corde coles; Christianam religionem, ac fidem Catholicam, quam ab incunabulis professus es, ad finem usque inviolatam retinebis, eamque contra omnes adversantes pro viribus defendes. Ecclesiarum Prælatis, ac reliquis Sacerdotibus condignam reverentiam exhibebis. Ecclesiasticam libertatem non conculcabis. Justitiam, sine qua nulla societas diu consistere potest, erga omnes inconcusse administrabis, bonis præmia, noxiis debitas pœnas retribuendo. Viduas, pupillos, pauperes, ac debiles ab omni oppressione defendes. Omnibus te adeuntibus benignum, mansuetum, affabilem, pro Regia tua dignitate, te præbebis. Et ita te geres, ut non ad tuam, sed totius populi utilitatem regnare, præmiumque benefactorum tuorum, non in terris, sed in cælo expectare videaris: Quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Rex Electus accedit ad Metropolitanum, et coram eo, detecto capite, genuflexus facit hanc professionem, dicens:

EGo N. Deo annuente, futurus Rex N. profiteor et promitto coram Deo et Angelis ejus deinceps legem, justitiam et pacem Ecclesiæ Dei, populoque mihi subjecto pro posse et nosse, facere ac servare, salvo condigno misericordiæ Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum melius potero invenire. Pontificibus quoque Ecclesiarum Dei, condignum et canonicum honorem exhibere; atque ea, quæ ab Imperatoribus et Regibus Ecclesiis collata et reddita sunt, inviolabiliter observare. Abbatibus, Comitibus, et vassallis meis congruum honorem, secundum consilium fidelium meorum, præstare.

Deinde, ambabus manibus tangit librum Evangeliorum, quem Metropolitanus ante se apertum tenet, dicens: Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Postea Rex electus Metropolitani manum reverenter osculatur.

His expeditis, illo genuflexo manente, Metropolitanus, deposita mitra, surgit, et stans versus ad ipsum coronandum, dicit competenti voce sequentem Orationem, quam etiam dicunt omnes Pontifices parati, similiter sine mitris stantes; dicunt etiam omnia alia benedictionem et coronationem ipsam concernentia, voce submissa, Metropolitanum tamen in omnibus observantes et imitantes.

O remus.

OMnipotens sempiterne Deus, Creator omnium, Imperator Angelorum, Rex regum, et Dominus dominantium, qui Abraham fidelem servum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi et Josue populo tuo prælatis multiplicem victoriam tribuisti, humilemque David puerum tuum regni fastigio sublimasti, et Salomonem sapientiæ pacisque ineffabili munere ditasti: respice, quæsumus Domine, ad preces humilitatis nostræ; et super hunc famulum tuum N. quem supplici devotione in Regem eligimus, bene ✠ dictionum tuarum dona multiplica, eumque dexteræ tuæ potentia semper et ubique circumda: quatenus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Josue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat, et per tramitem justitiæ inoffenso gressu semper incedat: tuæ quoque protectionis galea munitus, et scuto insuperabili jugiter protectus, armisque cælestibus circumdatus, optabilis de hostibus sanctæ Crucis Christi victoriæ triumphum feliciter capiat, terroremque suæ potentiæ illis inferat, et pacem tibi militantibus lætanter reportet. Per Christum Dominum nostrum, qui virtute sanctæ Crucis tartara destruxit, regnoque diaboli superato, ad cælos victor ascendit, in quo potestas omnis, regnique consistit victoria, qui est gloria humilium, et vita salusque populorum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc Metropolitanus cum mitra procumbit supra faldistorium. Rex vero ad ejus sinistram in terram se prosternit, aliis Prælatis paratis ante sedes suas similiter procumbentibus. Tunc cantores incipiunt et prosequuntur Litanias, ut supra, pag. 21. choro respondente. Cum dictum fuerit:

Ut omnibus fidelibus, etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Metropolitanus surgit, et accepto baculo pastorali in sinistram manum, super electum Regem prostratum, dicit:

Ut hunc electum in regem coronandum bene ✠ dicere digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit:

Ut hunc electum in Regem coronandum bene ✠ dicere, et conse ✠ crare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Producendo semper super eum signum Crucis. Idem dicunt, et faciunt Episcopi parati, genuflexi tamen permanen-

tes. Quo dicto Metropolitanus redit ad accubitum, cantoribus resumentibus et perficientibus Litanias. Quibus finitis, Metropolitanus, deposita mitra, surgit, illo prostrato, atque Episcopis, deposita mitra, genuflexis manentibus, versus ad coronandum, dicit:

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

PRætende, Domine, huic famulo tuo dexteram cælestis auxilii: ut te toto corde perquirat; et quæ digne postulat, consequi mereatur.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cæpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc Metropolitanus sedet, accipit mitram, et electus Rex coram eo genuflectit; et circumstantibus prælatis paratis, cum suis mitris, in modum coronæ, Metropolitanus intingit pollicem dexteræ manus in oleum Catechumenorum, et inungit in modum Crucis illius brachium dexterum, inter juncturam manus, et juncturam cubiti, atque inter scapulas, dicens hanc Orationem:

DEus, Dei Filius, Jesus Christus Dominus noster, qui a Patre oleo exultationis unctus est præ participibus suis; ipse per præsentem sanctæ unctionis infusionem Spiritus Paracliti super caput tuum bene ✠ dictionem infundat, eamdemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat: quatenus hoc visibili et tractabili oleo, dona invisibilia percipere, et temporali regno justis moderationibus peracto, æternaliter cum eo regnare merearis, qui solus sine peccato, Rex regum vivit, et gloriatur cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Hazael super Syriam, et Jehu super Israel per Eliam, David quoque et Saulem per Samuelem Prophetam in reges inungi fecisti: tribue, quæsumus, manibus nostris opem tuæ benedictionis, et huic famulo tuo N. quem hodie, licet indigni, in regem sacra unctione delinimus, dignam delibutionis hujus efficaciam et virtutem concede: constitue Domine principatum super humerum ejus, ut sit fortis, justus, fidelis, providus, et indefessus regni hujus, et populi tui gubernator, infidelium expugnator, justitiæ cultor, meritorum et demeritorum remunerator, Ecclesiæ tuæ sanctæ, et fidei Christianæ defensor, ad decus et laudem tui nominis gloriosi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Quo facto, Metropolitanus mica panis abstergit pollicem, et lavat manus; surgit cum mitra, descendit ante altare; ubi deposita mitra, stans, cum suis ministris facit Confessionem. Rex vero electus ad partem se retrahit, et genuflexus cum suis Prælatis domesticis idem facit. Similiter et Episcopi parati sine mitris stantes, bini et bini Confessionem dicunt. Finita Confessione Metropolitanus ascendit ad altare, et procedit in Missa more solito usque ad Alleluja, sive ultimum versum Tractatus, vel Sequentiæ, exclusive, Prælatis paratis juxta suas sedes stantibus, vel sedentibus, prout tempus requirit. Interim schola inchoat Introitum, et prosequitur in Missa: et Rex a suis ducitur in sacristiam, vel sub papilione ad hoc parato, ubi inter scapulas et brachium inunctum bombyce bene abstergitur, et induitur regalibus indumentis, ex more regni. Paratus itaque Rex et ornatus, procedit cum suis Prælatis, Baronibus, et aliis ad eminentem et ornatum thalamum, in Ecclesia sibi præparatum, et ibi super aliquo faldistorio ornato genuflexus incumbens, audit Missam, quam Prælati sui non parati circum stantes etiam genuflexi legunt usque ad Alleluja, sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ exclusive. Missa dicitur de die, et cum Oratione diei dicitur pro ipso electo Rege, sub uno Per Dominum, hæc Oratio:

QUæsumus omnipotens Deus, ut famulus tuus N. Rex noster, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa: quibus decenter ornatus, et vitiorum monstra devitare, et ad te qui via, veritas, et vita es, gloriosus valeat pervenire. Per Dominum

nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Graduali cantato, Metropolitanus sedet ante altare cum mitra in faldistorio, et Rex a suis associatus medius inter priores Prælatos paratos ad Metropolitanum reducitur; cui facta reverentia, ut prius, genuflectit coram eo. Tunc Metropolitanus accipit gladium, quem unus ministrorum sibi porrigit de altari, et illum evaginatum tradit in manus Regis, dicens:

ACcipe gladium de altari sumptum per nostras manus, licet indignas, vice tamen et auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas, tibi regaliter concessum, nostræque bene ✠ dictionis officio, in defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ divinitus ordinatum; et memor esto ejus, de quo Psalmista prophetavit, dicens: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; ut in hoc per eumdem vim æquitatis exerceas, molem iniquitatis potenter destruas, et sanctam Dei Ecclesiam, ejusque fideles propugnes ac protegas; nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes execreris, ac dispergas; viduas et pupillos clementer adjuves, ac defendas; desolata restaures, restaurata conserves; ulciscaris injusta, confirmes bene disposita; quatenus hæc agendo, virtutum triumpho gloriosus, justitiæque cultor egregius, cum mundi Salvatore sine fine regnare merearis: Qui cum Deo Patre, et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

His expeditis, ensis a ministris in vaginam reponitur, et Metropolitanus accingit ense Regem, dicens:

ACcingere gladio tuo super femur tuum potentissime; et attende, quod Sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna.

Et mox Rex accinctus surgit, et eximit ensem de vagina, illumque viriliter vibrat; deinde super brachium sinistrum tergit, et in vaginam reponit; ac iterum coram Metropolitano genuflectit. Tunc ei Corona imponitur, quam omnes Prælati parati, qui adsunt, de altari per Metropolitanum sumptam manibus tenent, ipso Metropolitano illam regente, capiti illius imponente, ac dicente:

ACcipe coronam regni, quæ, licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti; quam sanctitatis gloriam, et honorem, et opus fortitudinis significare intelligas, et per hanc te participem ministerii nostri non

ignores. Ita ut sicut nos in interioribus pastores rectoresque animarum intelligimur, ita et tu in exterioribus verus Dei cultor, strenuusque contra omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensor assistas, regnique tibi a Deo dati, et per officium nostræ benedictionis in vice Apostolorum, omniumque Sanctorum, regimini tuo commissi utilis executor, proficuusque regnator semper appareas; ut inter gloriosos athletas, virtutum gemmis ornatus, et præmio sempiternæ felicitatis coronatus cum Redemptore ac Salvatore nostro Jesu Christo, cujus nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris: Qui vivit et imperat Deus cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea Metropolitanus dat ei adhuc genuflexo sceptrum, dicens:

Accipe virgam virtutis, ac veritatis, qua intelligas te obnoxium mulcere pios, terrere reprobos, errantes viam docere, lapsis manum porrigere, disperdere superbos, et relevare humiles; et aperiat tibi ostium Jesus Christus Dominus noster, qui de semetipso ait: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur; qui est clavis David, et sceptrum domus Israel; qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit. Sitque tibi ductor, qui educit vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra mortis; et in omnibus sequi merearis eum, de quo David Propheta cecinit: Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: virga directionis, virga regni tui; et imitando ipsum, diligas justitiam, et odio habeas iniquitatem, quia propterea unxit te Deus, Deus tuus, ad exemplum illius, quem ante sæcula unxerat oleo exultationis, præ participibus suis, Jesum Christum Dominum nostrum: Qui cum eo vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tunc Regi surgenti discingitur ensis, et in vagina datur alicui, qui eum ante Regem immediate portat. Et Metropolitanus cum aliis Prælatis paratis deducit Regem, sceptrum in manu et coronam in capite ferentem, medium inter se a dextris, et digniorem Prælatum paratum a sinistris Regis, incedentem ad solium supra thalamum; et adjuvante eum digniore Prælato prædicto, inthronizat Regem in solio, dicens:

Sta, et retine amodo locum tibi a Deo delegatum, per auctoritatem omnipotentis Dei, et per præsentem traditionem nostram, omnium scilicet Episcoporum, cæterorumque Dei servorum: et quanto Clerum sacris altaribus propinquiorem perspicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris; quatenus mediator Dei et hominum, te mediatorem Cleri et plebis permanere faciat.

Deinde Metropolitanus, deposita mitra, stans versus ad altare inchoat, schola prosequente, Hymnum:

Te Deum laudamus, ut supra. pag. 59.

Qui totus dicitur: quo incepto, Metropolitanus accedit ad dexteram Regis, ubi continuo manens usque ad finem Hymni; et eo finito, Metropolitanus stans ut prius ad dexteram Regis, sine mitra, dicit super illum versus:

℣. Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua.
℟. Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui victrices Moysi manus in oratione firmasti, qui quamvis ætate languesceret, infatigabili sanctitate pugnabat; ut dum Amalech iniquus vincitur, dum profanus nationum populus subjugatur, exterminatis alienigenis, hæreditati tuæ possessio copiosa serviret, opus manuum tuarum piæ nostræ orationis exauditione confirma: habemus et nos apud te, sancte Pater, Dominum Salvatorem, qui pro nobis manus suas extendit in cruce, per quem etiam precamur, Altissime, ut, tua potentia suffragante, universorum hostium frangatur impietas, populusque tuus, cessante formidine, te solum timere condiscat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Deus inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui Patriarchæ nostri Abrahæ præelegisti Regem sæculis profuturum; tu præsentem insignem Regem hunc cum exercitu suo, per intercessionem beatæ Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, uberi bene ✠ dictione locupleta; et in solium regni firma stabilitate connecte: visita eum, sicut visitasti Moysen in rubo, Josue in prælio, Gedeonem in agro, Samuelem in templo, et illa eum siderea bene ✠ dictione, ac sapientiæ tuæ rore perfunde, quam beatus David in psalterio, et Salomon filius ejus, te remunerante, percepit de cælo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in adversis galea, in prosperis sapientia, in protectione clypeus sempiternus. Et præsta, ut Gentes illi teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligant charitatem, abstineant se a cupiditate, loquantur justitiam, custodiant veritatem; et ita populus iste sub ejus imperio pullulet, coalitus benedictione æternitatis;

ut semper tripudiantes maneant in pace, ac victores: Quod ipse præstare dignetur, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Quibus finitis, Metropolitanus cum Prælatis paratis redit ad sedem suam, vel faldistorium, prope altare, et (nisi sit coronanda Regina) dicitur Alleluja, sive ultimus versus Tractus, vel Sequentiæ, Evangelium, et alia usque ad Offertorium, inclusive. Quo dicto, Metropolitanus residet in faldistorio suo ante medium altaris cum mitra; et Rex a suis Prælatis et Baronibus associatus, venit ante Metropolitanum, coram quo genuflexus, detecto capite, offert ei aurum, quantum sibi placet, et manum Metropolitani recipientis osculatur.

Deinde ad solium suum revertitur. Metropolitanus lavat manus, surgensque accedit ad altare, et prosequitur Missam usque ad Communionem. Cum Secreta diei, dicitur pro Rege, sub uno Per Dominum nostrum

Secreta.

MUnera, quæsumus Domine, oblata sanctifica: ut et nobis unigeniti tui Corpus et Sanguis fiant; et Regi nostro ad obtinendam animæ corporisque salutem, et ad peragendum injunctum officium, te largiente, usquequaque proficiant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Pax datur Regi per primum ex Prælatis paratis, cum instrumento ad hoc ordinato. Postquam Metropolitanus se de Corpore et Sanguine, quem totum sumere debet, communicaverit, Rex, detecto capite, de thalamo suo accedit ad altare, coram quo, in supremo gradu genuflectit, et Metropolitanus conversus ad Regem, ipsum communicat. Rex, priusquam communionem sumat, osculatur manum dexteram Metropolitani, et sumpta communione, ex calice de manu Metropolitani se purificat, et purificatus ad thalamum suum revertitur. Metropolitanus vero ablutionem sumit, et accepta mitra, lavat manus, et perficit Missam.

Cum Postcommunione diei, dicitur pro Rege sub uno Per Dominum

Postcommunio.

HÆc, Domine, oblatio salutaris famulum tuum N. Regem nostrum ab omnibus tueatur adversis: quatenus Ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, et post istius temporis decursum ad æternam perveniat hæreditatem. Per Domi-

num nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

In fine Metropolitanus dat benedictionem solemnem, ut supra, qua data, singuli ad sua revertuntur.

DE BENEDICTIONE

ET CORONATIONE REGINÆ.

SI vero tunc Regina benedicenda sit et coronanda, quamprimum, ipso Rege intrhonizato, et orationibus expletis, Metropolitanus cum Prælatis paratis ad altare reversus in faldistorio sedet. Rex de solio suo surgens, cum comitiva sua, coronam in capite, et sceptrum in manu gestans, ante altare ad Metropolitanum proficiscitur, et facta ei reverentia, stans, detecto capite, petit Reginam benedici et coronari, sub his verbis:

REverendissime Pater, postulamus, ut Consortem nostram, Nobis a Deo conjunctam, benedicere, et corona Reginali decorare dignemini, ad laudem et gloriam Salvatoris nostri Jesu Christi.

Deinde ad solium suum revertitur.

Tunc Regina, quæ in aliquo loco ad partem in Ecclesia a principio steterat, a duobus Episcopis paratis, non his, qui Regem deduxerunt, sed primis post eos, crine soluto, et capite velato, in vestibus suis communibus ad Metropolitanum ante altare deducitur; et facta Metropolitano reverentia, coram illo genuflectit, et ejus manum osculatur.

Tunc surgit Metropolitanus cum mitra, et in faldistorio procumbit. Regina vero ad ejus sinistram in terram se prosternit, et inchoantur ac perficiuntur Litaniæ, ut supra pag. 21. quibus finitis, Metropolitanus, deposita mitra, surgit, et stans versus ad illam ante se genuflexam, dicit sequentem Orationem intelligibili voce; quam etiam, et alia sequentia astantes Prælati parati submissa voce dicunt:

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, hanc famulam tuam N. cælesti bene ✠ dictione sanctifica, quam in adjutorium regni Reginam eligimus: tua ubique sapientia eam doceat et confortet, atque Ecclesia tua fidelem famulam semper agnoscat. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Deinde, extensis manibus ante pectus, dicit:

PEr omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Honorum cunctorum auctor ac distributor, benedictionumque omnium largus infusor, tribue super hanc famulam tuam Reginam bene ✠ dictionis tuæ copiam: et quam humana electio sibi præesse gaudet, tua supernæ electionis, et benedictionis infusio accumulet. Concede ei, Domine, auctoritatem regiminis, consilii magnitudinem, sapientiæ, prudentiæ, et intellectus abundantiam, religionis ac pietatis custodiam; quatenus mereatur benedici, et augmentari in nomine, ut Sara; visitari et fœcundari, ut Rebecca; contra omnium muniri vitiorum monstra, ut Judith; in regimine regni eligi, ut Esther; ut quam humana nititur fragilitas benedicere, cælestis potius intimi roris repleat infusio. Et quæ a nobis eligitur, et bene ✠ dicitur in Reginam, a te mereatur obtinere præmium æternitatis perpetuæ. Et sicut ab hominibus sublimatur in nomine, ita a te sublimetur fide, et operatione. Illo etiam sapientiæ tuæ eam rore perfunde, quem beatus David in repromissione, et filius ejus Salomon percepit in locupletatione. Sis ei, Domine, contra cunctorum ictus inimicorum lorica; in adversis galea; in prosperis sapientia; in protectione clypeus sempiternus. Sequatur pacem, diligat charitatem, abstineat se ab omni impietate; loquatur justitiam, custodiat veritatem, sit cultrix justitiæ et pietatis, amatrix religionis. Vigeatque præsenti bene ✠ dictione in hoc ævo annis plurimis, et in sempiterno sine fine æternis.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiatur.

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Qua Præfatione expleta, sedet Metropolitanus, et accepta mitra, inungit in modum crucis cum oleo Catechumenorum illius brachium dexterum, inter juncturam manus, et juncturam cubiti, atque inter scapulas, dicens:

DEus, Pater æternæ gloriæ sit tibi adjutor, et omnipotens benedicat tibi; preces tuas exaudiat; vitam tuam longitudine dierum adimpleat; benedictionem tuam jugiter confirmet; te cum omni populo in æternum conservet; inimicos tuos confusione induat; et super te Christi sanctificatio, atque hujus olei infusio floreat; ut qui tibi in terris tribuit benedictionem, ipse in cælis conferat meritum Angelorum; ac benedicat te, et custodiat in vitam æternam Jesus Christus Dominus noster: Qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Quo facto, surgit Regina, et a suis ducitur ad sacristiam, seu papilionem, ubi Rex regales vestes indutus est, ibi et ipsa induitur vestibus reginalibus; quibus induta reducitur ad Metropolitanum adhuc cum mitra in faldistorio sedentem, qui imponit illi ante se genuflexæ coronam, dicens:

ACcipe coronam gloriæ, ut scias te esse consortem Regni, populoque Dei semper prospere consulas: et quanto plus exaltaris, tanto amplius humilitatem diligas et custodias, in Christo Jesu Domino nostro.

Et mox dat ei sceptrum, dicens:

ACcipe virgam virtutis ac veritatis, et esto pauperibus misericors et affabilis; viduis, pupillis, et orphanis diligentissimam curam exhibeas: ut omnipotens Deus augeat tibi gratiam suam, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Quo facto surgit Regina, et Episcopi parati, qui ipsam ad altare deduxerunt, eam associant usque ad suum thalamum, ubi sedet in solio suo, matronis ejus ipsam comitantibus; deinde dicitur Alleluja, sive ultimus versus Tractus, vel Sequentiæ, Evangelium, et Offertorium. Quo dicto, Regina cum Rege, a suis tantum associati, vadunt ad offerendum Metropolitano in faldistorio ante medium altaris sedenti de auro quantum volunt, et manum Metropolitani recipientis osculantur: deinde revertuntur ambo ad thalamum suum, et proceditur in Missa usque ad Communionem. Data pace Regi et Reginæ per primum ex Prælatis paratis, cum instrumento ad hoc ordinato, Rex et Regina a suis tantum associati descendunt de thalamis, et veniunt ad altare, ubi in supremo gradu genuflectunt; et percepta communione, Metropolitanus ponit ambas Hostias consecratas super patenam, et conversus ad Regem et Reginam, eos communicat.

Rex, priusquam communionem sumat, osculatur manum dexteram Metropolitani, tum simili modo communicat Reginam, quæ similiter ejus manum osculatur, et successive

ambos ex calice suo purificat; qui purificati ad thalamos suos revertuntur, eo ordine, quo venerunt. Metropolitanus vero ablutionem sumit; et accepta mitra, lavat manus, perficitque Missam, et in fine dat benedictionem solemnem. Qua data, Rex et Regina vadunt ad palatium suum, et Metropolitanus atque alii Prælati omnes deponunt vestes sacras, et ad propria quisque revertitur.

SI autem, Rege jam pridem coronato, Regina sola, ut conjux illius, coronanda sit, parantur duo thalami, et alius locus, in quo Regina a principio officii usque ad tempus coronationis expectat. Vocantur omnes Prælati regni, atque omnia alia fiunt, quæ supra pro coronatione Regis ordinata sunt.

Die autem statuto, Metropolitano et Prælatis in Ecclesiam constitutis, et se vestientibus, Rex vestibus regalibus indutus cum corona in capite, et sceptro in manu, ense præcedente, a suis associatus venit ad Ecclesiam, et ascendit thalamum suum; et Metropolitano ac Prælatis omnibus paratis, incipitur Missa, more solito, et continuatur usque ad Alleluja, sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ, exclusive. Tum Rex coronam et sceptrum ferens descendit de thalamo suo, et Metropolitano in faldistorio ante altare cum mitra sedente, stans, detecto capite, petit ab eo Reginam benedici, et coronari, sub his verbis:

REverendissime Pater, postulamus, ut Consortem nostram, Nobis a Deo conjunctam, benedicere, et corona Reginali decorare dignemini, ad laudem et gloriam Salvatoris nostri Jesu Christi.

Deinde ad thalamum suum revertitur; et Regina, quæ usque tunc in aliquo loco ad partem in Ecclesia steterat, a duobus prioribus Prælatis paratis, crine soluto, et capite velato, ducitur ad Metropolitanum ante altare sedentem; et facta ei reverentia, coram eo genuflectit, et ejus manum osculatur. Tunc surgit Metropolitanus, et cum mitra procumbit supra faldistorium. Regina vero ad ejus sinistram se in terram prosternit, et inchoantur Litaniæ prout supra, pag. 21. et perficiuntur, atque omnia alia fiunt, quæ supra in coronatione Reginæ dicta sunt, usque ad Offertorium, ad quod poterit Rex cum Regina procedere, vel Regina sola, prout Regi placebit.

Facta communione per Metropolitanum, communicatur Regina. Deinde perficitur Missa, et in fine Metropolitanus dat benedictionem solemnem, etc.

SI vero Regina coronanda est, ut Regni Domina, et absque Rege, tunc paratur thalamus unus in Ecclesia; vocantur

Prælati Regni, et omnia alia similiter fiunt, quæ supra pro coronatione Regis ordinata sunt. Die statuto conveniunt in Ecclesia, in qua coronatio fieri debet; ubi Metropolitanus, aut alius, ad quem spectat, cum Episcopis aliis parat se, et sedent ante altare, ut supra dictum est. Interim Regina consuetis vestibus induta, cum suis Prælatis, Baronibus, et Matronis, atque aliis domesticis venit ad Ecclesiam, et cum fuerit prope presbyterium, duo priores Episcopi parati, veniunt ei obviam, et cum mitris capita illi aliquantulum inclinantes, ipsam inter se mediam usque ad Metropolitanum deducunt; cui Regina caput inclinans, humilem reverentiam exhibet; qua facta, prior ipsorum deducentium, detecto capite, versus ad Metropolitanum, dicit:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut præsentem circumspectam Mulierem ad dignitatem Reginalem sublevetis.

Tunc interrogat Metropolitanus:

Scitis illam esse dignam, et utilem ad hanc dignitatem?

Ille respondet:

Et novimus, et credimus eam esse dignam, et utilem Ecclesiæ Dei, et ad regimen hujus Regni.

Metropolitanus dicit:

Deo gratias.

Tunc sedet Regina media inter ipsos Episcopos deducentes, congruenti spatio a Metropolitano, ita ut illi faciem vertat; ipsi etiam deducentes Episcopi, senior ad dexteram, alius ad sinistram Reginæ se collocant, ita ut et ipsi ad alterutrum facies vertant: ipsis sic sedentibus, postquam aliquantulum quieverint, Metropolitanus coronandam Reginam admonet, dicens:

Cum hodie per manus nostras, circumspecta Mulier, qui Christi Salvatoris nostri vice in hac re fungimur (quamvis indigni), sacram unctionem, et Regni insignia sis susceptura; bene est, ut te prius de onere, ad quod destinaris, moneamus. Regiam hodie suscipis dignitatem, et regendi fideles populos tibi commissos curam sumis. Præclarum sane inter mortales locum, sed discriminis, laboris, atque anxietatis plenum. Verum si consideraveris, quod omnis potestas a Domino Deo est, per quem Reges regnant, et legum conditores justa decernunt; tu quoque de grege tibi commisso ipsi Deo rationem es redditura. Primum pietatem servabis, et Dominum Deum tuum tota mente, ac puro corde coles. Christianam religionem, ac fidem Catholicam, quam ab incunabulis professa es, ad finem usque inviolatam reti-

nebis, eamque contra omnes adversantes pro viribus defendes. Ecclesiarum Prælatis, ac reliquis Sacerdotibus condignam reverentiam exhibebis. Ecclesiasticam libertatem non conculcabis. Justitiam, sine qua nulla societas diu consistere potest, erga omnes inconcusse administrabis, bonis præmia, noxiis debitas pœnas retribuendo. Viduas, pupillos, pauperes, ac debiles ab omni oppressione defendes. Omnibus te adeuntibus benignam, mansuetam, atque affabilem, pro Regia tua dignitate, te præbebis. Et ita te geres, ut non ad tuam, sed totius populi utilitatem regnare, præmiumque benefactorum tuorum, non in terris, sed in cælo expectare videaris: Quod ipse præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Regina electa accedit ad Metropolitanum, et genuflexa facit hanc professionem, dicens:

EGo N. Deo annuente, futura Regina N. profiteor et promitto coram Deo et Angelis ejus deinceps legem, justitiam, et pacem Ecclesiæ Dei, populoque mihi subjecto, pro posse et nosse, facere ac servare, salvo condigno misericordiæ Dei respectu, sicut in consilio fidelium meorum melius potero invenire. Pontificibus quoque Ecclesiarum Dei condignum et canonicum honorem exhibere; atque ea, quæ ab Imperatoribus et Regibus Ecclesiis collata et reddita sunt, inviolabiliter observare. Abbatibus, Comitibus, et vassallis meis congruum honorem, secundum consilium fidelium meorum, præstare.

Deinde ambabus manibus tangit librum Evangeliorum, quem Metropolitanus coram ea super genibus apertum tenet, inferiori parte libri Reginæ versa, dicens:

Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Et post Regina electa Metropolitani manum reverenter osculatur. Quo facto, Metropolitanus surgit, et cum mitra procumbit in faldistorio. Regina vero ad ejus sinistram in terram se prosternit.

Et cantores incipiunt, schola prosequente, Litanias, ut supra, pag. 21. in quibus cum dictum fuerit:

Ut omnibus fidelibus, etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Metropolitanus surgit, et accepto baculo pastorali in sinistra, super illam dicit:

Ut hanc electam in Reginam coronandam bene ✠ dicere digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit:

Ut hanc electam in Reginam coronandam bene ✠ dicere, et conse ✠ crare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Producendo semper super Reginam signum Crucis. Idem dicunt et faciunt Episcopi parati, genuflexi tamen permanentes. Quo dicto, Metropolitanus redit ad accubitum, cantoribus Litanias resumentibus, et perficientibus. Quibus finitis, Metropolitanus, deposita mitra, surgit, Regina prostrata manente, et dicit super eam intelligibili voce Orationem sequentem, quam astantes Episcopi, etiam sine mitris in locis suis stantes, submissa voce pronuntiant.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, hanc famulam tuam cælesti bene ✠ dictione sanctifica, quam in gubernationem regni Reginam eligimus: tua ubique sapientia eam doceat et confortet, atque Ecclesia tua fidelem famulam semper agnoscat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Tum surgit Regina, et coram Pontifice genuflectit. Deinde Pontifex mediocri voce, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem, quæ habetur supra pag. 123. Qua Præfatione cum sua conclusione expleta, sedet Metropolitanus, et accepta mitra, intingit pollicem dexteræ manus in oleum Catechumenorum, et inungit in modum crucis brachium dexterum Reginæ, inter juncturam manus, et juncturam cubiti, atque inter scapulas, dicens:

Deus Pater æternæ gloriæ sit tibi adjutor, et omnipotens benedicat tibi; preces tuas exaudiat; vitam tuam longitudine dierum adimpleat; benedictionem tuam jugiter confirmet; te cum omni populo in æternum conservet; inimicos tuos confusione induat; et super te Christi sanctificatio, atque hujus olei infusio floreat: ut qui tibi in terris tribuit benedictionem, ipse in cælis conferat meritum Angelorum; ac benedicat te, et custodiat in vitam æternam Jesus Christus Dominus noster: Qui vivit et regnat Deus, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Quo facto, surgit Regina, et ad partem se retrahit, ubi Prælati sui domestici ei assistunt. Metropolitanus vero mica panis abstergit pollicem, et lavat manus, deinde accedit ante altare, et deposita mitra, cum suis ministris facit Confessionem. Idem faciunt Episcopi parati juxta sedes suas sine mitris stantes. Facta Confessione, Metropolitanus ascendit ad altare, osculatur, incensat, et procedit in Missa usque ad

Alleluja exclusive, sive ultimum versum Tractus, vel Sequentiæ, si dicitur, more consueto. Regina vero ducitur a suis ad sacristiam, vel papilionem, ubi accipit vestes reginales. Deinde redit cum illis ad thalamum, ubi manet usque ad dictum Graduale: non tamen sedet in solio, sed super aliquod scabellum sibi paratum genuflexa procumbit audiens Missam. Missa dicitur de die, et cum Oratione diei dicitur pro ipsa electa Regina sub uno Per Dominum

Oratio.

QUæsumus omnipotens Deus, ut famula tua N. Regina nostra, quæ tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa: quibus decenter ornata, et vitiorum monstra devitare, et ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosa valeat pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Graduali cantato, Metropolitanus sedet ante altare in faldistorio cum mitra, et Regina a suis associata, media inter priores duos Prælatos paratos ad Metropolitanum reducitur; cui facta reverentia, ut prius, genuflectit coram eo. Tunc imponitur ei corona, quam omnes Episcopi parati, qui adsunt, de altari per Metropolitanum sumptam manibus tenent, ipso Metropolitano illam regente, et capiti illius imponente, ac dicente:

ACcipe Coronam regni, quæ, licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti; quam sanctitatis gloriam, et honorem, et opus fortitudinis significare intelligas, et per hanc te participem ministerii nostri non ignores. Ita ut sicut nos in interioribus pastores rectoresque animarum intelligimur; ita et tu in exterioribus vera Dei cultrix, strenuaque contra omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensatrix assistas; regnique tibi a Deo dati, et per officium nostræ benedictionis in vice Apostolorum, omniumque Sanctorum, regimini tuo commissi, utilis executrix, proficuaque regnatrix semper appareas; ut inter gloriosos athletas, virtutum gemmis ornata, et præmio sempiternæ felicitatis coronata, cum Redemptore, ac Salvatore nostro Jesu Christo, cujus nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris: Qui vivit et imperat Deus cum Patre et Spiritu Sancto in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Et mox dat ei sceptrum in manum, dicens:

Accipe virgam virtutis ac veritatis, et esto pauperibus misericors et affabilis; viduis, pupillis, et orphanis diligentissimam curam exhibeas; ut omnipotens Deus augeat tibi gratiam suam: Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum surgunt omnes, et Metropolitanus cum omnibus Episcopis paratis deducit Reginam, coronam in capite, et sceptrum in manu ferentem, mediam inter se et digniorem Episcopum paratum, supra solium, ubi stans cum mitra, una cum eodem digniore Episcopo inthronizat eam in solio, dicens:

Sta, et retine amodo locum tibi a Deo delegatum, per auctoritatem omnipotentis Dei, et per præsentem traditionem nostram, omnium scilicet Episcoporum, cæterorumque Dei servorum; et quanto Clerum sacris altaribus propinquiorem perspicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris; quatenus mediator Dei et hominum, te mediatricem Cleri et plebis permanere faciat.

Deinde Metropolitanus, deposita mitra, inchoat, schola sequente, Hymnum:

Te Deum laudamus, ut supra, pag. 59.

Qui totus dicitur; quo incepto, Metropolitanus accedit ad dexteram Reginæ, ibi continuo manens usque ad finem Hymni. Finito Hymno, Metropolitanus stans, ut prius, juxta Reginam sine mitra, dicit super illam:

℣. Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua.
℟. Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui victrices Moysi manus in oratione firmasti, qui quamvis ætate languesceret, infatigabili sanctitate pugnabat, ut dum Amalech iniquus vincitur, dum prophanus nationum populus subjugatur, exterminatis alienigenis, hæreditati tuæ possessio copiosa serviret; opus manuum tuarum piæ nostræ orationis exauditione confirma: habemus et nos apud te, sancte Pater, Dominum Salvatorem, qui pro nobis manus suas extendit in cruce, per quem etiam precamur, Altissime, ut tua potentia suffragante, universorum hostium frangatur impietas, populusque tuus, cessante formidine, te solum timere condiscat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quibus finitis, Metropolitanus cum Episcopis paratis revertitur ad sedem suam, vel ad faldistorium prope altare; et dicitur Alleluja, sive ultimus versus, Tractus, vel Sequentiæ, Evangelium, et alia usque ad Offertorium, inclusive. Quo dicto Metropolitanus sedet in faldistorio ante medium altaris cum mitra; et Regina a suis Prælatis, Magnatibus, et aliis associata venit ante Metropolitanum, coram quo genuflexa, offert ei aurum, quantum sibi placet, et manum Metropolitani recipientis osculatur. Deinde ad solium suum revertitur. Metropolitanus lavat manus, surgit, et accedit ad altare, et prosequitur Missam usque ad Communionem.

Cum Secreta diei dicitur pro Regina, sub uno Per Dominum

Secreta.

MUnera, quæsumus Domine, oblata sanctifica: ut et nobis Unigeniti tui Corpus et Sanguis fiant, et Reginæ nostræ ad obtinendam animæ corporisque salutem, et ad peragendum injunctum officium, te largiente, usquequaque proficiant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Pax datur Reginæ per primum ex Prælatis paratis cum instrumento ad hoc ordinato. Postquam Metropolitanus se communicaverit de Corpore et Sanguine, Regina sine corona et sine sceptro, de thalamo suo a suis dumtaxat associata accedit ad altare: genuflectit in supremo gradu altaris, et Metropolitanus conversus ad Reginam, eam communicat. Regina antequam sumat Sacramentum, osculatur manum dexteram Metropolitani, et sumpta Communione, ex Calice de manu Metropolitani se purificat, et purificata ad thalamum suum revertitur cum suis, ut venit. Metropolitanus vero ablutionem sumit, et accepta mitra, lavat manus, et perficit Missam.

Cum Postcommunione diei dicitur pro Regina sub uno Per Dominum

Postcommunio.

HÆc, Domine, oblatio salutaris famulam tuam N. Reginam nostram ab omnibus tueatur adversis: quatenus Ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem; et post istius temporis decursum ad æternam perveniat hæreditatem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

In fine Metropolitanus dat benedictionem solemnem; qua data, omnes vadunt in pace.

DE BENEDICTIONE

ET CORONATIONE REGIS IN CONSORTEM ELECTI.

Cum autem Regina jam pridem, ut Regni Domina, benedicta et coronata, deinde consortem sibi elegerit, quem postea statuerit coronari, ad diem ordinatam vocantur omnes Prælati Regni: parantur duo thalami, atque omnia alia ordinantur, prout supra in coronatione Regis posita sunt. Die autem statuto, Metropolitano et Prælatis in Ecclesia constitutis, et se vestientibus, Regina reginalibus vestibus induta cum corona in capite, et sceptro in manu, a suis associata venit ad Ecclesiam, et ascendit thalamum suum. Illis autem paratis, et suo ordine sedentibus, ut supra in coronatione Regis ordinatum est, Regina de thalamo suo descendens cum corona in capite, et sceptro in manu, venit coram Metropolitano, a quo, facta ei reverentia, petit Regem consortem suum benedici et coronari, sub his verbis:

Reverendissime Pater, postulamus, ut consortem nostrum, a Deo Nobis conjunctum, benedicere, et corona Regali decorare dignemini, ad laudem et gloriam Salvatoris nostri Jesu Christi.

Deinde ad thalamum suum revertitur. Interim Rex vestibus militaribus indutus venit ad Ecclesiam, a suis Prælatis domesticis non paratis, et Comitibus, Magnatibus regni, et aliis associatus. Qui cum venerit prope presbyterium, duo priores Episcopi ex paratis ei obviam veniunt, et cum mitris capita illi aliquantulum inclinantes, ipsum, bireto deposito, usque ante Metropolitanum deducunt; coram quo Rex caput inclinans, humilem ei reverentiam exhibet. Qua facta prior Episcoporum deducentium stans, detecto capite, versus ad Metropolitanum, voce intelligibili dicit:

Reverendissime Pater, postulat sancta Mater Ecclesia Catholica, ut præsentem egregium Militem ad dignitatem Regiam sublevetis.

Et omnia alia suo ordine fiunt, prout habetur supra sub prima Rubrica de Benedictione et Coronatione Regis, pag. 113. usque ad aliam Rubricam, de Coronatione Reginæ, quæ hic omittitur, cum sit prius coronata.

DE BENEDICTIONE
NOVI MILITIS.

Miles creari et benedici potest quacumque die, loco, et hora; sed si inter Missarum solemnia creandus est, Pontifex in eo habitu, in quo Missam celebravit, aut illi interfuit, in faldistorio ante medium altaris stans, vel sedens, prout convenit, finita Missa, id peragit. Si autem extra Divina, in stola supra rochetum, vel si sit Regularis, supra superpelliceum, id facit. Et primo ensem, quem aliquis coram eo genuflexus evaginatum tenet, stans, detecto capite, benedicit, si non sit benedictus, dicens:

℣. **Adjutorium nostrum in nomine Domini.**
℟. **Qui fecit cælum et terram.**
℣. **Domine exaudi orationem meam.**
℟. **Et clamor meus ad te veniat.**
℣. **Dominus vobiscum.**
℟. **Et cum spiritu tuo.**

Oremus.

Exaudi, quæsumus Domine, preces nostras: et hunc ensem, quo hic famulus tuus circumcingi desiderat, majestatis tuæ dextera dignare bene ✠ dicere, quatenus esse possit defensor Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo servientium, contra sævitiam paganorum atque hæreticorum; aliisque sibi insidiantibus sit terror et formido. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Bene ✠ dic, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per invocationem sancti nominis tui, et per adventum Jesu Christi Filii tui Domini nostri, et per donum Sancti Spiritus Paracliti, hunc ensem: ut famulus tuus, qui hodierna die eo tua pietate præcingitur, visibiles inimicos conculcet, victoriaque per omnia potitus semper maneat illæsus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde dicit, stans ut prius:

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium: * et digitos meos ad bellum.

Misericordia mea, et refugium meum: * susceptor meus, et liberator meus.

Protector meus, et in ipso speravi: * qui subdit populum meum sub me.

Gloria Patri. Sicut erat, etc.

℣. Salvum fac servum tuum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cuncta solus ordinas, et recte disponis, qui ad coercendam malitiam reproborum, et tuendam justitiam, usum gladii in terris hominibus tua salubri dispositione permisisti, et militarem ordinem ad populi protectionem institui voluisti, quique per beatum Joannem militibus ad se in deserto venientibus, ut neminem concuterent, sed propriis contenti essent stipendiis, dici fecisti: clementiam tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut sicut David puero tuo Goliam superandi largitus es facultatem, et Judam Machabæum de feritate gentium nomen tuum non invocantium triumphare fecisti; ita et huic famulo tuo, qui noviter jugo militiæ colla supponit, pietate cælesti vires et audaciam ad fidei et justitiæ defensionem tribuas; et præstes ei fidei, spei, et charitatis augmentum: et da tui timorem pariter et amorem, humilitatem, perseverantiam, obedientiam, et patientiam bonam, et cuncta in eo recte disponas, ut neminem cum gladio isto, vel alio, injuste lædat; et omnia cum eo justa et recta defendat; et sicut ipse de minori gradu ad novum militiæ promovetur honorem, ita veterem hominem deponens cum actibus suis, novum induat hominem; ut te timeat, et recte colat, perfidorum consortia vitet, et suam in proximum charitatem extendat, præposito suo in omnibus recte obediat, et suum in cunctis juste officium exequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum ensem aqua benedicta aspergit.

Si autem ensis sit prius benedictus, omnia prædicta omittuntur. Post hæc Pontifex sedens, accepta mitra, dat ensem nudum novo Militi ante se genuflexo in manum dexteram, dicens:

ACcipe gladium istum, in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti: et utaris eo ad defensionem tuam, ac sanctæ Dei Ecclesiæ, et ad confusionem inimicorum Crucis Christi, ac fidei Christianæ; et quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem injuste lædas. Quod ipse

præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde ensis in vaginam reponitur, et Pontifex cingit Militem novum ense, dicens:

ACcingere gladio tuo super femur tuum potentissime; et attende, quod Sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna.

Ense igitur accinctus Miles novus surgit, et ensem de vagina educit, et evaginatum ter viriliter vibrat, et super brachium sinistrum tergit, et in vaginam reponit.

Tum Pontifex dat novo Militi osculum pacis, dicens: Pax tecum.

Et iterum ensem evaginatum in dexteram accipiens, Militem novum ante se genuflexum cum ipso ense evaginato ter super scapulas leviter percutit, interim semel tantum dicens:

ESto Miles pacificus, strenuus, fidelis, et Deo devotus.

Deinde reposito ense in vaginam, Pontifex manu dextera dat novo Militi leviter alapam dicens:

EXciteris a somno malitiæ, et vigila in fide Christi, et fama laudabili.

Et Milites astantes imponunt novo Militi calcaria; et Pontifex sedens, dicit Antiphonam:

SPeciosus forma præ filiis hominum, accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.

Surgit Pontifex, et versus ad novum Militem stans, et detecto capite, dicit:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, super hunc famulum tuum, qui hoc eminenti mucrone circumcingi desiderat, gratiam tuæ bene ✠ dictionis infunde; et eum dexteræ tuæ virtute fretum fac contra cuncta adversantia cælestibus armari præsidiis, quo nullis in hoc sæculo tempestatibus bellorum turbetur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His dictis, novus Miles osculatur manum Pontificis; et depositis ense, et calcaribus, vadit in pace.

DE CREATIONE
MILITIS REGULARIS.

CUm summus Pontifex committit aliquem creari in Militem Ordinis militaris, Pontifex, cui creatio hujusmodi commissa est, in primis imponit ei habitum illum, quo Milites illius Ordinis, quem intendit profiteri, uti consueverunt. Deinde recipit ab eo adhuc genuflexo professionem, per tales emitti solitam, votorum, secundum illius Ordinis instituta.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

PONTIFICALIS

PARS SECUNDA.

DE BENEDICTIONE
ET IMPOSITIONE PRIMARII LAPIDIS PRO ECCLESIA ÆDIFICANDA.

Nemo Ecclesiam ædificet priusquam Pontificis judicio locus et atrium designentur, et quid ad luminaria, quid ad Rectoris ministrorumque stipendia sufficiat, quidque ad Ecclesiæ dotem pertineat, definiatur; et per eum, vel ejus auctoritate, per Sacerdotem Crux in loco figatur, et lapis primarius in fundamento ponatur. Pridie igitur lignea Crux in loco, ubi debet esse altare, figatur. Sequenti vero die, lapis in Ecclesiæ fundatione ponendus, qui debet esse quadratus et angularis, benedici debet hoc modo: Pontifex paratus supra rochetum, vel, si sit Regularis supra superpelliceum, amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali albi coloris, et mitra simplici, et baculum pastoralem in sinistra tenens, stans cum mitra, in loco ubi Ecclesia est fundanda, benedicit sal et aquam, dicens:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

Exorcizo te, creatura salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Eliseum prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ; ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium; et sis omnibus sumentibus te sanitas animæ et corporis; et effugiat atque discedat a loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, et nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus, per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde, depositis baculo pastorali et mitra, junctis manibus dicit:

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

IMmensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare tua pietate digneris; ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis; et quidquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione spiritualis nequitiæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum, acceptis mitra et baculo pastorali super aquam absolute dicit:

EXorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Pa ✠ tris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi Fi ✠ lii ejus Domini nostri, et in virtute Sancti ✠ Spiritus, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare, et explantare valeas cum angelis suis apostaticis, per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi: Qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde depositis baculo pastorali et mitra, junctis manibus dicit:

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti: adesto propitius invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene ✠ dictionis infunde; ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abjiciendos dæmones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum; ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda resperserit, careat omni immunditia, liberetur a noxa: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiæ latentis inimici; et si quid est, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat; ut salubritas per invocationem sancti tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Pontifex mittit sal in aquam, in modum crucis, dicendo semel:

COmmistio salis et aquæ pariter fiat: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis; qui inimici rugientis sævitiam superas; qui hostiles nequitias potenter expugnas: te Domine, trementes, et supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices; ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et præsentia Sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex accipit mitram, et schola cantat Antiphonam, et Psalmum sequentes. Interim dum ea cantantur, Pontifex cum mitra aspergit locum, ubi Crux posita est, cum aqua per eum benedicta. Antiphona 1. ton.

Signum salutis pone Domine Jesu Christe in loco isto, et non permittas introire angelum percutientem.

Psalmus 83.

QUam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum, * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine, * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.
Elegi abjectus esse in domo Dei mei: * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.
Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: * gratiam et gloriam dabit Dominus.
Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.
Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Finitis Antiphona et Psalmo prædictis, Pontifex stans versus ad locum per eum aspersum, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Domine Deus, qui licet cælo et terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, ubi nomen tuum jugiter invocetur: locum hunc, quæsumus, beatæ Mariæ semper Virginis, et beati N. (nominando Sanctum, vel Sanctam, in cujus honorem ac nomen fundabitur Ecclesia), omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, et per infusionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva; et qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris, effugiantque omnes hinc nequitiæ spirituales. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc stans adhuc sine mitra Pontifex, benedicit primarium lapidem, dicens:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes.
℟. Hic factus est in caput anguli.
℣. Tu es Petrus.
℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.
℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

Domine Jesu Christe fili Dei vivi, qui es verus omnipotens Deus, splendor et imago æterni Patris, et vita æterna, qui es lapis angularis, de monte sine manibus abscissus, et immutabile fundamentum: hunc lapidem collocandum in tuo nomine confirma; et tu, qui es principium et

finis, in quo principio Deus Pater ab initio cuncta creavit, sis, quæsumus, principium, et incrementum, et consummatio ipsius operis, quod debet ad laudem et gloriam tui nominis inchoari: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hunc lapidem in fundamentum Ecclesiæ, in honorem sancti N. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, de quo dicit Apostolus, Petra autem erat Christus: Qui tecum, et cum Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tunc aspergit lapidem ipsum aqua benedicta, et accepto cultro, per singulas partes sculpit in eo signum Crucis, dicens: *In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.* ℟. Amen.

Quo facto, dicit:

Oremus.

BEnedic, Domine, creaturam istam lapidis: et præsta per invocationem sancti nominis tui, ut quicumque ad hanc Ecclesiam ædificandam pura mente auxilium dederint, corporis sanitatem, et animæ medelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde ponitur in terram aliquot tapete, et desuper faldistorium, super quod Pontifex accepta mitra accumbit. Tum dicuntur Litaniæ usque ad finem, ut supra, pag. 21. quibus finitis, Pontifex deposita mitra surgit, et stans versus ad primarium lapidem, dicit:

Oremus.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te cæpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde parato cæmento, et cæmentario assistente, Pontifex cum mitra inchoat, schola prosequente, Antiphonam 1. ton.

Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino: vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

Psalmus 126.

NIsi Dominus ædificaverit domum, * in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem : * frustra vigilat, qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: * ecce hæreditas Domini, filii : merces, fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis : * ita filii excussorum.

Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis: * non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Quo dicto, Pontifex stans cum mitra tangit, et ponit ipsum primarium lapidem in fundamento, dicens:

IN fide Jesu Christi collocamus lapidem istum primarium in hoc fundamento. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, ut vigeat vera fides hic, et timor Dei, fraternaque dilectio : et sit hic locus destinatus orationi, et ad invocandum, et laudandum nomen ejusdem Domini nostri Jesu Christi : Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Interim cæmentarius locat ipsum lapidem cum cæmento; postea Pontifex spargit super lapidem aquam benedictam, dicens:

ASperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalmus. Miserere mei Deus, * secundum, etc. Et dicitur totus cum Gloria Patri, et Sicut erat. ut supra, pag. 76.

Quo dicto, Pontifex spargit aquam benedictam per omnia fundamenta, si sunt aperta; si non sunt aperta, circuit aspergendo fundamenta Ecclesiæ designata, hoc modo. Incipiens aspergere, et circuire, inchoat, schola prosequente, Antiphonam 6. ton.

O quam metuendus est locus iste! vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cæli.

Psalmus 86.

FUndamenta ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylonis * scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Ethiopum, * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum; * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium * habitatio est in te.
Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Et repetitur Antiphona. Interim aspergendo procedit usque ad tertiam partem fundamentorum apertorum, seu designatorum, ubi subsistit; et repetita Antiphona, Pontifex stans ibidem, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri:
Flectamus genua. ℟. Levate.

OMnipotens et misericors Deus, qui sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modo visitaturi sumus, visites, et quidquid benedicturi sumus, benedicas; sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Deinde inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 5. Pax æterna ab æterno huic domui. Pax perennis, Verbum Patris, sit pax huic domui: pacem pius consolator huic præstet domui.

Interim Pontifex, accepta mitra, aspergendo procedit usque ad aliam tertiam partem fundamentorum apertorum, seu designatorum, ibidem subsistens: et finita Antiphona, stans cum mitra, dicit:

OMnipotentem Deum, fratres charissimi, in cujus domo multæ sunt mansiones, supplices deprecemur; ut locum istum nomini suo ædificandum per serenissimam pietatem suam bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 8. Bene fundata est domus Domini supra firmam petram.

Psalmus 121.

LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Domini ibimus.
Stantes erant pedes nostri, * in atriis tuis Jerusalem.
Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: * cujus participatio ejus in idipsum.
Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: * testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.
Quia illic sederunt sedes in judicio, * sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: * et abundantia diligentibus te.
Fiat pax in virtute tua: * et abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos, et proximos meos, * loquebar pacem de te.
Propter domum Domini Dei nostri, * quæsivi bona tibi.
Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Et repetitur Antiphona. Interim Pontifex aspergendo procedit per ultimam tertiam partem fundamentorum apertorum, seu designatorum, revertens ad locum, in quo lapidem imposuit; ubi repetita Antiphona, stans, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et Ministri:

Flectamus genua. ℟. Levate.

DEus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum, æternum Majestati tuæ condis habitaculum: da ædificationi tuæ incrementa cælestia; ut, quod te jubente fundatur, te largiente perficiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Subsequenter Pontifex ibidem stans sine mitra, inchoat, schola prosequente, Hymnum:

Veni, Creator Spiritus.

Et dicitur totus, prout habetur supra, pag. 36. quo inchoato, Pontifex genuflectit usque ad finem primi versus. Tunc surgit stans, detecto capite, usque ad finem Hymni, quo finito, dicit:

DEscendat, quæsumus Domine Deus noster, Spiritus tuus Sanctus super hanc domum ædificandam: qui et dona nostra, et populi tui in ea sanctificet; et ipsius corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator assistis: exaudi nos quæsumus, et concede; ut inviolabilis hujus loci permaneat constructio; et beneficia tui muneris universitas fidelium, quæ tibi supplicat, percipere mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Hoc facto, accepta mitra, Pontifex, si placet, sedens ibidem in faldistorio, exhortatur populum ad contribuendum pro structura Ecclesiæ novæ, et aliis opportunis. Deinde dat benedictionem solemnem, dicens:

Sit nomen Domini benedictum, etc.

Et in fine concedit indulgentias. His expletis, si velit, parat se ad celebrandum Missam in dicto loco, de Sancto, in cujus nomine Ecclesia fundatur.

DE ECCLESIÆ

DEDICATIONE, SEU CONSECRATIONE.

Ecclesiarum Consecratio, quamvis omni die de jure fieri possit, decentius tamen in Dominicis diebus, vel Sanctorum solemnitatibus fit.

Quando autem Ecclesia fuerit dedicanda, debet Archidiaconus prænuntiare Clero et populo, quibus est Ecclesia consecranda, ut priusquam consecretur, jejunent. Nam Pontifex consecrans, et qui petunt sibi Ecclesiam consecrari, præcedenti die jejunare debent. Sane sero ante diem Dedicationis, Pontifex parat reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti, et mundo vasculo, cum tribus granis thuris; ponit etiam in eo chartulam de pergameno, scriptam sub hac forma.

M. DC. LXIII. die N. Mensis N. Ego N. Episcopus N. consecravi Ecclesiam, et altare hoc, in honorem Sancti N. et Reliquias Sanctorum Martyrum N. et N. in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia, in forma Ecclesiæ consueta concessi.

Sigillans ipsum vasculum diligenter, et illud in honesto, et mundo loco, vel sub tentorio ante fores Ecclesiæ consecrandæ parato ponens, et super ornatum feretrum decenter collocans, cum duobus candelabris et luminaribus ardentibus.

Celebrandæque sunt vigiliæ ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni, et Matutinæ Laudes in honorem Sanctorum, quorum Reliquiæ sunt recondendæ; imagines vero, cruces, et alia ipsa nocte remaneant in Ecclesia consecranda.

Parantur etiam in Ecclesia, quæ ad dedicationem ipsius Ecclesiæ, et altaris sunt necessaria, videlicet sanctum Chrisma in vasculo, et ampulla; Oleum sanctum Catechumenorum, etiam in vasculo, et ampulla; duæ libræ thuris, cujus medietas sit in granis; thuribulum cum navicula et cochleari; vas cum prunis ardentibus; vas cum cineribus, pro quantitate Ecclesiæ; vas cum sale; vas vini; aspersorium factum de herba hyssopi; mantilia ex tela grossa, ad extergendum mensam altaris, quoties expedierit; coopertura linea cerata, ad mensuram altaris, pro quolibet altari consecrando; quinque cruces parvæ etiam pro quolibet altari consecrando, factæ de candelis ceræ subtilibus; aliquæ spatulæ ligneæ parvæ ad abradendum de altari combustiones candelarum, et thu-

ris; vas, in quo ipsæ rasuræ deponantur; calx, arena, sive tegula trita ad faciendum cæmentum, pro liniendo sepulcro Reliquiarum, et junctura mensæ altaris cum stipite; cæmentarius, qui hoc agat; duo intortitia accensa, quæ semper præcedant Pontificem, quocumque ierit; vasa cum aqua, ad abluendas manus Pontificis; et medulla panis, ac mantilia, pro extergendis manibus; duæ libræ bombycis, pro extergendis crucibus unctis, quæ fiunt in parietibus Ecclesiæ, et in stipite altaris; duo vasa cum aqua benedicenda, unum extra Ecclesiam, et aliud intus in presbyterio; tobaleæ novæ mundæ, et vasa, atque ornamenta ad cultum Dei, et Ecclesiæ, et altaris, postquam consecrata fuerint, pertinentia, benedicenda. Item depingantur in parietibus Ecclesiæ intrinsecus per circuitum duodecim cruces, circa decem palmos super terram, videlicet tres pro quolibet, ex quatuor parietibus. Et ad caput cujuslibet crucis figatur unus clavus, cui affigatur una candela unius unciæ. Scala, super quam ascendens Pontifex possit attingere ipsas duodecim cruces. Fontes Ecclesiæ, in quibus conservatur aqua benedicta, vacui sint, et bene mundi. Et provideatur, quod Ecclesia possit exterius libere circumiri.

Pontifex mane in suo habitu quotidiano venit ad Ecclesiam: ordinat in Ecclesia consecranda, quæ ordinanda sunt; et ejus jussu accenduntur præmissæ duodecim candelæ; et faldistorium ornatum ponitur supra tapete in medio Ecclesiæ; et mox Pontifex exit Ecclesiam, cunctis inde exire jussis, uno tantum Diacono amictu, alba, cingulo, et stola albi coloris parato intus remanente; et Ecclesiæ fores clauduntur.

Tunc Pontifex cum Clero et populo accedit ad locum, ubi pridie Reliquiæ positæ fuerunt, et ibi incipit, et dicit voce submissa cum Clericis septem Psalmos cum Antiphona Ne reminiscaris, etc. ut supra, pag. 74. sine Litaniis. Interim induet amictum, albam, cingulum, stolam, et pluviale albi coloris, accipiens mitram simplicem in capite, et baculum pastoralem in manu sinistra. Alter quoque Diaconus paratus similiter amictu, alba, cingulo, et stola albi coloris; Subdiaconus etiam amictum, albam, et cingulum indutus; Acolythi, et alii ministri superpelliceis parati adsint. Septem Psalmis expletis, redit Pontifex cum ministris ante fores Ecclesiæ consecrandæ, et parato ibi alio super tapete faldistorio, Pontifex deposito baculo pastorali, et stans sine mitra inchoat, et schola prosequitur Antiphonam ton. 1.

A desto Deus unus omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.

Deinde dicit, stans eodem modo:

Oremus.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua dicta, Pontifex, accepta mitra, procumbit supra faldistorium ibidem præparatum, et cantores incipiunt Litanias, ut supra, pag. 21. et eas prosequuntur usque ibi, Ab omni malo, Libera nos Domine, exclusive. Tunc surgens Pontifex ab accubitu, et stans cum mitra, benedicit ibidem aquam et sal, prout supra habetur, pag. 138. Expleta aquæ benedictione, Pontifex stans sine mitra, aspergit se, et circumstantes cum illa, inchoans, schola prosequente, Antiphonam ton. 7.

Asperges me Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Qua incepta, imposita sibi mitra, stans ante fores Ecclesiæ, præcedentibus ipsum duobus Acolythis cum candelis accensis, incipit circuire ad manum dexteram, procedens cum Clero et populo, et aspergens cum ipsa aqua forinsecus parietes Ecclesiæ, in superiori parte eorum, et cœmeterium, dicens semper:

In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

Interim finita dicta Antiphona, schola cantat Responsorium ton. 2.

Fundata est domus Domini super verticem montium, et exaltata est super omnes colles, et venient ad eam omnes Gentes. * Et dicent: Gloria tibi Domine.

℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. * Et dicent.

Expleto circuitu, Pontifex perveniens ante ostium, stans ibidem versus ad ostium, depositis aspersorio et mitra, dicit: Oremus.

Et ministri, seu Diaconus: Flectamus genua; et Subdiaconus: ℟. Levate.

OMnipotens sempiterne Deus, qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis, totus operaris: adesto supplicationibus nostris; et hujus domus, cujus es fundator, esto protector: nulla hic nequitia contrariæ potestatis obsistat, sed, virtute Spiritus Sancti operante, fiat hic tibi semper purum servitium, et devota libertas. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quo dicto, Pontifex, acceptis mitra et baculo pastorali, ad ostium Ecclesiæ appropinquans, percutit illud semel cum

inferiori parte ejusdem baculi pastoralis, super liminare, dicens intelligibili voce:

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit Rex gloriæ.

Diaconus intus existens dicit alta voce:

Quis est iste Rex gloriæ?

Pontifex respondet:

Dominus fortis, et potens: Dominus potens in prælio.

Deinde Pontifex deposito baculo pastorali, et accepto aspersorio, iterum circuit Ecclesiam cum Clero et populo, incipiens ad eamdem manum dexteram, aspergendo parietes juxta fundamentum ipsorum, et cœmeterium, dicens semper:

In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

Interim schola cantat Responsorium ton. 8.

Benedic, Domine, domum istam, quam ædificavi nomini tuo. Venientium in loco isto, * Exaudi preces in excelso solio gloriæ tuæ.

℣. Domine, si conversus fuerit populus tuus, et egerit pœnitentiam, veniensque oraverit in loco isto. * Exaudi.

Expleto circuitu, Pontifex perveniens ante ostium, stans ibidem versus ad illud, depositis aspersorio et mitra, dicit:

O remus.

Et ministri:

F lectamus genua. ℟. Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem, duos ex diverso venientes, ex circumcisione et præputio, parietes, duosque greges ovium sub uno eodemque pastore unisti: da famulis tuis per hæc nostræ devotionis officia indissolubile vinculum charitatis; ut nulla divisione mentium, nullaque perversitatis varietate sequestrentur, quos sub unius regimine pastoris unus grex continet, uniusque, te custode, ovilis septa concludunt. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum acceptis mitra, et baculo pastorali, appropinquans iterum ad ostium, percutit secundo cum eodem baculo pastorali, super liminare, dicens simili voce ut prius:

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit Rex gloriæ.

Diaconus intus existens, dicit:

Quis est iste Rex gloriæ?

Pontifex respondet:

Dominus fortis, et potens: Dominus potens in prælio.

Deinde deposito baculo pastorali, et accepto aspersorio, circuit tertio Ecclesiam cum Clero et populo, incipiens ad si-

nistram manum, proceditque aspergens exterius cum eadem aqua parietes in media parte eorum, id est circa altitudinem faciei suæ, et cœmeterium, dicens semper:

In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

Interim schola cantat Responsorium ton. 8.

Tu Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis. * Conserva domum istam immaculatam in æternum Domine.

℣. Tu elegisti, Domine, domum istam ad invocandum nomen tuum in ea, ut esset domus orationis, et obsecrationis populo tuo. * Conserva.

Expleto cantu, et circuitu, cum Pontifex pervenerit ante ostium, stans ibidem versus ad illud, depositis aspersorio, et mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri:

Flectamus genua. ℟. Levate.

OMnipotens, et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam; ut quidquid modo visitaturi sumus, visites, et quidquid benedicturi sumus, benedicas; sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum, acceptis mitra, et baculo pastorali, appropinquans tertio ad ostium Ecclesiæ percutit iterum super liminare cum eodem baculo pastorali, dicens:

ATtollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit Rex gloriæ.

Diaconus intus existens, dicit:

Quis est iste rex gloriæ?

Pontifex, et universus Clerus respondet:

Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.

Adjicientes:

Aperite. Aperite. Aperite.

Pontifex facit crucem super liminare in ostio cum inferiore parte baculi pastoralis, dicens:

ECce Cru ✠ cis signum, fugiant phantasmata cuncta.

Et aperto ostio, intrat Ecclesiam solus cum ministris clericis, et choro, et cæmentariis, qui collocare, et linire debent lapidem super sepulcrum Reliquiarum, et mensam altaris, si est remota, aut separata a stipite, dimisso ab extra

Clero et populo, et clauso Ecclesiæ ostio post eos. Ingressus autem Pontifex Ecclesiam, dicit intelligibili voce:

Pax huic domui.

Et Diaconus, qui est intus, respondet:

In introitu vestro.

Et omnes dicunt:

Amen.

Tum schola, sive cantores cantant Antiphonam ton. 5.

Pax æterna ab æterno huic domui. Pax perennis, Verbum Patris, sit pax huic domui: pacem pius consolator huic præstet domui.

Qua dicta, cantant etiam sequentem Antiphonam ton. 8.

Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille festinans descendit, et suscepit illum gaudens in domum suam. Hodie huic domui salus a Deo facta est, alleluja.

Hæc dum cantantur, Pontifex procedit usque ad medium Ecclesiæ, ubi faldistorium paratum est; et expletis prædictis Antiphonis, depositis baculo et mitra, flexis ibi genibus, versus ad altare majus inchoat, schola prosequente, Hymnum:

Veni, creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti, pectora.

Finito primo versu, surgit Pontifex, et stat usque ad finem sine mitra.

Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis charitas,
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,

Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

Interim unus ex ministris spargit cinerem per pavimentum Ecclesiæ, in modum Crucis, faciendo ex eo lineas duas, quamlibet latitudinis fere unius palmi; unam ab angulo Ecclesiæ ad sinistram manum per principalem portam intrantis, ad angulum transversum illius, id est, dexterum intrantis, ad caput Ecclesiæ; et aliam ab angulo Ecclesiæ ad dexteram manum intrantis, ad angulum transversum illius, id est sinistrum ipsius, ad caput Ecclesiæ: vel si Ecclesia sit magna, fieri possunt loco primæ lineæ viginti quatuor Areolæ æquali spatio distantes, ex cinere; et loco secundæ, viginti tres.

Finito Hymno, Pontifex accepta mitra, accumbit super faldistorium, et schola iterum incipit et prosequitur Litanias, ut supra, pag. 21. in quibus suo loco nominetur bis Sanctus ille, in cujus honore, et nomine Ecclesia, vel altare dedicatur, et illi, quorum Reliquiæ in eo includuntur. Postquam autem dictum fuerit:

Ut omnibus fidelibus, etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Pontifex ab accubitu surgit, et baculum pastoralem in sinistra tenens, dicit in eodem tono:

UT locum istum visitare digneris.
℟. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit:

Ut in eo Angelorum custodiam deputare digneris.
℟. Te rogamus audi nos.

Deinde dexteram in altum extendens, producit communiter super Ecclesiam et altare consecrandum ter successive signum crucis, dicens primo:

UT Ecclesiam, et altare hoc, ad honorem tuum, et nomen Sancti N. consecranda, bene ✠ dicere digneris.
℟. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit:

Ut Ecclesiam, et altare hoc, ad honorem tuum, et nomen Sancti N. consecranda, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris.
℟. Te rogamus audi nos.

Tertio dicit :

Ut Ecclesiam, et altare hoc, ad honorem tuum, et nomen Sancti N. consecranda, bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Quo facto, deposito baculo pastorali, iterum accumbit super faldistorium, schola Litanias resumente, et perficiente: quibus finitis, ab accubitu surgit, deposita mitra, et stans ibidem versus ad altare majus, dicit intelligibili voce:

Oremus.

Et ministri :

Flectamus genua. ℟. Levate.

PRæveniat nos, quæsumus Domine, misericordia tua: et intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Oremus.

MAgnificare Domine Deus noster in Sanctis tuis, et hoc in templo tibi ædificato appare; ut qui cuncta in filiis adoptionis operaris, ipse semper in tua hæreditate lauderis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Finitis Orationibus, schola incipit et prosequitur Antiphonam ton. 6.

O quam metuendus est locus iste! vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cæli.

Canticum Zachariæ. Luc. 1.

BEnedictus Dominus Deus Israel, * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ.

Repetitur tota Antiphona.

Et erexit cornu salutis nobis: * in domo David pueri sui.

Repetitur Antiphona, ut prius.

Sicut locutus est per os Sanctorum, * qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus.

Repetitur iterum Antiphona, ut prius.

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium, qui oderunt nos :

Iterum repetitur Antiphona.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: * et memorari testamenti sui sancti.

Repetitur Antiphona.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum: * daturum se nobis :

Repetitur iterum Antiphona.

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi.

Iterum repetitur Antiphona.

In sanctitate, et justitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.
Repetitur, ut prius, Antiphona.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus:
Antiphona repetitur, ut prius.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, * in remissionem peccatorum eorum.
Repetitur, ut prius, Antiphona.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: * in quibus visitavit nos oriens ex alto:
Antiphona repetitur, ut prius.


Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent: * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.
Repetitur, ut prius, Antiphona.

Gloria Patri, et Filio: * et Spiritui Sancto.
Ut prius, Antiphona repetitur.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: * et in sæcula sæculorum. Amen.
Tandem iterum Antiphona repetitur.

Interim, dum præmissa cantantur, Pontifex, acceptis mitra et baculo pastorali, incipiens ab angulo Ecclesiæ ad sinistram intrantis, prout supra lineæ factæ sunt, cum extremitate baculi pastoralis scribit super cineres alphabetum Græcum, ita distinctis litteris, ut totum spatium occupent, his videlicet:

Deinde simili modo incipiens ab angulo Ecclesiæ ad dexteram intrantis, scribit alphabetum Latinum, super cineres distinctis litteris, his videlicet:


A B C D E F G H I K L M
N O P Q R S T V X Y Z
Β Γ Δ Ε Ζ Η Θ Ι Κ Λ Μ
Ν Ξ Ο Π Ρ Σ Τ Υ Φ Χ Ψ Ω

Post hæc Pontifex cum mitra accedit versus altare majus consecrandum, et distans ab illo spatio congruenti, depositis baculo et mitra, genuflexus competenti voce, dicit:

Deus in adjutorium meum intende.

Quo dicto, Pontifice surgente, Chorus respondet:

Domine ad adjuvandum me festina.

Tum Pontifex stans sine mitra in eodem loco, dicit:

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

Chorus respondet:

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen, sine Alleluja.

Et id eisdem modo et loco, secundo, et tertio fit voce semper altius elevata. Quibus dictis, Pontifex stans in eodem loco cum mitra benedicit aliam aquam cum sale, cinere, et vino, incipiens absolute exorcismum salis.

Exorcizo te, creatura salis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui Apostolis suis ait, Vos estis sal terræ; et per Apostolum dicit, Sermo vester semper in gratia sale sit conditus; ut sancti ✠ ficeris ad consecrationem hujus Ecclesiæ et altaris, ad expellendas omnes dæmonum tentationes, et omnibus qui ex te sumpserint, sis animæ et corporis tutamentum, sanitas, protectio, et confirmatio salutis. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde, deposita mitra, dicit: ℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, qui hanc gratiam cælitus sali tribuere dignatus es, ut ex illo possint universa condiri, quæ hominibus ad escam procreasti: bene ✠ dic hanc creaturam salis, ad effugandum inimicum; et ei salubrem medicinam immitte, ut proficiat sumentibus ad animæ et corporis sanitatem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum, assumpta mitra, dicit absolute exorcismum aquæ.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, ut repellas diabolum a termino justorum, ne sit in umbraculis hujus Ecclesiæ et altaris. Et tu, Domine Jesu Christe, infunde Spiritum Sanctum in hanc Ecclesiam tuam et altare; ut proficiat ad sanitatem corporum animarumque adorantium te, et magnificetur nomen tuum in Gentibus; et increduli corde convertantur ad te, et non habeant alium Deum, præter te Domi-

num solum : Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde, deposita mitra, dicit :

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus, Pater omnipotens, statutor omnium elementorum, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum elementum hoc aquæ in salutem humani generis esse voluisti: te supplices deprecamur, ut exauditis orationibus nostris, eam tuæ pietatis aspectu sancti ✠ fices; atque ita omnium spirituum immundorum ab ea recedat incursio, ut ubicumque fuerit in nomine tuo aspersa, gratia tuæ benedictionis adveniat, et mala omnia, te propitiante, procul recedant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum, stans sine mitra, dicit super cineres:

Benedictio cinerum.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, parce pœnitentibus, propitiare supplicantibus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui bene ✠ dicat, et sancti ✠ ficet hos cineres, ut sint remedium salubre omnibus nomen sanctum tuum humiliter implorantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, ante conspectum divinæ clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixeque flagitantibus; et præsta, per invocationem sanctissimi nominis tui, ut quicumque eos super se asperserint pro redemptione peccatorum suorum, corporis sanitatem, et animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum Pontifex accipit sal, et miscet cineri in modum crucis, dicens :

COmmistio salis, et cineris pariter fiat : In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Deinde accipiens pugillum de mistura salis et cinerum in modum crucis ter immittit in aquam, qualibet vice dicens :

COmmistio salis, cineris, et aquæ pariter fiat: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.
℟. Amen.

Deinde, stans sine mitra, dicit super vinum:

Benedictio vini.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisti, quique es vitis vera: multiplica super nos misericordiam tuam; et bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris hanc creaturam vini, ut ubicumque fusum fuerit, vel aspersum, divinæ id benedictionis tuæ opulentia repleatur, et sanctificetur: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde mittit, in modum crucis, vinum in aquam ipsam, dicens:

COmmistio vini, salis, cineris, et aquæ pariter fiat: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis, et dator gratiæ spiritualis, ac largitor æternæ salutis: emitte Spiritum Sanctum tuum super hoc vinum cum aqua, sale, et cinere mistum; ut armatum cælestis defensione virtutis, ad consecrationem hujus Ecclesiæ et altaris tui proficiat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Tum Pontifex, assumpta mitra, dicit absolute super aquam prædictam:

SAncti ✠ ficare per verbum Dei unda cælestis, sancti ✠ ficare aqua calcata Christi vestigiis, quæ montibus pressa non clauderis; quæ scopulis illisa non frangeris; quæ terris diffusa non deficis. Tu sustines aridam; tu portas montium pondera, nec demergeris; tu cælorum vertice contineris; tu circumfusa per totum lavas omnia, nec lavaris. Tu

fugientibus populis Hebræorum in molem durata constricta es; tu rursum salsis resoluta vorticibus, Nili accolas perdis, et hostilem globum freto sæviente persequeris: una eademque es salus fidelibus, et ultio criminosis. Te per Moysen percussa rupes evomuit, neque abdita cautibus latere potuisti, cum majestatis imperio jussa prodires; tu gestata nubibus imbre jucundo arva fœcundas. Per te, aridis æstu corporibus, dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam potus infunditur: tu intimis scaturiens venis, aut spiritum inclusa vitalem, aut succum fertilem præstas, ne siccatis exinanita visceribus solemnes neget terra proventus. Per te initium, per te finis exultat; vel potius ex Deo est, tuum ut terminum nesciamus; aut tuorum, omnipotens Deus, cujus virtutum non nescii, dum aquarum merita promimus, operum insignia prædicamus. Tu benedictionis auctor, tu salutis origo: te suppliciter deprecamur, ac quæsumus, ut imbrem gratiæ tuæ super hanc domum cum abundantia tuæ bene ✠ dictionis infundas; bona omnia largiaris; prospera tribnas; adversa repellas; malorum facinorum dæmonem destruas; Angelum lucis amicum, bonorum provisorem, defensoremque constituas. Domum in tuo nomine cæptam, te adjutore, perfectam bene ✠ dictio tua in longum mansuram confirmet. Tuum hæc fundamenta præsidium, culmina tegumentum, ostia introitum, penetralia mereantur accessum. Sit per illustrationem vultus tui utilitas hominum, stabilitas parietum.

Tum Pontifex accedit ad ostium Ecclesiæ, et cum extremitate baculi pastoralis facit crucem in parte superiori, et aliam in parte inferiori intrinsecus.

Quo facto, deposito baculo, stans ibidem prosequitur, dicens:

Sit positis Crux invicta liminibus; utrique postes gratiæ tuæ inscriptione signentur; ac per multitudinem propitiationis tuæ visitatoribus domus sit pax cum abundantia, sobrietas cum modestia, redundantia cum misericordia. Inquietudo omnis, et calamitas longe recedant. Inopia, pestis, morbus, languor, incursusque malorum spirituum tua semper visitatione discedant; ut tua fusa in hoc loco visitationis gratia extensos ejus terminos, et atria circumacta percurrat; sitque per cunctos ejus angulos, ac recessus hujus gurgitis purificatio per lavacrum; ut semper hic lætitia quietis, gratia hospitalitatis, abundantia frugis, reverentia religionis, copiaque sit salutis. Et, ubi invocatur sanctum nomen tuum, bonorum omnium succedat copia; malorum tentamenta procul effugiant, et mereamur habere nobiscum Angelum pacis,

castitatis, charitatis, ac veritatis, qui semper ab omnibus malis nos custodiat, protegat, et defendat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde redit ad dictum locum, ubi aquam benedixit, et stans ibidem versus ad altare majus, mitram in capite tenens, dicit:

DEum Patrem omnipotentem, fratres charissimi, in cujus domo mansiones multæ sunt, supplices deprecamur: ut habitaculum istud bene ✠ dicere, et custodire dignetur, per aspersionem hujus aquæ cum vino, sale, et cinere mistæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum: Qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc Pontifex procedit ad altare cum mitra, et ibidem incboat, schola prosequente, Antiphonam sequentem ton. 4.

CONSECRATIO ALTARIS

Advertendum, quod si plura altaria in eadem Ecclesia tunc fuerint consecranda, Pontifex eosdem actus et cæremonias facit, sub eisdem verbis, in singulis altaribus successive, sicut facit in primo altari.

Introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Psalmus 42.

JUdica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: * ab homine iniquo, et doloso erue me.

Repetitur tota Antiphona prædicta, si necesse fuerit.

Quia tu es Deus fortitudo mea: * quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Iterum repetitur Antiphona.

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Antiphona tota repetitur.

Et introibo ad altare Dei: * ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Iterum Antiphona repetitur.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: * quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?

Repetitur, ut prius, Antiphona.

spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Et non dicitur Gloria Patri, sed Antiphona prædicta repetitur.

Incepta prima Antiphona, Pontifex, retenta mitra, stans ante altare intingit pollicem dexteræ manus in aqua prædicta, ultimo per eum benedicta, et cum eo et aqua hujusmodi facit crucem in medio tabulæ altaris, dicens:

SAncti ✠ ficetur hoc altare in honorem Dei omnipotentis, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, et ad nomen ac memoriam Sancti N. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Deinde facit ex eadem aqua cum eodem pollice quatuor cruces in quatuor cornibus altaris, repetens in qualibet cruce verba præmissa.

Sancti ✠ ficetur hoc altare, etc. Facit autem primam crucem in dextera parte posteriori altaris, idest, ubi legitur Evangelium; secundam in sinistra parte anteriori transversa primæ; tertiam in dextera anteriori; quartam in sinistra posteriori tertiæ transversa in hunc modum.



Quo facto, et finitis Antiphona et Psalmo prædictis, Pontifex stans ibidem, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

SIngulare illud propitiatorium in altari Crucis pro nobis redimendis oblatum, in cujus præfiguratione Patriarcha Jacob lapidem erexit in titulum, quo fieret sacrificium, et portæ cæli desuper aperiretur oraculum: supplices tibi, Domine, preces fundimus, ut lapidis hujus expolitam materiam, supernis sacrificiis imbuendam, ipse tuæ ditari sanctificationis ubertate præcipias, qui quondam lapideis legem scripsisti in tabulis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratione expleta, Pontifex circuit septies tabulam altaris, aspergens eam et stipitem de aqua prædicta, ultimo per eum benedicta, cum aspersorio de herba hyssopi facto, hoc modo. Stans enim ante medium altaris, inchoat Antiphonam ton. 7. et schola prosequitur.

I. Asperges me Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalmus 50.

MIserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam:

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: * et a peccato meo munda me.

Interim Pontifex accepta mitra circuit altare, illudque aspergit, et redit ad locum ante medium altaris, unde discesserat.

Finitis dictis versibus, Pontifex ibidem stans cum mitra, inchoat secundo, ut prius, Antiphonam.

II. Asperges me, et schola prosequitur, Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, et malum coram te feci: * ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: * et in peccatis concepit me mater mea.

Interim Pontifex circuit secundo, aspergitque, et redit, ut prius: et finitis versibus, stans ut supra Pontifex cum mitra, inchoat tertio Antiphonam.

III. Asperges me, et schola prosequitur, Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam: * et exultabunt ossa humiliata.

Interim Pontifex circuit tertio, aspergitque, et redit, ut prius: et finitis versibus prædictis, stans cum mitra, ut supra, inchoat quarto Antiphonam.

IV. Asperges me, et schola prosequitur, Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Averte faciem tuam a peccatis meis: * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Et interim Pontifex circuit quarto, aspergitque, et redit, ut prius: et finitis versibus prædictis, stans cum mitra in capite, inchoat quinto, stans ut supra, Antiphonam.

V. Asperges me, et schola prosequitur, **Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.**

Redde mihi lætitiam salutaris tui: * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: * et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Interim Pontifex circuit quinto, aspergitque, et redit, ut prius: et finitis versibus prædictis, stans cum mitra, ut supra, inchoat sexto Antiphonam.

VI. Asperges me, et schola prosequitur, **Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.**

Domine labia mea aperies: * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.

Interim Pontifex circuit sexto, aspergitque, et redit, ut prius: et finitis dictis versibus, stans cum mitra, ut supra, inchoat septimo Antiphonam.

VII. Asperges me, et schola prosequitur, **Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.**

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: * ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta: * tunc imponent super altare tuum vitulos.

Et non dicitur **Gloria Patri.** Interim Pontifex circuit septimo, aspergitque, et redit, ut supra.

Subsequenter circuit ter Ecclesiam interius, tantum aspergendo parietes ejus cum prædicta aqua benedicta, hoc modo: Finitis dictis versibus, et septimo circuitu per Pontificem, ut supra, facto, schola cantat Antiphonam ton. 1.

HÆc est domus Domini firmiter ædificata: bene fundata est supra firmam petram.

Psalmus. **Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: * in Domum Domini ibimus.** Et dicitur totus, prout supra in Benedictione primarii lapidis, **pag. 143.** sed in fine non dicitur **Gloria Patri.**

Interim incepta Antiphona prædicta, Pontifex cum mitra incipiens retro altare majus procedit ad dexteram partem,

circuiens intrinsecus Ecclesiam et parietes illius; aspergit eam a parte inferiori, juxta terram, rediens usque ad locum retro altare, unde discessit: quo facto, ac finitis Antiphona et Psalmo prædictis, schola cantat Antiphonam ton. 7.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.

Psalmus 67.

IN Ecclesiis benedicite Deo Domino, * de fontibus Israel. Ibi Benjamin adolescentulus, * in mentis excessu.

Principes Juda, duces eorum: * principes Zabulon, principes Nephtali.

Manda Deus virtuti tuæ: * confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo sancto tuo in Jerusalem, * tibi offerent reges munera.

Increpa feras arundinis; congregatio taurorum in vaccis populorum: * ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa Gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: * Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantate Deo: * psallite Domino.

Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli, * ad Orientem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: * magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ: * benedictus Deus.

Et non dicitur Gloria Patri. Interim Pontifex secundo per eamdem viam circuiens aspergit parietes Ecclesiæ in medio, idest, circa altitudinem faciei suæ, rediens usque ad locum unde discessit: quo facto, ac finitis Antiphona, et Psalmo prædictis, schola cantat Antiphonam ton. 8.

Qui habitat in adjutorio Altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur.

Psalmus 90.

DIcet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: * Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi: * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: * non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: * ab incursu, et dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis; * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis : * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea : * altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum : * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te, * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te : * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem, et basiliscum ambulabis : * et conculcabis leonem, et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum : * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : * cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum : * et ostendam illi salutare meum.

Et non dicitur Gloria Patri.

Interim Pontifex tertio circuit Ecclesiam, incipiens a sinistra parte; et aspergit parietes illius, altius quam secundo, rediens ad locum, unde discessit. Quo facto, adhuc mitram in capite tenens aspergit cum prædicta aqua pavimentum Ecclesiæ per medium, incipiens ante altare, usque ad portam principalem, deinde per transversum, de uno pariete ad alium. Interim schola cantat tres sequentes Antiphonas cum suis versiculis:

Domus mea, domus orationis vocabitur.

℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te. ton. 6.

sine Gloria.

Alia Antiphona.

Domine dilexi decorem domus tuæ.

℣. Et locum habitationis gloriæ tuæ. ton. 5.

sine Gloria.

Alia Antiphona.

Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli. ton. 7.

Dictis antiphonis prædictis, et aspersione, ut præmittitur, facta, Pontifex stans cum mitra in medio Ecclesiæ versus ad altare majus inchoat, et schola prosequitur Antiphonam ton. 7.

Vidit Jacob scalam, summitas ejus cælos tangebat, et descendentes Angelos, et dixit : Vere locus iste sanctus est.

Dum cantatur Antiphona prædicta, Pontifex stans cum mitra in medio Ecclesiæ, aspergit aquam per pavimentum, versus Orientem, Occidentem, Aquilonem, et Austrum.

Finita Antiphona, Pontifex, deposita mitra, stans ibidem in medio Ecclesiæ conversus ad portam principalem, dicit competenti voce:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

DEus, qui loca nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam: ut ab omnibus hic nomen tuum invocantibus, auxilium tuæ misericordiæ sentiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum ibidem stans, adhuc conversus, ut prius, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

DEus sanctificationum, omnipotens dominator, cujus pietas sine fine sentitur: Deus, qui cælestia simul et terrena complecteris, servans misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum gloriæ tuæ: exaudi preces servorum tuorum, ut sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte: hanc quoque Basilicam in honorem sanctæ et victoriosissimæ Crucis, et memoriam Sancti tui N. sacris mysteriis institutam clementissimus dedi ✠ ca, miseratus illu ✠ stra, proprio splendore clari ✠ fica, omnemque hominem venientem adorare te in hoc loco placatus admitte, propitius respicere dignare, et propter nomen tuum magnum, et manum tuam fortem, et brachium tuum excelsum, in hoc tabernaculo tuo supplicantes libens protege, dignanter exaudi, æterna defensione conserva; ut semper felices, semperque in tua religione lætantes, constanter in sanctæ Trinitatis confessione, fide Catholica perseverent. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Deinde stans adhuc conversus, ut prius, ibidem extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem.

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, adesto precibus nostris, adesto Sacramentis, adesto etiam piis famulorum tuorum laboribus, nobisque misericordiam tuam poscentibus. Descen-

dat quoque in hanc Ecclesiam tuam, quam sub invocatione sancti nominis tui, in honorem sanctæ Crucis, in qua coeternus tibi Filius tuus Dominus noster Jesus Christus pro redemptione mundi pati dignatus est, et memoriam Sancti tui N. nos indigni consecramus, Spiritus Sanctus tuus septiformis gratiæ ubertate redundans; ut quotiescumque in hac domo tua sanctum nomen tuum fuerit invocatum; eorum, qui te invocaverint, a te pio Domino preces exaudiantur. O beata et sancta Trinitas, quæ omnia purificas, omnia mundas, et omnia perornas. O beata majestas Dei, quæ cuncta imples, cuncta contines, cuncta disponis. O beata et sancta manus Dei, quæ omnia sanctificas, omnia benedicis, omnia locupletas. O Sancte Sanctorum Deus, tuam clementiam humillima devotione deposcimus, ut hanc Ecclesiam tuam, per nostræ humilitatis famulatum, in honorem sanctæ et victoriosissimæ Crucis, et memoriam Sancti tui N. puri ✠ ficare, bene ✠ dicere, et conse ✠ crare perpetua sanctificationis tuæ ubertate digneris. Hic quoque Sacerdotes sacrificia tibi laudis offerant. Hic fideles populi vota persolvant. Hic peccatorum onera solvantur, fidelesque lapsi reparentur. In hac ergo, quæsumus Domine, domo tua Spiritus Sancti gratia ægroti sanentur; infirmi recuperentur; claudi curentur; leprosi mundentur; cæci illuminentur; dæmonia ejiciantur. Cunctorum hic debilium incommoda, te Domine annuente, pellantur; omniumque vincula peccatorum absolvantur; ut omnes, qui hoc templum beneficia juste deprecaturi ingrediuntur, cuncta se impetrasse lætentur; ut concessa misericordia, quam precantur, perpetuo miserationis tuæ munere glorientur.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit.

Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Præfatione finita, Pontifex, accepta mitra, procedit ante altare, et ibi cum præmissa aqua benedicta facit maltam, seu cæmentum, quod mox deposita mitra, stans ibidem benedicit, dicens:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SUmme Deus, qui summa, et media, imaque custodis, qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis: sancti ✠ fica, et bene ✠ dic has creaturas calcis et sabuli. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Cæmentum benedictum reservatur, sed residuum aquæ benedictæ funditur ad basim, sive pedem stipitis altaris per circuitum.

Pontifex deinde procedit processionaliter cum Cruce et clero ad locum, in quo Reliquiæ nocte præterita conservatæ fuerunt; et defertur Chrisma usque ad fores Ecclesiæ; sed priusquam locum ipsum ingrediatur, stans ab extra, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

AUfer a nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras: ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. ℣. Amen.

Deinde Pontifice, accepta mitra, locum ipsum cum Presbyteris et Clero ingrediente, schola cantat Antiphonas sequentes:

O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes Sancti, amicti stolis albis sequuntur Agnum quocumque ierit, ton. 6.

Alia Antiphona, ton. 8.

Movete vos Sancti Dei de mansionibus vestris, ad loca festinate, quæ vobis parata sunt.

Alia Antiphona, ton. 3.

Ecce populus custodiens judicium, et faciens veritatem, in te speraverunt, Domine, usque in æternum.

Alia Antiphona, ton. 8.

Via Sanctorum facta est recta, et iter eorum præparatum est.

Psalmus 94.

VEnite, exultemus Domino: * jubilemus Deo salutari nostro.

Præoccupemus faciem ejus in confessione: * et in psalmis jubilemus ei.

Quoniam Deus magnus Dominus: * et Rex magnus super omnes deos.

Quoniam non repellet Dominus plebem suam, * quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipse conspicit.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud: * et aridam fundaverunt manus ejus.

Venite adoremus, et procidamus ante Deum; * ploremus coram Domino qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster.

Nos autem populus ejus, * et oves pascuæ ejus.

Hodie si vocem ejus audieritis, * nolite obdurare corda vestra.

Sicut in exacerbatione, * secundum diem tentationis in deserto.

Ubi tentaverunt me patres vestri: * probaverunt, et viderunt opera mea.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic: * et dixi, semper hi errant corde:

Ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea; * si introibunt in requiem meam.

Et non dicitur Gloria Patri. Vel si magis placet, omissis omnibus præmissis Antiphonis cum Psalmo, schola cantat Responsorium de illo Sancto, cujus sunt ipsæ Reliquiæ. Interim Pontifex manet stans juxta Reliquias. Finitis autem Antiphonis cum Psalmo, vel Responsorio prædictis, Pontifex stans ibidem coram Reliquiis, detecto capite, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℣. Levate.

Fac nos, quæsumus Domine, Sanctorum tuorum tibi specialiter dedicata membra digne contingere, quorum patrocinia cupimus incessanter habere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum Pontifex, assumpta mitra, imponit incensum in thuribulo, et fit processio, hoc ordine: Procedunt duo ceroferarii cum luminaribus, deinde Crux, tum Clerus cantans Antiphonas subsequentes; post hos, Sacerdotes portantes feretrum cum Reliquiis, et juxta eos thuriferarius continuo Reliquias ipsas incensans, et immediate ante Reliquias ipsas præcedant aliqua intortitia, deinde Pontifex paratus cum suis Ministris. Processione igitur locum ipsum exeunte, Pontifex inchoat primam Antiphonam, schola ipsam, et omnes alias sequentes prosequente ton. 8.

Cum jucunditate exibitis, et cum gaudio deducemini: nam et montes, et colles exilient, expectantes vos cum gaudio, alleluja.

Alia Antiphona, ton. 7.

Surgite Sancti Dei de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite, et nos homines peccatores in pace custodite.

Alia Antiphona, ton. 8.

Ambulate Sancti Dei, ingredimini in civitatem Domini: ædificata est enim vobis Ecclesia nova, ubi populus adorare debet majestatem Domini.

Alia Antiphona, ton. 8.

Istorum est enim regnum cælorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine agni.

Eis igitur ad Ecclesiæ consecrandæ fores pervenientibus, priusquam ingrediantur, dimissa ante fores Ecclesiæ schola, Antiphonas prædictas cantante, Pontifex, præcedentibus ipsum duobus ceroferariis, Cruce, thuriferario, et Sacerdotibus feretrum Reliquiarum portantibus, circuit Ecclesiam cum ipsis Reliquiis, populo sequente, et clamante: **Kyrie eleison.**

Quo facto, Pontifex sedens cum mitra in faldistorio ante fores Ecclesiæ ad id parato, brevi sermore populum alloquitur:

Quanta, fratres charissimi, Ecclesiis, et Deo dicatis locis habenda sit reverentia, canones, et leges, et universalis religiosus fidelium cultus declarat. Nullibi enim, quam in sacris Basilicis, Domino offerri sacrificium debet. Præcipiente siquidem Domino per Moysen, tabernaculum cum mensa, atque altari, et æreis vasis utensilibusque consecratum est ad divinum cultum explendum: ipsum quoque tabernaculum non solum sacrasse, sed oleo quoque linivisse legimus. In ipso autem tabernaculo non alii, quam sancti Sacerdotes, et Levitæ vestibus sacris ornati Sacramenta tractabant, et pro populo oblationes offerebant. Postmodum tam Reges Hebræorum suum templum, quam Romani Christiani Principes Basilicas a se constructas summa in veneratione habuerunt; immunesque ab omni vulgari strepitu, et negotio esse voluerunt; ut domus orationis ad aliud nullum commercium, atque usum accommodaretur. Eamque privilegii, et immunitatis prærogativam habere voluerunt; ut si quis temerarie sacrilegas manus apposuisset, gravissimis suppliciis afficeretur. Non enim justum visum est, domum Dei Altissimi temerariis præsumptionibus expositam esse, nec latronum (juxta Verbum veritatis) speluncam esse. Locus est salutis, portus naufragantibus, ad quem de tempestatibus ancora jacitur. Hanc beneficia petituri adeunt, et justæ eorum preces exaudiuntur. Capitalium criminum rei ad hanc fugientes, impunitatem facti, implorantibus Sacerdotibus, accipiunt. Magna ergo veneratione sacratas Domino Basilicas adeatis, fratres charissimi, mundique facinoribus Domino oblationes cordis vestri offeratis. De quibus Basilicis hæc una est, cui N. et N. summi Pontifices privilegia concesserunt, quam vos ædificari fecistis (vel N. ædificari fecit), et Nobis humiliter supplicastis (vel supplicavit), ut eam consecrare dignaremur. Nos autem vestris, (vel suis.) honestis supplicationibus inclinati, eam in honorem omnipotentis Dei, beatæ Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, ac memoriam Sancti N. dedicamus; et in

ejus altari Reliquias Sanctorum N. et N. Deo propitio, poni decrevimus, et in altari N. vel in loco N. sunt corpora, vel Reliquiæ Sanctorum N. et N. quæ (vel quas) qui devote visitaverit, indulgentiam N. per N. concessam obtinebit. Vos insuper moneo, fratres charissimi, ut decimas, quæ sunt divina tributa, integre Ecclesiis, et Sacerdotibus persolvatis. Has sibi Dominus ad universalis dominii signum reservavit. Audite sanctum Augustinum : Decimæ tributa sunt egentium animarum. Quod si decimas dederis, non solum abundantiam fructuum recipies, sed etiam sanitatem corporis et animæ consequeris. Non igitur Dominus Deus præmium postulat, sed honorem. Deus enim noster, qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatus est recipere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sed si tardius dare peccatum est, quanto pejus est non dedisse ? De militia, de negotio, de artificio redde decimas. Cum enim decimas dando, et terrena, et cælestia possis præmia promereri, quare pro avaritia duplici benedictione fraudaris ? Hæc est enim Dei justissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam revoceris. Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti ; et hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. Revertimini ad me, inquit Dominus apud Prophetam, et revertar ad vos. Et dixistis : In quo revertemur ? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me ? Et dixistis : In quo configimus te ? In decimis, et in primitiis. Et in penuria vos maledicti estis, et me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea, et probate me super hoc, dicit Dominus : si non aperuero vobis cataractas cæli, et effudero vobis benedictionem usque ad abundantiam, et increpabo pro vobis devorantem, et non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes Gentes : eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum. Evitanda est itaque Domini indignatio, solvendæ decimæ, et tributa divina persolvenda, nec pro temporali commodo amittenda sunt secutura bona, quæ expectantur. Memores ergo hæc accipite, fratres charissimi, et intellecta pro desiderio complete, ut æterna pro temporalibus accipere beneficia mereamini.

Archidiaconus legat sequentia duo Decreta Sacrosancti Concilii Tridentini, Sess. xxii. cap. xi. de Reformat.

SI quem Clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus

Ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis, vel regularis beneficii, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia, et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum, et pauperum necessitates converti debent, per se, vel per alios, vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque etiam ex donatione suppositæ personæ pervenerint, Ecclesiæ, ejusque administratori, sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem Ecclesiæ Patronus fuerit, etiam jure patronatus, ultra prædictas pœnas, eo ipso privatus existat. Clericus vero, qui nefandæ fraudis, et usurpationis hujusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat, nec non quibuscumque beneficiis privatus sit, et ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum Ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, et absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendatur.

Conc. Trident. Sessione xxv. Cap. xii. de Reformatione.

NOn sunt ferendi, qui variis artibus decimas Ecclesiis obvenientes, subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temere occupant, et in rem suam vertuut, cum decimarum solutio debita sit Deo; et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur sancta Synodus omnibus cujuscumque gradus, et conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscumque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur. Hortatur dehinc omnes et singulos pro Christiana charitate, debitoque erga Pastores suos munere, ut de bonis sibi a Deo collatis, Episcopis, et Parochis, qui tenuioribus præsunt Ecclesiis, large subvenire ad Dei laudem, atque ad Pastorum suorum, qui pro eis invigilant, dignitatem tuendam, non graventur.

Postea Pontifex ad fundatorem dicat:

SCias, frater charissime, quoniam non permittunt jura, Ecclesias sine ministris ac dote consecrari. Quemadmodum

enim dos matrimonium consequitur, sic et ad sustentationem ministrorum facultates necessariæ sunt. Ea itaque ratione, frater charissime, scire volumus, quot Sacerdotes et Clericos, et qualem eis honorem vis exhibere, et de quo Ecclesiam dotare proponis. Et ut intelligas, qualem tibi, atque hæredibus tuis honorem et commoditatem exhibet Ecclesia, scias, ut gratitudinem ipsam ad fundatores ostendat, quod a sanctis Patribus statutum est, in diei Dedicationis anniversario solemni fundatores, et eorum hæredes in processionibus primos esse debere; et si casu ad egestatem pervenerint, grata recordatione Ecclesia fundatoris piam liberalitatem recognoscit.

Qui ad interrogata, prout sibi placuerit, respondet; de quo fiat publicum instrumentum, si numerus Clericorum, honor, et dos sufficiens fuerit. Tunc fundator ipse, et plebs profitentur se jussa Pontificis impleturos. Deinde Pontifex jubet Deum deprecari pro eo, qui Ecclesiam construxit et dotavit, et pro eo, qui eam consecrari petiit; et concedit illis partem in omnibus bonis, quæ ibi fieri continget. Quo facto, Pontifice sic sedente, antequam quis Ecclesiam ingrediatur, schola cantat Responsorium ton. 2.

Erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi, in titulum: et vocabitur domus Dei, et de universis, quæ dederis mihi, * Decimas et hostias pacificas offeram tibi.

℣. Si reversus fuero ad domum patris mei. * Decimas.

Tum Pontifex, deposita mitra, surgit; et versus ad ostium Ecclesiæ, ibidem stans, dicit: Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Domum tuam, quæsumus Domine, clementer ingredere: et in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansionem; et præsta, ut domus hæc, quæ tua subsistit dedicatione solemnis, tua fiat habitatione sublimis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua oratione finita, Pontifex, accepta mitra, priusquam ingrediatur, intingit pollicem dexteræ manus in sanctum Chrisma, et cum eo, in modum crucis, signat ostium Ecclesiæ exterius, dicens:

In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Porta sis benedicta, sanctificata, consecrata, consignata, et Domino Deo commendata; porta sis introitus salutis et pacis; porta sis ostium pacificum, per eum, qui se ostium appellavit, Jesum Christum Dominum nostrum: Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Quo dicto, Presbyteri elevant feretrum Reliquiarum, et

Ingrediendo Ecclesiam cum Clero et populo processionaliter, Pontifex cum mitra incipit, et schola prosequitur Antiphonam ton. 4.

Ingredimini Sancti Dei: præparata est enim a Domino habitatio sedis vestræ: sed et populus fidelis cum gaudio insequitur iter vestrum; ut oretis pro nobis majestatem Domini. Alleluja.

Alia Antiphona, ton. 6.

Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt; ideo cum Christo exultant sine fine.

Interim processionaliter vadunt per Ecclesiam. Cum pervenerint ad altare, in quo Reliquiæ sunt condendæ, Reliquiis ipsis cum feretro prope altare positis, et luminaribus juxta illas ardentibus, Pontifex stans cum mitra ante altare, inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 4.

Exultabunt Sancti in gloria, et lætabuntur in cubilibus suis.

Psalmus 149.

CAntate Domino canticum novum: * laus ejus in Ecclesia Sanctorum.

Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: * et filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano, et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: * et exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt Sancti in gloria: * lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum, * et gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus, * increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus: * et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: * gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

Psalmus 150.

LAudate Dominum in sanctis ejus: * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: * laudate eum in psalterio, et cithara.

Laudate eum in tympano, et choro: * laudate eum in chordis, et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum cymbalis jubilationis: * omnis spiritus laudet Dominum.

Et non dicitur Gloria Patri, sed repetitur Antiphona. Qua dicta, Pontifex, deposita mitra, versus ad altare dicit:

Oremus.

DEus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator assistis: exaudi nos, quæsumus, et concede; ut inviolabilis permaneat hujus loci consecratio, et beneficia tui muneris universitas fidelium, quæ tibi supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum Pontifex, accepta mitra, intingit pollicem dexteræ manus in sanctum Chrisma, et cum eo signat confessionem, id est, sepulcrum altaris, in quo Reliquiæ sunt reponendæ, in quatuor angulis, faciens in singulis signum crucis, et dicens:

COnse ✠ cretur, et sancti ✠ ficetur hoc sepulcrum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax huic domui.

Deinde, deposita mitra, recondit veneranter vasculum ipsum cum Reliquiis, et aliis, prout hesterna die per eum fuit sigillatum, in sepulcro altaris: quibus reconditis, Pontifex inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 6.

Sub altare Dei sedes accepistis Sancti Dei: intercedite pro nobis ad Dominum Jesum Christum.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Et lætabuntur in cubilibus suis.

Et non dicitur Gloria Patri, sed Antiphona repetitur. Interim dum præmissa cantantur, Pontifex sine mitra thurificat Reliquias inclusas.

Quo facto, imposita sibi mitra, accipit tabulam, seu lapidem, cum quo debet claudi sepulcrum, in manum sinistram; et pollicem dexteræ manus intingit in sanctum Chrisma; et cum eo facit in medio dictæ tabulæ, sive lapidis, de subtus, signum crucis, dicens:

COnse ✠ cretur, et sancti ✠ ficetur hæc tabula (vel hic lapis), per istam unctionem, et Dei benedictionem. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Et mox linit cum cæmento, ponit et coaptat tabulam, seu lapidem super sepulcrum, claudens illud, et inchoans, schola prosequente, Antiphonam ton. 8.

Sub altare Dei audivi voces occisorum dicentium: Quare non defendis sanguinem nostrum? et acceperunt divinum responsum: Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.

Alia Antiphona, ton. 8.

Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt: et vivent nomina eorum in æternum.

℣. Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Post hæc Pontifex, deposita mitra, dicit:

Oremus.

DEus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum æternum majestati tuæ condis habitaculum: da ædificationi tuæ incrementa cælestia; et præsta, ut quorum hic Reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc accepta mitra, Pontifice prius incipiente, cæmentarii cum cæmento benedicto firmant ipsam tabulam, seu lapidem super sepulcrum: deinde Pontifex intingit iterum pollicem dexteræ manus in sanctum Chrisma, et cum eo format signum crucis super eamdem tabulam, sive lapidem, dicens:

SIgne ✠ tur, et sancti ✠ ficetur hoc altare. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Tum imponit incensum in thuribulum, dicens:

AB illo benedicaris, in cujus honore cremaberis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Et dextera manu producit desuper signum crucis, et deposita mitra, inchoat, schola prosequente, cantum ton. 1.

Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua: et data sunt ei incensa multa; et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Alleluja.

Interim cum mitra thurificat altare undique ad dexterum et sinistrum latus, ante et desuper, donec præmissus cantus finiatur: quo finito, stans coram altari sine mitra, dicit:

Oremus.

DIrigatur oratio nostra, quæsumus Domine, sicut incensum in conspectu tuo, et copiosa beneficia Christianus populus assequatur: ut quicumque tibi in hoc altari sacranda libamina devotus obtulerit, vel sacrata susceperit et vitæ subsidia præsentis accipiat, et remissionem omnium peccatorum pariter consequatur, et gratiam sempiternæ redemptionis percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, sedet; et ministri extergunt mensam altaris cum linteo mundo: et mox Pontifex thurificat super illam in modum crucis, in medio, et in qua-

tuor ejus cornibus: quo facto Pontifex ponit iterum incensum in thuribulo, et illud benedicit, ut supra, videlicet, Ab illo benedicaris, etc. ac tradit uni Sacerdoti superpelliceo induto, qui continue altare circuit incensando, donec consecratio perficiatur, excepto eo tempore, quo Pontifex illud incensat: tunc enim Pontifici thuribulum præsentat; et per Pontificem thurificato, illud iterum accipit, et, ut prius, incensat.

Tum Pontifex adhuc cum mitra stans inchoat, schola prosequente, Responsorium ton. 7.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine. ℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Quod dum cantatur, Pontifex circuit ter altare ad dexteram continue thurificando. Finita incensatione, Pontifex inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 7.

Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper: votum vovit Deo Jacob.

Psalmus. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Et dicitur totus, prout habetur supra, pag. 139. Sed in fine non dicitur Gloria Patri.

Dum Antiphona, et Psalmus prædicti cantantur, Pontifex stans cum mitra, intingit pollicem dexteræ manus in oleum Catechumenorum, et cum eo facit quinque cruces, videlicet in medio altaris, et quatuor ejus cornibus, in locis, in quibus fecerat cruces de aqua benedicta, videlicet, primam in medio altaris, secundam in dextero posteriori, id est, Evangelii, tertiam in sinistro anteriori, quartam in dextero anteriori, quintam in sinistro posteriori, hoc ordine:



Dicens, dum singulas cruces facit:

Sancti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur lapis iste. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen, et memoriam sancti N. Pax tibi.

Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote altare incensante, imposito, et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra inchoat, schola prosequente, Responsorium ton. 7.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.
℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.
Quo incepto, Pontifex circuit semel altare ad dexteram, thurificando illud: deinde restituto thuribulo Sacerdoti, et Responsorio finito, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

ADsit, Domine, misericordiæ tuæ ineffabilis pietas: et super hunc lapidem opem tuæ bene ✠ dictionis, et virtutem tuæ unctionis infunde; ut, te largiente, referat præmium quisquis intulerit votum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratione finita, Pontifex inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 1.

Mane surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino: vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

Psalmus 91.

BOnum est confiteri Domino, * et psallere nomini tuo Altissime;

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, * et veritatem tuam per noctem;

In decachordo psalterio, * cum cantico in cithara.

Quia delectasti me Domine in factura tua: * et in operibus manuum tuarum exultabo.

Quam magnificata sunt opera tua Domine! * nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Vir insipiens non cognoscet: * et stultus non intelliget hæc.

Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum: * et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem.

Ut intereant in sæculum sæculi: * tu autem Altissimus in æternum Domine.

Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: * et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, * et senectus mea in misericordia uberi.

Et despexit oculus meus inimicos meos: * et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

Justus ut palma florebit: * sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Plantati in domo Domini, * in atriis domus Dei nostri florebunt.

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, * et bene patientes erunt, ut annuntient.

Quoniam rectus Dominus Deus noster: * et non est iniquitas in eo.

Et non dicitur Gloria Patri. Incepta Antiphona, Pontifex accepta mitra, facit iterum quinque cruces cum pollice, de eodem oleo Catechumenorum, in eisdem locis altaris, et eo ordine, prout prius fecit, dicens, dum singulas cruces facit:

Sancti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur lapis iste. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen, et memoriam Sancti N. Pax tibi.

Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote altare incensante, imposito et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra inchoat iterum, schola prosequente, Responsorium ton. 7.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine. ℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Quo incepto, circuit iterum semel altare ad dexteram, illud incensando: quo facto, restituto thuribulo Sacerdoti, et Responsorio finito, Pontifex deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Adesto, Domine, dedicationi hujus mensæ tuæ: et in eam, quæ a nobis indignis sancto linita est oleo, bene ✠ dictionis, et sancti ✠ ficationis tuæ virtutem, et consecrationem infunde: Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, altare hoc, quod in honorem tuum, et in memoriam Sancti tui N. nos indigni consecramus, virtute tuæ bene ✠ dictionis sanctifica: et omnibus te hic invocantibus, atque in te sperantibus auxilii tui munus ostende; ut huic altari imposita munera semper accepta fieri digneris; et in eo Sacramentorum virtus, et votorum semper obtineatur effectus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita, Pontifex incipit, schola prosequente, Antiphonam ton. 7.

Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Psalmus 44.

Eructavit cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ, * velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Specie tua, et pulchritudine tua * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: * virga directionis virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * propterea uuxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: * ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum; * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus: * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: * proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia, et exultatione: * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, * et in sæculum sæculi.

Et non dicitur Gloria Patri. Incepta Antiphona, Pontifex, accepta mitra, iterum facit quinque cruces de sancto Chrismate cum pollice dexteræ manus in medio tabulæ altaris, et in quatuor ejus angulis, ordine supra posito, ad quamlibet crucem, dicens:

SAncti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur lapis iste. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti,

in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen, et memoriam Sancti N. Pax tibi.

Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote incensante, imposito, et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra inchoat, schola prosequente, Responsorium ton. 7.

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine. ℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Quo incepto, Pontifex circuit semel altare ad sinistram, illud incensans, ut prius; quo incensato, restituto thuribulo Sacerdoti, et Antiphona finita, Pontifex deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Descendat, quæsumus Domine Deus noster, Spiritus tuus Sanctus super hoc altare; qui et dona nostra, et populi tui in eo sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua dicta, Pontifex inchoat, et schola prosequitur, Antiphonam ton. 1.

Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: quia hæc est domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

Psalmus 45.

Deus noster refugium, et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt Gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Et non dicitur Gloria Patri. Interim dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, Pontifex, accepta mitra, fundit

et spargit de Oleo Catechumenorum et Chrismate pariter super altare, illud manu dextera confricans, linicns, et perungens.

Quo facto, incipit, schola prosequente, Antiphonam ton. 1.

Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: crescere te faciat Deus meus sicut arenam maris: et donet tibi de rore cæli benedictionem.

Psalmus 86.

FUndamenta ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.
Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.
Memor ero Rahab, et Babylonis * scientium me.
Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.
Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundavit eam Altissimus?
Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum; * horum, qui fuerunt in ea.
Sicut lætantium omnium * habitatio est in te.

Et dicitur Gloria Patri.

Finito Psalmo, Pontifex, stans cum mitra dicit:

LApidem hunc, fratres charissimi, in quo unguentum sacræ unctionis effunditur, ad suscipienda populi sui vota et sacrificia, oremus ut Dominus noster benedicat, et consecret: et quod est unctum a nobis, sit unctum in nomine ejus; ut plebis vota suscipiat, et altari per sacram unctionem perfecto, dum propitiationem Sacrorum imponimus, ipsi propitiatores Dei esse mereamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo, et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Quo dicto, inchoat Antiphonam, schola ipsam, et Psalmum, ac sequentia Responsoria prosequente.

Antiphona ton. 2.

Lapides pretiosi omnes muri tui: et turres Jerusalem gemmis ædificabuntur.

Psalmus 147.

LAuda Jerusalem Dominum: * lauda Deum tuum Sion.
Quoniam confortavit seras portarum tuarum: * benedixit filiis tuis in te.
Qui posuit fines tuos pacem: * et adipe frumenti satiat te.
Qui emittit eloquium suum terræ: * velociter currit sermo ejus.
Qui dat nivem sicut lanam, * nebulam sicut cinerem spargit.
Mittit crystallum suam sicut buccellas: * ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: * flabit spiritus ejus, et flueut aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: * justitias, et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: * et judicia sua non manifestavit eis. Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Deinde dicitur Responsorium ton. 8.

Hæc est Jerusalem, civitas illa magna cælestis, ornata tamquam sponsa Agni: * Quoniam tabernaculum Dei facta est, Alleluja. ℣. Portæ ejus non claudentur per diem; nox enim non erit in ea. * Quoniam.

Aliud Responsorium ton. 8.

Plateæ tuæ Jerusalem sternentur auro mundo, Alleluja: et cantabitur in te canticum lætitiæ, Alleluja: * Et per omnes vicos tuos dicetur ab universis, Alleluja, alleluja. ℣. Luce splendida fulgebis: et omnes fines terræ adorabunt te. * Et per omnes.

Incepta Antiphona, interim dum ipsa et Psalmus ac Responsoria prædicta cantantur, Pontifex cum mitra incipiens retro altare, et procedens ad ejus dexteram, inungit Chrismate cum pollice dextero singulas duodecim cruces in parietibus Ecclesiæ depictas, ad unamquamque crucem dicens:

SAncti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur hoc templum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen, et memoriam Sancti N. Pax tibi.

Et peruncta qualibet cruce, mox accepto thuribulo, illam incensat triplici ductu.

His peractis, Pontifex ad altare revertitur, ac stans cum mitra, et thurificans super illud, inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton 2.

Ædificavit Moyses altare Domino Deo, offerens super illud holocausta: et immolans victimas, fecit sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel.

Qua finita, stans adhuc cum mitra, dicit:

DEi Patris omnipotentis misericordiam imploremus, fratres charissimi: ut altare hoc sacrificiis spiritualibus imbuendum, nostræ vocis exoratus officio, præsenti bene ✠ dictione sanctificet, atque in eo semper oblationes famulorum suorum studio sanctæ devotionis impositas bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare dignetur; et spirituali placatus incenso, precibus familiæ suæ promptus exauditor assistat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde benedicit incensum super altare cremandum, stans ibidem, deposita mitra, dicens:

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale, et igneum esse cognoscitur: dignare respicere, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare hanc creaturam incensi; ut omnes languores, omnesque infirmitates, atque insidiæ inimici odorem ejus sentientes effugiant, et separentur a plasmate tuo, quod pretioso Filii tui sanguine redemisti; ut numquam lædatur a morsu iniqui serpentis. Per eumdem Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Deinde aspergit ipsum aqua benedicta, et accepta mitra, format propria manu ex ipso incenso quinque cruces, quamlibet de quinque granis, super illa quinque loca altaris, in quibus cruces de aqua, et oleo, ac Chrismate factæ prius fuerunt; et super quamlibet crucem thuris ponit unam crucem factam de subtili candela, ad mensuram crucis de granis incensi factæ; et cujuslibet crucis capita accenduntur, ut cum ipsis thus comburatur, et cremetur. Omnibus autem crucibus accensis, Pontifex, deposita mitra, flexis coram altari genibus, inchoat, schola prosequente, ton. 1.

Alleluja. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: et tui amoris in eis ignem accende.

Nisi consecratio fiat inter Dominicam Septuagesimæ, et festum Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi: quia tunc, omisso Alleluja, dicitur versus tantum. Quo dicto, surgit Pontifex stans ibidem versus ad altare sine mitra, et schola cantat Antiphonas duas sequentes.

Antiphona ton. 4.

Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.

Alia Antiphona ton. 1.

Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua: et data sunt ei incensa multa: et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei.

Sine Alleluja. Quibus finitis, Pontifex adhuc stans ante altare sine mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi: et respice ad hujus altaris tui holocaustum, quod non igne visibili probetur, sed infusum Sancti Spiritus tui gratia in odorem suavitatis ascendat, et legitime se sumentibus Eucharistia medicabilis fiat, ad vitamque proficiat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc, combustis candelis, et thure, cineres illius combustionis per unum ex ministris cum spatulis ligneis abraduntur, et collecti in aliquo vase, projiciuntur in sacrario. Interim Pontifex sine mitra stans ante gradus altaris, versus ad altare dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Deus omnipotens, in cujus honorem, ac beatissimæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum, ac nomen, et memoriam Sancti tui N. nos indigni altare hoc consecramus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et presta: ut in hac mensa sint libamina tibi accepta, sint grata, sint pinguia, et Sancti Spiritus tui semper rore perfusa; ut omni tempore hoc in loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit, et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.

Deinde eodem modo stans dicit mediocri voce, extensis manibus ante pectus, Præfationem hanc:

Per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Et ut propensiori cura, et attentiori famulatu tibi servitutis officia deferamus, hoc præsertim tempore, quo religiosarum mentium habitum ultra parietum ornatum delegisti, templum istud, in quo sancti tui N. mentio habetur, bene✠dicere, et sancti✠ficare digneris: per cujus sacram reverentiam, et honorem sacratissimo nomini tuo hoc altare dedicamus. Hujus igitur, Domine, efflagitatus

precibus, dignare hoc altare cælesti sancti ✠ ficatione perfundere, et bene ✠ dicere. Assistant Angeli claritatis, et Sancti Spiritus illustratione perfulgeat. Sit illius quoque apud te gratiæ, cujus fuit illud, quod Abraham pater fidei, in nostræ figuram redemptionis, filium immolaturus extruxit; quod Isaac in conspectu tuæ majestatis instituit; quod Jacob Dominum magna videns visione erexit: ut hic orantes exaudias, hic oblata sancti ✠ fices, hicque superposita bene ✠ dicas, hic quoque benedicta distribuas. Sit ergo Ecclesiæ tuæ titulus sempiternus; sit mensa cælesti spiritualique convivio præparata. Tu igitur, Domine, proprio ore tuo hostias super eam impositas bene ✠ dicito, et benedictas suscipito; ac nobis omnibus tribue, ut participatione earum vitam acquiramus sempiternam.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiatur.

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Præfatione finita, Pontifex inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 8.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, alleluja.

Psalmus. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: * et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus.

Et dicitur totus, prout habetur in benedictione Abbatis auctoritate Ordinarii, pag. 88.

Incepta Antiphona, Pontifex, accepta mitra, cum pollice dexteræ manus Chrismate intincto facit crucem in fronte altaris, nihil dicens. Quo facto, ac prædictis Antiphona et Psalmo finitis, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Majestatem tuam, Domine, humiliter imploramus, ut altare hoc sacræ unctionis libamine ad suscipienda populi tui munera inunctum potenter bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris: ut quod nunc a nobis indignis, sub tui nominis invocatione, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum, atque in memoriam Sancti tui N. sacrosancti Chrismatis unctione delibutum est, placeat tibi, atque altare maneat perpetuum; ut quidquid deinceps super illud oblatum sacratumve fuerit, dignum tibi fiat holocaustum; atque omnium hic offerentium sacrificia a te pio Domino benigne suscipiantur, et per ea vincula peccatorum nostrorum absolvantur; maculæ deleantur; veniæ impetrentur; gratiæ

acquirantur: quatenus una cum sanctis, et electis tuis vitam percipere mereamur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum Pontifex, accepta mitra, cum pollice dexteræ manus Chrismate intincto inungit in modum crucis conjunctiones mensæ, seu tabulæ altaris, et tituli, sive stipitis, quatuor angulis quasi illa conjungens, ad singulas cruces dicens:

In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

Deinde deposita mitra, dicit:

Oremus.

Supplices te deprecamur, omnipotens æterne Deus, per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, ut altare hoc sanctis usibus præparatum, cælesti bene ✠ dictione sanctifices: et sicut Melchisedech Sacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili suscepisti; ita imposita huic novo altari munera semper accepta ferre digneris; ut populus, qui in hanc Ecclesiæ domum sanctam conveniet, per hæc libamina cælesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc Subdiaconi abstergunt diligenter cum mantilibus telæ grossæ mensam altaris; et Pontifex accedit ad sedem suam juxta altare, in qua cum mitra sedens fricat bene manus cum medulla panis, ac lavat, et extergit. Quo facto, Subdiaconis, seu Acolythis præsentantibus ipsi Pontifici tobaleas novas et mundas, ac vasa et ornamenta ad cultum Dei, et Ecclesiæ, ac altaris consecratorum pertinentia, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans illa benedicit, dicens:

BENEDICTIO

TOBALEARUM, VASORUM, ET ORNAMENTORUM ECCLESIÆ ET ALTARIS CONSECRATORUM.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui ab initio utilia et necessaria hominibus creasti, templaque manu hominum facta nomini tuo sancto dicari, tuæque habitationis loca vocari voluisti; quique per famulum tuum Moysen vestimenta Pontificalia, et Sacerdotalia, seu Levitica, et alia quæque di-

versi generis ornamenta ad cultum, et decorem tabernaculi, et altaris tui fieri decrevisti: exaudi propitius preces nostras; et omnia hæc diversarum specierum ornamenta in usum hujus Ecclesiæ tuæ, et altaris, ad honorem, et gloriam tuam præparata purificare, bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare per nostræ humilitatis servitium digneris; ut divinis cultibus, et sacris mysteriis apta existant; hisque confectioni corporis, et sanguinis Jesu Christi Filii tui Domini nostri dignis pareatur famulatibus: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Deinde aspergit illa aqua benedicta; tum ministri ponunt super altare Chrismale, sive pannum lineum ceratum, ad mensuram altaris factum; deinde vestiunt altare tobaleis, et ornamentis benedictis, ponentes desuper crucem, et alia ornamenta. Interim Pontifex stans ibidem inchoat Antiphonam primam, schola ipsam, ac alias Antiphonas sequentes, et Responsoria cum suis versibus et Psalmis prosequente.

Antiphona ton. 8.

Circumdate Levitæ altare Domini Dei: vestite vestimentis albis: estote et vos canentes hymnum novum dicentes, Alleluja. ℣. Mirabilis Deus in Sanctis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.

℣. Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Alia Antiphona ton. 8.

Circumdate Sion, et complectimini eam: narrate in turribus ejus. ℣. Magnus Dominus, et laudabilis nimis: in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Deinde dicitur Responsorium ton. 2.

Induit te Dominus tunica jucunditatis: et imposuit tibi coronam: * Et ornavit te ornamentis sanctis.

℣. Luce splendida fulgebis: et omnes fines terræ adorabunt coram te. * Et ornavit te.

℣. Nationes ex longinquo ad te venient: et munera deferentes adorabunt Dominum: et terram tuam in sanctificatione habebunt, et nomen magnum tuum invocabunt. * Et ornavit te.

℣. Benedicti erunt, qui te ædificaverunt: tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum. * Et ornavit te.

Et non dicitur Gloria, sed sequens Antiphona cantatur ton. 6.

In velamento alarum tuarum protege nos Domine: et in laude tua gloriemur.

Psalmus 62.

DEus Deus meus, * ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta, et invia, et inaquosa: * sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: * et in nomine tuo levabo manus meas.

Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea: * et labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquentium iniqua.

Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Finito Psalmo, Pontifex, deposita mitra, ascendit ad altare, et facta cruci super altari positæ reverentia, incipit, schola prosequente, Antiphonam ton. 8.

Omnis terra adoret te Deus, et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo Domine.

Interim, dum Antiphona cantatur, Pontifex incensat super altare in modum crucis: et Antiphona finita, Pontifex eam reincipit, et schola prosequitur, et interim iterum ipse Pontifex super altare in modum crucis incensat, quod et tertio facit; quo facto, stans ante medium altaris, dicit:

Oremus.

DEscendat, quæsumus Domine Deus noster, Spiritus tuus Sanctus super hoc altare: qui et dona nostra, et populi tui in eo sanctificet; et sumentium corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dedicatum cælestis virtutis benedictione sancti ✠ fica: et omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostende; ut hic Sacramentorum virtus, et votorum obtineatur effectus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

Quo dicto Pontifex accedit ad sacristiam, sive sacrarium, ubi deposito pluviali, si celebrare voluerit, quod conveniens est, accipit sandalia, dicens Psalmum, **Quam dilecta**, cum aliis; deinde, lotis manibus, accipit omnia paramenta Pontificalia albi coloris. Interim ornatur Ecclesia, et luminaria super altari, et credentia, atque alibi, ubi placuerit, accenduntur. Tunc exit Pontifex Missam celebraturus. Si vero fatigatus nimis celebrare noluerit, facit Missam solemniter per aliquem Sacerdotem celebrari.

Missa dicitur prout in Missali, in ipsa die Dedicationis Ecclesiæ.

In fine Pontifex dat Benedictionem solemnem dicens:

Sit nomen Domini benedictum, etc.

Et indulgentias supra declaratas. Quibus publicatis, revertitur ad sacristiam, ubi depositis sacris vestibus, vadit in pace.

Deinde cineres per Ecclesiam aspersi, in quibus litteræ Græcæ et Latinæ scriptæ sunt, per ministros Ecclesiæ tolluntur, et Ecclesia totaliter mundatur.

DE ALTARIS

CONSECRATIONE, QUÆ FIT SINE ECCLESIÆ DEDICATIONE.

Altaris consecratio, quamvis omni die de jure fieri possit, decentius tamen in Dominicis diebus, vel Sanctorum solemnitatibus fit. Sane sero ante diem consecrationis Pontifex parat Reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti et mundo vasculo cum tribus granis thuris; ponit etiam in eo chartulam de pergameno, scriptam sub hac forma:

M. DC. LXIII. die N. Mensis N. Ego N. Episcopus N. consecravi altare hoc in honorem Sancti N. et Reliquias Sanctorum Martyrum N. et N. in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessi.

Sigillans ipsum vasculum diligenter, et in honesto et mundo loco ponens, cum duobus candelabris et luminaribus ardentibus. Celebrandæque sunt Vigiliæ ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni et Matutinæ Laudes in honorem Sanctorum, quorum Reliquiæ sunt recondendæ.

Parantur etiam in Ecclesia, quæ ad altaris consecrationem sunt necessaria; videlicet sanctum Chrisma in vasculo, et ampulla; Oleum sanctum Catechumenorum, etiam in vasculo et ampulla; una libra thuris, cujus medietas sit in granis; thuribulum cum navicula, et cochleari; vas cum prunis ardentibus; vas aqua plenum, quod in presbyterio ponitur; vas cum cineribus; vas cum sale; vas vini; aspersorium factum de herba hyssopi; mantilia ex tela grossa, ad extergendum mensam altaris consecrandi, quoties expedierit; coopertura linea cerata ad mensuram ipsius altaris consecrandi; quinque cruces parvæ factæ de candelis ceræ subtilibus; aliquæ spatulæ ligneæ parvæ, ad abradendum de altari combustiones candelarum et thuris; vas, in quo ipsæ rasuræ deponantur; calx, arena, sive tegula trita ad faciendum cæmentum, pro liniendo sepulcro Reliquiarum, et junctura mensæ altaris cum stipite; cæmentarius, qui hoc agat; duo intortitia accensa, quæ semper præcedant Pontificem, quocumque ierit; vas cum aqua, ad abluendas manus Pontificis; et medulla panis, ac mantilia pro extergendis manibus; bombyx pro extergenda cruce, quæ fit in stipite altaris; tobaleæ novæ mundæ; et vasa, atque ornamenta, ad cultum Dei et altaris, postquam consecratum fuerit, pertinentia, benedicenda.

Pontifex mane in suo habitu quotidiano venit ad Ecclesiam, et sedens in sede ad dexteram, vel in faldistorio ad sinistram altaris consecrandi, incipit et dicit voce submissa cum Clericis septem Psalmos cum Antiphona, Ne reminiscaris, etc. ut supra pag. 74. sine Litaniis. Induens interim amictum, albam, cingulum, stolam, et pluviale albi coloris, accipiens mitram simplicem in capite, et baculum pastoralem in manu sinistra. Sicque paratus, septem Psalmis expletis, Pontifex cum ministris accedit coram altari consecrando; ubi deposito baculo pastorali, et stans sine mitra, inchoat, et schola prosequitur sequentem Antiphonam.

Adesto Deus unus omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.

Deinde dicit, stans eodem modo;

Oremus.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te cæpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua dicta, Pontifex, accepta mitra, procumbit super faldistorium ibidem præparatum, et cantores incipiunt Litanias,

ut supra pag. 21, vel, cantoribus deficientibus, Pontifex eas legit, in quibus suo loco nominetur bis Sanctus ille, in cujus honore et nomine dedicatur ipsum altare, et illi, quorum reliquiæ in eo includuntur. Postquam autem dictum fuerit, Ut omnibus fidelibus etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Pontifex ab accubitu surgit, et baculum pastoralem in sinistra tenens, dexteram in altum extendens, producit communiter super aram, et stipitem altaris consecrandi ter successive signum crucis, dicens primo:

Ut altare hoc ad honorem tuum, et nomen Sancti N. consecrandum bene ✠ dicere digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit:

Ut altare hoc ad honorem tuum, et nomen Sancti N. consecrandum bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Tertio dicit:

Ut altare hoc ad honorem tuum, et nomen Sancti N. consecrandum bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Quo dicto, et deposito baculo pastorali, iterum accumbit super faldistorium, et perficiuntur Litaniæ. Quibus finitis, ab accubitu surgit, et cum mitra accedit versus altare consecrandum, et distans ab illo spatio congruenti, deposita mitra, genuflexus dicit cantando, si in cantu fit officium, aloquin competenti voce dicit sine notis, quod etiam in omnibus aliis sequentibus observatur.

Deus in adjutorium meum intende.

Quo dicto, Pontifice surgente, chorus, seu ministri respondent:

Domine ad adjuvandum me festina.

Tunc Pontifex stans sine mitra in eodem loco, dicit:

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

Chorus, seu ministri respondent:

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Sine Alleluja. Et id eisdem modo et loco secundo, et tertio fit, voce semper altius elevata. Quibus dictis, Pontifex stans in eodem loco cum mitra, benedicit aquam cum sale, cinere, et vino, incipiens absolute exorcismum salis; et faciens, prout habetur supra sub Ecclesiæ Dedicatione, pag. 155. usque ad Orationem.

OMnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis, etc. inclusive.

Post hæc Pontifex procedit ad Altare cum mitra, et ibidem inchoat, schola prosequente, Antiphonam sequentem: Introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Psalm. 42.

JUdica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: * ab homine iniquo, et doloso erue me.

Repetitur tota Antiphona prædicta, si necesse fuerit.

Quia tu es Deus fortitudo mea: * quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Iterum repetitur Antiphona.

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Antiphona tota repetitur.

Et introibo ad altare Dei: * ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Iterum repetitur Antiphona.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: * quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

Repetitur ut prius Antiphona.

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Et non dicitur Gloria Patri, sed Antiphona prædicta repetitur.

Incepta prima Antiphona, Pontifex retenta mitra, stans ante altare intingit pollicem dexteræ manus in aqua prædicta per eum benedicta, et cum eo et aqua hujusmodi facit crucem in medio tabulæ altaris, dicens:

SAncti ✠ ficetur hoc altare in honorem Dei omnipotentis, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, et ad nomen ac memoriam Sancti N. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Deinde facit ex eadem aqua cum eodem pollice quatuor cruces in quatuor cornibus altaris, repetens in qualibet cruce verba præmissa:

Sancti ✠ ficetur hoc altare, etc.

Facit autem primam crucem in dextera parte posteriori altaris, id est, ubi legitur Evangelium; secundam in sinistra parte anteriori transversa primæ; tertiam in dextera anteriori; quartam in sinistra posteriori tertiæ transversa in hunc modum:

✠ 1		✠ 4
	✠	
✠ 3		✠ 2

Quo facto, et finitis Antiphona et Psalmo prædictis, Pontifex stans ibidem, deposita mitra, dicit :

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Singulare illud propitiatorium in altari Crucis pro nobis redimendis oblatum, in cujus præfiguratione Patriarcha Jacob lapidem erexit in titulum, quo fieret sacrificium, et portæ cæli desuper aperiretur oraculum: supplices tibi, Domine, preces fundimus; ut lapidis hujus expolitam materiam, supernis sacrificiis imbuendam, ipse tuæ ditari sanctificationis ubertate præcipias, qui quondam lapideis legem scripsisti in tabulis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratione expleta, Pontifex circuit septies tabulam altaris, aspergens eam et stipitem de aqua prædicta cum cinere et vino benedicta, cum aspersorio de herba hyssopi facto, hoc modo. Stans enim ante medium altaris inchoat Antiphonam, et schola prosequitur: Asperges me Domine. Quæ tota dicitur, et repetitur cum psalmo, Miserere, eo modo, prout supra, pag. 161. de consecratione altaris in Ecclesiæ dedicatione ordinatum est. Quo facto, Pontifex stans sine mitra ante medium altaris, dicit:

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui es visibilium rerum omnium et invisibilium conditor, et cunctarum sanctificationum consecrator: ad dedicationem hujus Dominicæ mensæ adesse dignare; et quæ sacrato Oleo, et Chrismate a nobis indignis est linienda et benedicenda, tuæ sancti ✠ ficationis in eam infunde virtutem et consecrationem; ut omnes, qui ad eam te deprecaturi accesserint, tuæ propitiationis auxilium sentiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde ibidem cum præmissa aqua benedicta facit maltam, seu cæmentum, quod mox deposita mitra benedicit, dicens:

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SUmme Deus, qui summa, et media, imaque custodis, qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis: sancti ✠ fica, et bene ✠ dic has creaturas calcis, et sabuli. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Cæmentum benedictum reservatur, sed residuum aquæ benedictæ funditur ad basim, sive pedem stipitis altaris per circuitum: Pontifex deinde procedit processionaliter cum Cruce et Clero ad locum, in quo nocte præterita conservatæ Reliquiæ fuerunt; sed priusquam locum ipsum ingrediatur stans ab extra, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

AUfer a nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras: ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Ingressus vero sine mitra, stans juxta, et versus ad Reliquias, dicit:

Oremus.

FAc nos, quæsumus Domine, Sanctorum tuorum tibi specialiter dedicata membra digne contingere: quorum patrocinia cupimus incessanter habere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua dicta, Pontifex sine mitra accipit reverenter vasculum Reliquiarum: tum accepta mitra, portat eas solemniter et processionaliter ad altare consecrandum; vel si sint super feretrum, per Sacerdotes ferri facit, inchoans, schola prosequente, Antiphonam:

Cum jucunditate exibitis, et cum gaudio deducemini: nam et montes, et colles exilient, expectantes vos cum gaudio, Alleluja.

Poterit deinde etiam dici, si expedierit, sequens Responsorium:

Surgite Sancti Dei de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite: * Et nos homines peccatores in pace custodite. ℣. Ambulate Sancti Dei ad locum prædestinatum, qui vobis præparatus est. * Et nos homines peccatores in pace custodite.

Cumque pervenerit prope ipsum altare, deponit eas reverenter cum luminaribus super feretrum, vel aliquam tabulam honeste ibidem paratam, luminaribus juxta illas ardentibus; et mox Pontifex cum mitra stans prope altare inchoat, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam:

Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.

Psalmus. Cantate Domino canticum novum : * laus ejus, ut supra, pag. 173.

Deinde Psalmus. Laudate Dominum in Sanctis ejus, laudate eum, ut supra, pag. 173. sine Gloria Patri in fine utriusque; sed his Psalmis dictis, Antiphona repetitur. Qua finita, Pontifex, deposita mitra, stans versus ad altare dicit :

Oremus.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens, ac benignus dedicator assistis : exaudi nos, quæsumus, et concede; ut inviolabilis permaneat hujus loci consecratio, et beneficia tui muneris universitas fidelium, quæ tibi supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Et mox Pontifex, accepta mitra, signat cum pollice dexteræ manus de Chrismate confessionem, id est, sepulcrum altaris, in quo Reliquiæ sunt reponendæ, in quatuor angulis, faciens in singulis signum crucis, et dicens dum unamquamque crucem facit :

Conse ✠ cretur, et sancti ✠ ficetur hoc sepulcrum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax huic domui.

Deinde deposita mitra, recondit ibi vasculum cum Reliquiis, et aliis in eo inclusis veneranter, inchoans, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam.

Sub altare Dei sedes accepistis Sancti Dei: intercedite pro nobis ad Dominum Jesum Christum.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Et lætabuntur in cubilibus suis.

Et non dicitur Gloria Patri, sed repetitur Antiphona. Interim dum præmissa dicuntur, Pontifex stans sine mitra, imposito et benedicto incenso in thuribulo, et illo a Diacono accepto, thurificat Reliquias inclusas; quo facto, imposita sibi mitra, accipiens lapidem, seu tabulam, cum qua debet claudi sepulcrum, facit cum pollice crucem de Chrismate in medio ejus de subtus dicens :

Conse ✠ cretur, et sancti ✠ ficetur hæc tabula (vel hic lapis), per istam unctionem, et Dei benedictionem. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Et mox ponit, et coaptat tabulam, seu lapidem super sepulcrum, claudens illud, et inchoans, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam :

Sub altare Dei audivi voces occisorum dicentium: Quare non

defendis sanguinem nostrum? et acceperunt divinum responsum: Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.

Alia Antiphona.

Corpora Sanctorum in pace sepulta sunt: et vivent nomina eorum in æternum.

℣. Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Post hæc Pontifex, deposita mitra, dicit:

Oremus.

DEus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum æternum Majestati tuæ condis habitaculum: da ædificationi tuæ incrementa cælestia, et præsta; ut quorum hic Reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc accepta mitra, Pontifice prius incipiente, cæmentarii cum cæmento benedicto firmant ipsam tabulam, seu lapidem super sepulcrum: deinde Pontifex facit crucem desuper ex Chrismate cum pollice dexteræ manus, dicens:

SIgne ✠ tur, et sancti ✠ ficetur hoc altare. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Tum deposita mitra, inchoat, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam:

Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua: et data sunt ei incensa multa: et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Alleluja.

Interim cum mitra thurificat altare undique ad dexterum et sinistrum latus, ante et desuper, donec præmissus cantus finiatur: quo finito, stans coram altari sine mitra, dicit:

Oremus.

DIrigatur oratio nostra, quæsumus Domine, sicut incensum in conspectu tuo, et copiosa beneficia Christianus populus assequatur; ut quicumque tibi in hoc altari sacranda libamina devotus obtulerit, vel sacrata susceperit et vitæ subsidia præsentis accipiat, et remissionem omnium peccatorum pariter consequatur, et gratiam sempiternæ redemptionis percipiat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, sedet, et ministri extergunt mensam altaris cum linteo mundo, et mox Pontifex thurificat super illam in modum crucis in medio, et in quatuor ejus cornibus: quo facto, Pontifex ponit iterum incensum in thuribulo, et illud benedicit, ut supra, videlicet, Ab illo benedicaris, etc. ac tradit uni Sacerdoti superpelli-

seo induto, qui continue altare circuit incensando, donec consecratio perficiatur, excepto eo tempore, quo Pontifex illud incensat; tunc enim Pontifici thuribulum præsentat; et per Pontificem thurificato, illud iterum accipit, et, ut prius, incensat. Tum Pontifex adhuc cum mitra stans inchoat, schola, seu ministris prosequentibus, Responsorium:

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine. ℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Quod dum cantatur, Pontifex circuit ter altare ad dexteram continue thurificando.

Finita incensatione, Pontifex inchoat, schola, sive ministris prosequentibus, Antiphonam.

Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper: votum vovit Deo Jacob.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! * concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Repetitur Antiphona

Cor meum, et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Repetitur Antiphona.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Repetitur Antiphona.

Altaria tua Domine virtutum: * Rex meus, et Deus meus.

Repetitur Antiphona.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: * in sæcula sæculorum laudabunt te:

Repetitur Antiphona.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Repetitur Antiphona.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Repetitur Antiphona.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Repetitur Antiphona.

Protector noster aspice Deus: * et respice in faciem Christi tui.

Repetitur Antiphona.

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Repetitur Antiphona.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.


Repetitur Antiphona.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: * gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Repetitur Antiphona.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Et non dicitur Gloria Patri, sed Antiphona repetitur. Dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, Pontifex stans cum mitra, intingit pollicem dexteræ manus in Oleum Catechumenorum, et cum eo facit quinque cruces, videlicet in medio altaris, et in quatuor ejus cornibus, in locis, in quibus fecerat cruces de aqua benedicta; videlicet, primam in medio altaris; secundam in dextero posteriori, id est, Evangelii; tertiam in sinistro anteriori; quartam in dextero anteriori; quintam in sinistro posteriori, hoc ordine:



dicens dum singulas cruces facit:

Sancti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur lapis iste. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam Sancti N. Pax tibi.

Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote altare incensante, imposito et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra inchoat, schola, seu ministris prosequentibus, Responsorium:

Dirigatur oratio mea: sicut incensum in conspectu tuo, Domine.

℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Quo incepto, Pontifex circuit semel ad dexteram, thurificando illud; deinde restituto thuribulo Sacerdoti, et Responsorio finito, sine mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Adsit, Domine, misericordiæ tuæ ineffabilis pietas: et super hunc lapidem opem tuæ bene ✠ dictionis, et virtutem tuæ unctionis infunde; ut, te largiente, referat præmium quisquis intulerit votum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratione finita, Pontifex inchoat, et schola, seu ministri prosequuntur Antiphonam:

MAne surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Domino: vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

Psalm. 91.

BOnum est confiteri Domino: * et psallere nomini tuo Altissime.

Repetitur Antiphona.

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam: * et veritatem tuam per noctem.

Repetitur Antiphona.

In decachordo psalterio: * cum cantico in cithara.

Repetitur Antiphona.

Quia delectasti me Domine in factura tua: * et in operibus manuum tuarum exultabo.

Repetitur Antiphona.

Quam magnificata sunt opera tua Domine! * nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.

Repetitur Antiphona.

Vir insipiens non cognoscet: * et stultus non intelliget hæc.

Repetitur Antiphona.

Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum: * et apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem.

Repetitur Antiphona.

Ut intereant in sæculum sæculi: * tu autem Altissimus in æternum Domine.

Repetitur Antiphona.

Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: * et dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

Repetitur Antiphona.

Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum: * et senectus mea in misericordia uberi.

Repetitur Antiphona.

Et despexit oculus meus inimicos meos: * et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

Repetitur Antiphona.

Justus ut palma florebit: * sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Repetitur Antiphona.

Plantati in domo Domini, * in atriis domus Dei nostri florebunt.

Repetitur Antiphona.

Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi: * et bene patientes erunt, ut annuntient:

Repetitur Antiphona.

Quoniam rectus Dominus Deus noster : * et non est iniquitas in eo.

Et non dicitur Gloria Patri, sed Antiphona repetitur. Interim Pontifex, accepta mitra, facit iterum quinque cruces cum pollice de eodem Oleo Catechumenorum, in eisdem locis altaris, et eo ordine, prout prius fecit, dicens, dum singulas cruces facit :

SAncti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur lapis iste. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium Sanctorum, ad nomen et memoriam Sancti N. Pax tibi.

Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote altare incensante, imposito, et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra inchoat iterum, schola, seu ministris prosequentibus, Responsorium.

DIrigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine. ℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Quo incepto, Pontifex circuit iterum semel altare ad dexteram, illud incensando : quo facto, restituto thuribulo Sacerdoti, et Responsorio finito, Pontifex, deposita mitra, dicit :

Oremus.

Et ministri : Flectamus genua. ℟. Levate.

ADesto, Domine, dedicationi hujus mensæ tuæ : et in eam, quæ a nobis indignis sancto linita est oleo, bene ✠ dictionis, et sancti ✠ ficationis tuæ virtutem, et consecrationem infunde. Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, altare hoc, quod in honorem tuum, et in memoriam Sancti tui N. nos indigni consecramus, virtute tuæ bene ✠ dictionis sanctifica : et omnibus te hic invocantibus, atque in te sperantibus auxilii tui munus ostende ; ut huic altari imposita munera semper accepta fieri digneris, et in eo Sacramentorum virtus, et votorum semper obtineatur effectus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quo finito Pontifex incipit, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam.

Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Psalm. 44.

ERuctavit cor meum verbum bonum : * dico ego opera mea Regi.

Repetitur Antiphona.

Lingua mea calamus scribæ, * velociter scribentis.

Repetitur Antiphona.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis : * propterea benedixit te Deus in æternum.

Repetitur Antiphona.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissime.

Repetitur Antiphona.

Specie tua, et pulchritudine tua: * intende, prospere procede, et regna.

Repetitur Antiphona.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Repetitur Antiphona.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Repetitur Antiphona.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directionis virga regni tui.

Repetitur Antiphona.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Repetitur Antiphona.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: * ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Repetitur Antiphona.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: * circumdata varietate.

Repetitur Antiphona.

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Repetitur Antiphona.

Et concupiscet Rex decorem tuum: * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Repetitur Antiphona.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

Repetitur Antiphona.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Repetitur Antiphona.

Adducentur Regi virgines post eam : * proximæ ejus afferentur tibi.

Repetitur Antiphona.

Afferentur in lætitia et exultatione: * adducentur in templum Regis.

Repetitur Antiphona.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : * constitues eos principes super omnem terram.

Repetitur Antiphona.

Memores erunt nominis tui * in omni generatione, et generationem.

Repetitur Antiphona.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: * et in sæculum sæculi.

Et non dicitur Gloria Patri. Incepta Antiphona, Pontifex accepta mitra, iterum facit quinque cruces de sancto Chrismate cum pollice dexteræ manus in medio tabulæ altaris, et in quatuor ejus angulis, ordine supraposito, ad quamlibet crucem dicens :

SAncti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur lapis iste. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, in honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ, atque omnium, Sanctorum, ad nomen, et memoriam Sancti N. Pax tibi.

Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote incensante, imposito et benedicto ut prius incenso, stans cum mitra, inchoat schola, seu ministris prosequentibus, Responsorium:

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine. ℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Quo incepto, Pontifex circuit semel altare ad sinistram, illud incensans, ut prius : quo incensato, restituto thuribulo Sacerdoti, et Antiphona finita, Pontifex, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri : Flectamus genua. ℟. Levate.

DEscendat, quæsumus Domine Deus noster, Spiritus tuus Sanctus super hoc altare : qui et dona nostra, et populi tui in eo sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua dicta, Pontifex inchoat, et schola, seu ministri prosequuntur Antiphonam :

Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: quia hæc est domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est : et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

Psalmus 45.

DEus noster refugium, et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Repetitur Antiphona.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: * et transferentur montes in cor maris.

Repetitur Antiphona.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Repetitur Antiphona.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Repetitur Antiphona.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Repetitur Antiphona.

Conturbatæ sunt Gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Repetitur Antiphona.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Repetitur Antiphona.

Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Repetitur Antiphona.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Repetitur Antiphona.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, et exaltabor in terra.

Repetitur Antiphona.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Et non dicitur Gloria Patri, sed Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona et Psalmi prædicti dicuntur, Pontifex accepta mitra, fundit et spargit Oleum Catechumenorum et Chrisma pariter super altare, illud manu dextera confricans, liniens, et perungens. Quo facto, incipit, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam.

Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: crescere te faciat Deus meus, sicut arenam maris: et donet tibi de rore cæli benedictionem.

Psalmus. Fundamenta ejus in montibus sanctis: * diligit. Et totus dicitur prout habetur supra pag. 142. sine Gloria Patri.

Finito Psalmo, Pontifex stans cum mitra, dicit:

LApidem hunc, fratres charissimi, in quo unguentum sacræ unctionis effunditur, ad suscipienda populi sui vo-

ta et sacrificia, oremus ut Dominus noster bene ✠ dicat, et conse ✠ cret: et quod est unctum a nobis, sit unctum in nomine ejus; ut plebis vota suscipiat, et altari per sacram unctionem perfecto, dum propitiationem sacrorum imponimus, ipsi propitiatores Dei esse mereamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum: Qui cum eo, et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Quo dicto, inchoat, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam:

Ædificavit Moyses altare Domino Deo, offerens super illud holocausta, et immolans victimas, fecit sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel.

Qua finita, stans adhuc cum mitra, dicit:

DEi Patris omnipotentis misericordiam supplices imploremus, fratres charissimi, ut altare hoc sacrificiis spiritualibus imbuendum, nostræ vocis exoratus officio, præsenti bene ✠ dictione sanctificet: atque in eo semper oblationes famulorum suorum studio suæ devotionis impositas bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare dignetur; et spirituali placatus incenso, precibus familiæ suæ promptus exauditor assistat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde benedicit incensum super altare cremandum, stans ibidem, deposita mitra, dicens:

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale, et igneum esse cognoscitur: dignare respicere, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare hanc creaturam incensi; ut omnes languores, omnesque infirmitates, atque insidiæ inimici odorem ejus sentientes effugiant, et separentur a plasmate tuo, quod pretioso Filii tui sanguine redemisti; ut numquam lædatur a morsu iniqui serpentis. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ipsum aqua benedicta: et accepta mitra, format propria manu ex ipso incenso quinque cruces, quamlibet de quinque granis, super illa quinque loca altaris, in quibus cruces de aqua, et Oleo, ac Chrismate factæ prius fuerunt, et super quamlibet crucem thuris ponit unam crucem factam de subtili candela, ad mensuram crucis de granis in-

censi factæ, et cujuslibet crucis capita accenduntur, ut cum ipsis thus comburatur et cremetur. Omnibus autem crucibus accensis, Pontifex, deposita mitra, flexis coram altari genibus, inchoat, schola, seu ministris prosequentibus:

Alleluja. ℣. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: et tui amoris in eis ignem accende.

Nisi consecratio hujusmodi fieret inter Dominicam Septuagesimæ, et Festum Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi: quia tunc, omisso **Alleluja**, dicitur versus tantum. Quo dicto, surgit Pontifex stans ibidem versus ad altare sine mitra, et schola, seu ministri cantant Antiphonas duas sequentes.

Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.

Alia Antiphona.

Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua: et data sunt ei incensa multa: et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei.

Quibus finitis, Pontifex adhuc stans ante altare sine mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: **Flectamus genua. ℟. Levate.**

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi: et respice ad hujus altaris tui holocaustum, quod non igne visibili probetur, sed infusum Sancti Spiritus tui gratia in odorem suavitatis ascendat, et legitime se sumentibus Eucharistia medicabilis fiat, ad vitamque proficiat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc, combustis candelis et thure, cineres illius combustionis per unum ex ministris cum spatulis ligneis abraduntur, et collecti in aliquo vase, projiciuntur in sacrarium. Interim Pontifex sine mitra stans ante gradus altaris, versus ad altare dicit:

Oremus.

Et ministri: **Flectamus genua. ℟. Levate.**

DEus omnipotens, in cujus honorem, ac beatissimæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum, ac nomen, et memoriam Sancti tui N. nos indigni altare hoc consecramus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et præsta: ut in hac mensa sint libamina tibi accepta, sint grata, sint pinguia, et Sancti Spiritus tui semper rore perfusa; ut omni tempore hoc in loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per Dominum no-

strum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.

Deinde eodem modo stans dicit mediocri voce, extensis manibus ante pectus, hanc Præfationem :

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere : Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et clemens, cujus nec initium, nec finis advertitur; qui quantus es, tantus esse voluisti, sanctus scilicet, ac mirabilis Deus, cujus majestatem elementa non capiunt. Te benedicimus, te supplices deprecamur, ut tibi sit altare hoc, sicut illud, quod Abel salutaris mysterii in passione præcursor, jugulatus a fratre, novo sanguine imbuit et sacravit. Sit tibi Domine altare hoc, sicut illud, quod Abraham pater noster, qui videre te meruit, fabricavit, et invocato tuo nomine consecravit, in quo Sacerdos Melchisedech sacrificii formam triumphalis expressit. Sit tibi Domine, altare hoc, sicut illud, super quod Abraham seminarium fidei nostræ Isaac filium suum, dum tibi toto corde credidit, toto corde imposuit; in quo salutaris mysterii Sacramentum Dominicæ Passionis ostensum est, dum offertur Filius, Agnus occiditur. Sit tibi Domine altare hoc, sicut illud, quod Isaac, puteum profundæ puritatis inveniens, abundantiæ ei nomen imponens, tuæ majestati dicavit. Sit tibi Domine altare hoc, sicut ille lapis, quem Jacob supponens capiti suo, ascendentes et descendentes Angelos per scalæ mysterium, somno revelante, cognovit. Sit tibi Domine altare hoc, sicut illud, quod Moyses, susceptis mandatis, in præfiguratione Apostolica, duodecim lapidum constructione firmavit. Sit tibi Domine altare hoc, sicut illud, quod Moyses septem dierum purificatione mundavit, et cælesti tuo colloquio Sancta Sanctorum vocavit, sicut locutus es ad Moysen, dicens : Si quis tetigerit altare hoc, sanctificatus habeatur. Sit in hoc ergo altari innocentiæ cultus; immoletur superbia; iracundia juguletur; luxuria omnisque libido feriatur : offeratur pro turturibus sacrificium castitatis, et pro pullis columbarum innocentiæ sacrificium.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen, quod a circumstantibus audiri possit.

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Præfatione finita, Pontifex accepta mitra, inungit cum pollice dexteræ manus Chrismate intincto frontem altaris in modum crucis, inchoans, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam:

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, Alleluja.

Psalmus. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: * et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.

Et totus dicitur prout supra habetur in benedictione Abbatis, pag. 88.

Quo dicto, Pontifex, deposita mitra, dicit:

Oremus.

MAjestatem tuam, Domine, humiliter imploramus, ut altare hoc sacræ unctionis libamine ad suscipienda populi tui munera inunctum potenter bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris; ut quod nunc a nobis indignis sub tui nominis invocatione, in honorem beatissimæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum, atque in memoriam Sancti tui N. sacrosancti Chrismatis unctione delibutum est, placeat tibi, atque altare maneat perpetuum; ut quidquid deinceps super illud oblatum sacratumve fuerit, dignum tibi fiat holocaustum; atque omnium hic offerentium sacrificia a te pio Domino benigne suscipiantur, et per ea vincula peccatorum nostrorum absolvantur: maculæ deleantur; veniæ impetrentur; et gratiæ acquirantur: quatenus una cum sanctis, et electis tuis vitam percipere mereamur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum Pontifex, accepta mitra, cum pollice dexteræ manus Chrismate intincto inungit in modum crucis conjunctiones mensæ, seu tabulæ altaris, et tituli, sive stipitis, in quatuor angulis, quasi illa conjungens, ad singulas cruces dicens:

In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

Deinde deposita mitra, dicit:

Oremus.

SUpplices te deprecamur, omnipotens æterne Deus, per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, ut altare hoc sanctis usibus præparatum, cælesti bene ✠ dictione sanctifices: et sicut Melchisedech Sacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili suscepisti; ita imposita huic novo altari munera semper accepta ferre digneris; ut

populus, qui in hanc Ecclesiæ domum sanctam conveniet, per hæc libamina cælesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc Subdiaconi abstergunt diligenter cum mantilibus telæ grossæ mensam altaris: et Pontifex accedit ad sedem suam juxta altare, in qua cum mitra sedens fricat bene manus cum medulla panis, ac lavat et extergit. Quo facto, Subdiaconis, seu Acolythis præsentantibus ipsi Pontifici tobaleas novas, et mundas, ac vasa, et ornamenta ad cultum Dei, et altaris consecrati pertinentia, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans benedicit illa, dicens:

BENEDICTIO

TOBALEARUM, VASORUM, ET ORNAMENTORUM ALTARIS CONSECRATI.

ADjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens et misericors Deus, qui ab initio utilia et necessaria hominibus creasti, quique per famulum tuum Moysen vestimenta Pontificalia et Sacerdotalia, seu Levitica Sacerdotibus et Levitis, atque ornamenta et linteamina facere famulum tuum Moysen per quadraginta dies docuisti; atque etiam quæ Maria texuit et fecit, in usum ministerii tabernaculi fœderis ordinasti: purificare, bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare per nostræ humilitatis servitium digneris hæc ornamenta, et linteamina in usum altaris tui; ut divinis cultibus, et sacris mysteriis apta existant, hisque confectioni Corporis et Sanguinis Jesu Christi Filii tui Domini nostri dignis pareatur famulatibus: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit illa aqua benedicta. Tum ministri ponunt super altare Chrismale, sive pannum lineum ceratum, ad mensuram altaris factum; deinde vestiunt altare tobaleis et ornamentis benedictis, ponentes desuper crucem, et alia ornamenta. Interim Pontifex stans ibidem inchoat Antiphonam primam, schola, seu ministris prosequentibus ipsam, et alias Antiphonas sequentes et Responsoria cum suis versibus et Psalmis.

Antiphona.

CIrcumdate Levitæ altare Domini Dei, vestite vestimentis albis: estote et vos canentes hymnum novum dicentes Alleluja.

℣. Mirabilis Deus in Sanctis suis: et sanctus in omnibus operibus suis.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Alia Antiphona.

Circumdate Sion, et complectimini eam: narrate in turribus ejus. ℣. Magnus Dominus, et laudabilis nimis: in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Deinde dicitur Responsorium.

Induit te Dominus tunica jucunditatis, et imposuit tibi coronam: * Et ornavit te ornamentis sanctis. ℣. Luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt coram te. * Et ornavit te.

℣. Nationes ex longinquo ad te venient, et munera deferentes adorabunt Dominum: et terram tuam in sanctificatione habebunt, et nomen magnum tuum invocabunt. * Et ornavit te. ℣. Benedicti erunt, qui te ædificaverunt, tu autem lætaberis in filiis tuis: quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur ad Dominum. * Et ornavit te.

Et non dicitur Gloria Patri, sed sequens Antiphona dicitur:

In velamento alarum tuarum protege nos Domine: et in laude tua gloriemur.

Psalmus. Deus Deus meus * ad te de luce vigilo.

Et dicitur totus prout habetur supra, pag. 188. cum Gloria Patri in fine.

Finito Psalmo, Pontifex, deposita mitra, ascendit ad altare, et facta cruci super altari positæ reverentia, incipit, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam.

Omnis terra adoret te Deus, et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo Domine.

Interim, dum Antiphona cantatur, Pontifex incensat super altare in modum crucis: et Antiphona finita, Pontifex eam reincipit, et schola prosequitur: et interim iterum ipse Pontifex super altare in modum crucis incensat, quod et tertio facit; quo facto, stans ante medium altaris dicit:

Oremus.

DEscendat, quæsumus Domine Deus noster, Spiritus tuus Sanctus super hoc altare: qui et dona nostra, et populi tui in eo sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, altare hoc nomini tuo dedicatum cælestis virtutis bene ✠ dictione sanctifica: et omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostende; ut hic Sacramentorum virtus, et votorum obtineatur effectus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.

Quo dicto, Pontifex accedit ad sacristiam, sive sacrarium, ubi deposito pluviali, parat se ad celebrandum Missam, si voluerit, vel facit per aliquem Sacerdotem in dicto altari consecrato solemniter celebrari. Missa dicitur ut in Missali, in ipsa die Dedicationis altaris.

Finita Missa, Pontifex dat benedictionem solemnem, et Indulgentias, exuit se sacris vestibus, et vadit in pace.

DE CONSECRATIONE

ALTARIS, CUJUS SEPULCRUM RELIQUIARUM EST IN MEDIO SUMMITATIS STIPITIS.

ORdo prædictus consecrandi altare semper servatur, quando sepulcrum Reliquiarum est in medio tabulæ altaris, a parte superiori, vel in stipite a parte anteriori, aut posteriori. Si vero sepulcrum est in medio summitatis stipitis, supra autem sit ponenda ipsa tabula, sive mensa altaris; finita aquæ benedictione, cum vino et cinere, ut supra, pag. 155. atque Oratione

OMnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis, etc. pag. 157.

Pontifex stans cum mitra, et aqua benedicta hujusmodi, vino et cinere mista, facit maltam, sive cæmentum ex calce et sabulo, seu tegula trita ad hoc paratis, quod deinde, deposita mitra, benedicit, dicens:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

SUmme Deus, qui summa, et media, imaque custodis, qui omnem creaturam intrinsecus ambiendo concludis: sancti ✠ fica, et bene ✠ dic has creaturas calcis et sabuli. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quo facto, tabula ipsa altaris a stipite separata jacente, debet fieri Reliquiarum deportatio et inclusio, Pontifice processionaliter accedente ad locum ubi Reliquiæ sunt depositæ, in quo Pontifex stans ab extra sine mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Aufer a nobis, etc. ut supra, pag. 194. et continuans per omnia usque ad Conse ✠ cretur, et sancti ✠ ficetur hæc tabula, inclusive, prout supra ordinatum est, pag. 195. Quibus dictis, Sacerdotes et Levitæ elevant aram, sive tabulam, seu mensam altaris, et collocant eam super stipitem; et cæmentarii cum dicto cæmento benedicto ipsam liniunt, et firmant, schola interim cantante, seu ministris dicentibus Responsorium ton. 1.

Vos Sacerdotes, et Levitæ sanctificamini: * Et afferte aram Domini Dei Israel ad locum, qui ei paratus est. ℣. Vos sancti Domini vocabimini ministri Dei nostri: dicetur vobis, sit timor Dei vobiscum, et cum diligentia cuncta facite. * Et afferte.

Levata itaque ara, et collocata, ac cum cæmento prædicto bene firmata, Pontifex inchoat Antiphonam: Sub altare Dei, ut supra, pag. 195. et continuat usque ad Orationem, Dirigatur oratio mea, inclusive: qua dicta, prosequitur altaris consecrationem, accedens ad altare cum mitra, et stans ante illud, deposita mitra, incipit, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam: Introibo ad altare Dei, ut supra, pag. 159. cum omnibus sequentibus, usque ad Orationem Deus, qui es visibilium omnium rerum, etc. inclusive, pag. 214.

Qua dicta, Pontifex, accepta mitra, sedet, et ministri extergunt mensam altaris cum linteo mundo; et mox Pontifex thurificat super illam in modum crucis in medio, et in quatuor ejus angulis, inchoans, schola, seu ministris prosequentibus, Responsorium:

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine. ℣. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Et omnia alia deinde fiunt, prout supra ordinata sunt, usque ad finem.

DE ALTARIS
PORTATILIS CONSECRATIONE.

Altaris portatilis consecratio potest fieri quocumque die et loco, jejuno tamen stomacho.

Parantur in loco, ubi consecratio hujusmodi fieri debet, in primis aliquæ Reliquiæ cum tribus granis incensi in altari recludendæ; sanctum Chrisma in vasculo et ampulla; Oleum sanctum Catechumenorum, etiam in vasculo et ampulla; media libra thuris, cujus medietas sit in granis; thuribulum cum navicula et cochleari; vas cum prunis ardentibus; vas aquæ mundæ; vas cum cineribus; vas cum sale; vas vini; aspersorium factum de herba hyssopi; mantilia ex tela grossa ad extergendum altare consecrandum, quoties expedierit; quinque cruces parvæ factæ de candelis ceræ subtilibus; aliquæ spatulæ ligneæ parvæ, ad abradendum de altari combustiones candelarum et thuris; vas, in quo ipsæ rasuræ deponantur; duo candelabra cum duobus cereis continuo ardentibus prope Reliquias; vas cum aqua ad abluendas manus Pontificis, et medulla panis, ac mantilia pro extergendis manibus.

Pontifex igitur paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, si consecrationem hujusmodi publice facere velit, vel si in camera sua, aut alio loco secrete, Stolam habeat supra Rochetum, vel supra superpelliceum, si sit Regularis, ab humeris dependentem, et mitram simpliecem, stans ante tabulam ipsam, sive altare consecrandum positum super aliquam mensam, vel altare, mitram in capite tenens, absolute dicit:

Deum omnipotentem fratres charissimi, votis exultantibus deprecemur: ut qui per omnem mundum fidem sparsit, et Ecclesiam congregavit, qui est lapis de monte sine manibus abscissus, qui angularem compagem solidavit, hanc petram serenus illustret, eamque æterno lumine irrigatam ita multiplicibus et diversis charismatibus locupletet; ut super illam administrandam sui Corporis hostiam bene ✠ dicat, et suscipiat consecratam: Qui cum Deo Patre vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde detecto capite, genuflexus ante Altare consecrandum, dicit:

Deus in adjutorium meum intende.

Quo dicto, Pontifice surgente, chorus respondet:

Domine ad adjuvandum me festina.

Tum Pontifex stans sine mitra, in eodem loco, dicit:

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

Chorus respondet:

Sicut erat in principio; et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Sine Alleluja. Et id eisdem modo et loco secundo et tertio fit, voce semper altius elevata.

Quibus dictis, Pontifex stans in eodem loco cum mitra, benedicit aquam cum sale, cinere, et vino, incipiens absolute exorcismum salis, prout habetur supra sub Ecclesiæ dedicatione, pag. 155. usque ad Orationem:

Omnipotens sempiterne Deus, creator, et conservator humani generis, etc. inclusive: hoc salvo, quod ubicumque fit mentio de Ecclesiæ consecratione, dicit solum de altaris, vel tabulæ, pag. 157.

Aqua igitur benedicta, Pontifex, retenta mitra, stans ante altare intingit pollicem dexteræ manus in aqua prædicta per eum benedicta, et cum eo et aqua hujusmodi facit crucem in medio tabulæ, vel altaris, dicens:

Sancti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur hæc tabula. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Deinde facit ex eadem aqua cum eodem pollice quatuor cruces in quatuor cornibus altaris, repetens in qualibet cruce verba præmissa:

Sancti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur hæc tabula, etc.

Facit autem primam crucem in dextera parte posteriori lapidis, id est, Evangelii; secundam in sinistra parte anteriori transversa primæ; tertiam in dextera anteriori; quartam in sinistra posteriori tertiæ transversa, in hunc modum:





Quo facto, inchoat, ministris prosequentibus, Antiphonam:

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalmus 50.

MIserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et totus dicitur ut supra, pag. 76. sine Gloria Patri. Sed in fine repetitur ipsa Antiphona, et interim dum dicuntur Antiphona et Psalmus prædicti, Pontifex cum mitra aspergit cum aspersorio de herba hyssopi facto de ipsa aqua tabulam, per ejus circuitum tribus vicibus. Quo facto, tabula abstergitur cum mundo panno lineo, deinde Pontifex, deposita mitra, dicit:

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui es visibilium omnium rerum, et invisibilium conditor, et cunctarum sanctificationum consecrator, ad dedicationem hujus Dominicæ mensæ adesse dignare: et quæ sacrato oleo, et Chrismate a nobis indignis est linienda, et benedicenda, tuæ sancti ✠ ficationis in eam infunde virtutem, et consecrationem; ut omnes, qui ad eam te deprecaturi accesserint, tuæ propitiationis auxilium sentiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum inchoat, ministris prosequentibus, Antiphonam:


Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.


Qua incepta, Pontifex, accepta mitra, thurificat tertio tabulam per circuitum ejus. Finita incensatione, Pontifex inchoat, ministris prosequentibus, Antiphonam:

Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper.

Psalmus. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum!* concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Et totus dicitur, prout supra habetur in benedictione, et impositione primarii lapidis, pag. 139. sed in fine non dicitur Gloria Patri.

Dum Antiphona et Psalmus dicuntur, Pontifex stans cum mitra, intingit pollicem dexteræ manus in oleum Catechumenorum, et cum eo facit quinque cruces, videlicet, in medio altaris, et quatuor ejus cornibus, in locis, in quibus fecerat cruces de aqua benedicta, videlicet, primam in medio altaris; secundam in dextero cornu posteriori, id est, Evangelii; tertiam in sinistro anteriori; quartam in dextero anteriori; quintam in sinistro posteriori, hoc ordine:





dicens, dum singulas cruces facit:

SAncti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur hæc tabula. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Deinde Pontifex inchoat, ministris prosequentibus, Antiphonam:

Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.

Et dum Antiphona dicitur, Pontifex thurificat semel tabulam per circuitum: deinde restituto thuribulo, et Antiphona finita, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri. ℣ Flectamus genua. ℟. Levate.

ADsit Domine misericordiæ tuæ ineffabilis pietas: et super hanc tabulam opem tuæ bene ✠ dictionis, et virtutem tuæ unctionis infunde; ut, te largiente, referat præmium quisquis intulerit votum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratione finita, Pontifex inchoat, ministris prosequentibus, Antiphonam:

MAne surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper: votum vovit Domino: vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam.

Psalmus. Bonum est confiteri Domino: * et psallere nomini tuo Altissime.

Et totus dicitur, prout supra habetur sub dedicatione Ecclesiæ, pag. 177. Et in fine non dicitur Gloria Patri.

Incepta Antiphona, Pontifex accepta mitra, facit iterum quinque cruces cum pollice de eodem Oleo Catechumenorum in eisdem locis altaris, et eo ordine, prout prius fecit, dicens, dum singulas cruces facit:

SAncti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur hæc tabula. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Deinde Pontifex inchoat, ministris prosequentibus, Antiphonam.

D irigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.

Interim dum Antiphona dicitur, Pontifex retenta mitra, thurificat iterum semel tabulam per circuitum. Quo facto Pontifex, deposita mitra, dicit:

O remus.

Et ministri: F lectamus genua. ℟. Levate.

A Desto Domine dedicationi hujus mensæ tuæ, et in eam, quæ a nobis indignis sancto linita est oleo, bene ✠ dictionis, et sancti ✠ ficationis tuæ virtutem, et consecrationem infunde: Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Qua finita, Pontifex incipit, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam.

U nxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Psalmus. D eus noster refugium, et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Et totus dicitur, prout habetur supra sub dedicatione Ecclesiæ pag. 180. nec in fine dicitur G loria Patri.

Incepta Antiphona, Pontifex accepta mitra, iterum facit quinque cruces de sancto Chrismate cum pollice dexteræ manus in medio tabulæ altaris, et in quatuor ejus angulis, ordine supra posito, ad quamlibet crucem dicens:

S Ancti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur hæc tabula. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax tibi.

Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote incensante, imposito et benedicto incenso, stans cum mitra inchoat, et schola, seu ministri prosequuntur, Antiphonam.

D irigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine.

Qua incepta, Pontifex retenta mitra, iterum semel thurificat tabulam per circuitum, deinde, deposita mitra, dicit:

O remus.

Et ministri: F lectamus genua. ℟. Levate.

E Xaudi nos Deus noster, et precum nostrarum libenter accipe vota, et altare hoc ad celebranda divina mysteria præparatum cælestis unguenti odore asperge, et aromata divinæ sanctificationis illi infunde: et sicut lapidem Jacob Patriarchæ erectum unguenti perfusione dicasti, et Angelicis visionibus per scalam gradus Ecclesiæ figurasti; sic quoque super hunc lapidem altari coaptandum cælestis gratiam sancti

✠ ficationis immitte; ut dum tibi super eum sacri Corporis et Sanguinis unigeniti Filii tui mysteria consecrantur, petentibus peccata dimittantur; et merentibus instruas gratiam sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oratione dicta, Pontifex accepta mitra, intingit pollicem dexteræ manus in sanctum Chrisma, et cum eo signat confessionem, id est sepulcrum, in quo Reliquiæ sunt reponendæ, in medio formando signum dicens:

COnse ✠ cretur, et sancti ✠ ficetur hoc sepulcrum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Pax huic domui.

Deinde deposita mitra, recondit veneranter Reliquias cum tribus granis thuris in tabula, sive altari, et sepulcrum Reliquiarum hujusmodi claudit. Quo facto, adhuc stans sine mitra, dicit:

Oremus.

DEus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum æternum majestati tuæ condis habitaculum: da ædificationi tuæ incrementa cælestia, et præsta; ut quorum hic Reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum inchoat Pontifex, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam:

Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: crescere te faciat Deus meus, sicut arenam maris: et donet tibi de rore cæli benedictionem.

Psalmus 86.

FUndamenta ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylonis * scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum, et principum: * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium * habitatio est in te.

Et non dicitur Gloria Patri.

Dum Antiphona, et Psalmus prædicti dicuntur, Pontifex, accepta mitra, fundit, et spargit Oleum Catechumenorum, et sanctum Chrisma, manu dextera confricans, liniens, et perungens totum lapidem.

Finito Psalmo, Pontifex stans cum mitra, dicit:

LApidem hunc, fratres charissimi, in quo unguentum sacræ unctionis effunditur, ad suscipienda populi sui vota, et sacrificia, oremus ut Dominus noster bene ✠ dicat, et conse ✠ cret, et quod est unctum a nobis, sit unctum in nomine ejus; ut plebis vota suscipiat, et altari per sacram unctionem perfecto, dum propitiationem sacrorum imponimus, ipsi propitiatores Dei esse mereamur. Per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum eo et Spiritu Sancto vivit, et regnat Deus, in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Quo facto, inchoat, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam.

Ædificavit Moyses altare Domino Deo, offerens super illud holocausta: et immolans victimas, fecit sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel.

Qua finita, stans adhuc cum mitra Pontifex, dicit:

DEi Patris omnipotentis misericordiam supplices imploremus, fratres charissimi, ut altare hoc sacrificiis spiritualibus imbuendum, nostræ vocis exoratus officio præsenti bene ✠ dictione sanctificet, atque in eo semper oblationes famulorum suorum studio sanctæ devotionis impositas bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare dignetur, et spirituali placatus incenso, precibus familiæ suæ promptus exauditor assistat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde benedicit incensum super altare cremandum, et stans ibidem, deposita mitra, dicit:

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale, et igneum esse cognoscitur: dignare respicere, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare, hanc creaturam incensi; ut omnes languores, omnesque infirmitates, atque insidiæ inimici odorem ejus sentientes effugiant, et separentur a plasmate tuo, quod pretioso Filii tui sanguine redemisti; ut numquam lædatur a morsu antiqui serpentis. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Deinde aspergit ipsum aqua benedicta. Et accepta mitra, format propria manu ex ipso quinque cruces, quamlibet de quinque granis, super illa quinque loca altaris, in quibus

cruces de aqua, Oleo, et Chrismate factæ prius fuerunt, et super quamlibet crucem thuris ponit unam crucem factam de subtili candela ad mensuram crucis de granis incensi factæ, et cujuslibet crucis capita accenduntur, ut cum ipsis thus comburatur, et cremetur. Omnibus autem crucibus accensis, Pontifex deposita mitra, flexis coram altari genibus, inchoat, et schola, seu ministri prosequuntur.

Alleluja. ℣. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: et tui amoris in eis ignem accende.

Nisi consecratio fiat inter Dominicam Septuagesimæ, et Festum Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, quia tunc omisso **Alleluja**, dicitur Versus tantum. Quo dicto, surgit Pontifex stans ibidem versus ad altare sine mitra, et schola, seu ministri dicunt Antiphonas duas sequentes:

Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli.

Alia Antiphona.

Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua: et data sunt ei incensa multa: et ascendit fumus aromatum in conspectu Dei. Sine **Alleluja.**

Quibus finitis, Pontifex adhuc stans ante altare sine mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: **Flectamus genua. ℟. Levate.**

Hujus altaris Domine holocaustum Sancti Spiritus tui gratia infusum in odorem tuæ suavitatis ascendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc combustis candelis et thure, cineres illius combustionis per unum ex ministris cum spatulis ligneis abraduntur, et collecti in aliquo vase projiciuntur in sacrarium. Interim Pontifex sine mitra stans ante gradus altaris versus ad altare, dicit:

Oremus.

Supplices tibi, Domine Deus Pater omnipotens, preces effundimus, ut metalli hujus expolitam materiam supernis sacrificiis imbuendam ipse tuæ ditare sancti ✠ ficationis ubertate digneris, qui quondam legem in tabulis scripsisti lapideis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Deinde eodem modo stans, mediocri voce, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem hanc:

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Qui post offendicula lapsus primi hominis, instituisti tibi offerri propitiatori delibamenta libaminis; ut culpa, quæ præcesserat per superbiam, futuris temporibus expiaretur per munera, quibus honorarentur altaria, honorificarentur et templa. Quod tibi primus Noe præparavit officio, rursus Abraham immolaturus filium, dehinc Jacob erigens, et ungens lapidem in titulum. Te Redemptor mundi exoramus, ut lapidem istum, seu mensam in honorem tuum, gloriosæque virginis Mariæ, et omnium Sanctorum, conse ✠ crare, et sancti ✠ ficare digneris benedictionis tuæ illapsu, manibus nostris opem tuæ benedictionis infundens; et sacri hujus mysterii sicut institutor, ita etiam et sanctificator appare, qui te angularem lapidem, et saxum sine manibus abscissum nominari voluisti. Inhæreas hic placido æternæ majestatis obtutu; ut quidquid sacro ritu super hoc immolabitur, sicut Melchisedech oblatum tibi placeat holocaustum. Adsit misericordiæ tuæ ineffabilis pietas, ut, te largiente, referat præmium quisquis intulerit votum.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiatur:

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Præfatione finita, Pontifex inchoat, et schola, seu ministri prosequuntur, Antiphonam.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Deinde repetitur Antiphona. Qua dicta, Pontifex sine mitra, dicit: Oremus.

Omnipotens Deus, universarum rerum rationabilis artifex, qui inter ceteras creaturarum formas lapidum metallum ad obsequium tui sacrificii condidisti, ut legitimæ libationi præparetur altare: annue dignanter, ut quid-

quid hic oblatum, sacratumve fuerit, nomini tuo assurgat, religioni proficiat, spei innitatur, et fidei sit honori. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea inchoat, schola, seu ministris prosequentibus, Antiphonam.

Omnis terra adoret te Deus, et psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo Domine.

Qua incepta, Pontifex accepta mitra, thurificat super tabulam in modum crucis: deinde deposita mitra, dicit:

DEscendat, quæsumus Domine Deus noster, Spiritus tuus Sanctus super hoc altare: qui et dona nostra, et populi tui in eo sanctificet, et sumentium corda dignanter emundet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postremo extergitur tabula per ministros cum panno lineo. Tum Pontifex parat se ad celebrandum, si voluerit, vel facit per aliquem Sacerdotem super dictam tabulam consecratam Missam celebrari.

Missa dicitur ut in Missali, in ipsa die Dedicationis Ecclesiæ.

DE COEMETERII
BENEDICTIONE.

DIe præcedenti ponuntur in cœmeterio benedicendo quinque ligneæ cruces, videlicet una altior in medio, et quatuor aliæ, quælibet ad staturam hominis, quarum una in extremitate cœmeterii ante crucem mediam; alia in alia extremitate cœmeterii retro crucem mediam; tertia in tertia extremitate a dextris; et quarta in quarta extremitate cœmeterii a sinistris crucis mediæ; et ante quamlibet ex dictis quinque crucibus ponitur, seu figitur in terram aliquod lignum in ejus summitate aptum ad affigendum illi tres candelas, trium unciarum quamlibet, vel circa; scala super quam ascendens Pontifex possit attingere summitates ipsarum crucum; vas magnum aqua plenum benedicenda; et vas cum sale.

Mane vero Pontifex in sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, mitra simplici, et baculo pastorali, accedit cum ministris ad cœmeterium benedicendum, ubi faldistorium ante crucem in medio positam sibi paratur, super quo residens facit populo brevem sermonem de sanctitate, et libertate cœmeterii.

Quo facto affiguntur, et accenduntur quindecim candelæ, tres ante quamlibet crucem super ligna, ut supra ordinata; quibus ardentibus, Pontifex ante mediam crucem, et candelas stans, deposita mitra, dicit:

Oremus.

OMnipotens Deus, qui es custos animarum, et tutela salutis, et fides credentium: respice propitius ad nostræ servitutis officium; ut ad introitum nostrum purgetur, bene ✠ dicatur, sancti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur hoc cœmeterium, ut humana corpora hic post vitæ cursum quiescentia, in magno judicii die simul cum felicibus animabus mereantur adipisci vitæ perennis gaudia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et mox ante ipsam crucem super faldistorio, Pontifex, accepta mitra, accumbit; et cantor incipit et prosequitur Litanias, ut supra pag. 21.

Cumque dictum fuerit:

Ut omnibus fidelibus etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Pontifex surgit ab accubitu, et baculum pastoralem in sinistra tenens, producit signum crucis super cœmeterium, dicens primo:

Ut hoc cœmeterium purgare, et bene ✠ dicere digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit:

Ut hoc cœmeterium purgare, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Tertio dicit:

Ut hoc cœmeterium purgare, bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris.

Quo facto, redit ad accubitum, cantore Litanias perficiente.

Quibus finitis, surgit cum mitra ab accubitu Pontifex, et stans juxta aquam ibidem in vase paratam, benedicit eam, et sal simpliciter, prout supra sub benedictione, et impositione primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda pag. 155. Aqua igitur taliter benedicta, Pontifex accedens ad crucem ante mediam positam, mitra ibidem deposita, inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 7.

Asperges me Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalmus. Miserere mei Deus * secundum. Et totus dicitur, ut supra pag. 76. cum Gloria Patri in fine. Quo dicto, Antiphona repetitur. Dum Antiphona, et Psalmus dicuntur, Pontifex accepta mitra, circuit, et perambulat totum locum cœmeterii, incipiens circuire ad ejus dexteram, aspergens aquam benedictam ubique. Expleto autem circuitu, re-

diens ante crucem, quæ est ante mediam, deposita mitra, respiciens ad ipsam crucem, dicit:

Oremus.

Deus, qui es totius orbis conditor, et humani generis redemptor, cunctarumque creaturarum visibilium, et invisibilium perfectus dispositor: te supplici voce, ac puro corde exposcimus, ut hoc cœmeterium, sive polyandrum, in quo famulorum, famularumque tuarum corpora quiescere debent post curricula hujus vitæ labentia, pur ✠ gare, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris: quique remissionem omnium peccatorum per tuam magnam misericordiam in te confidentibus præstitisti, corporibus quoque eorum in hoc cœmeterio quiescentibus, et tubam primi Archangeli hic expectantibus consolationem perpetuam largiter impartire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde thurificat ipsam crucem, et figit in summitate ipsius unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem crucis. Quo facto, accepta mitra, accedit ad crucem retro mediam positam, aspergendo semper aquam benedictam per cœmeterium, interim dicens cum ministris sequentes Psalmos:

Psalmus. Domine ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua etc. ut supra sub benedictione Abbatis pag. 75. sine Gloria Patri in fine.

Deinde Psalmus. Beati quorum remissæ sunt etc. ut supra pag. 74. sine Gloria Patri in fine.

Quibus expletis, Pontifex stans ante ipsam crucem, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Trina Majestas, et una Deitas, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, justitiæ auctor, veniæ largitor, bonorum dator, sanctitatis origo, charismatum distributor, omniumque ad te venientium pius receptor: præsta propitius; ut hoc cœmeterium in honorem nominis tui compositum bene ✠ dici, et sancti ✠ ficari concedas, qui beato Abrahæ Patriarchæ famulo tuo terram a filiis Hebron comparatam in sepulturam benedixisti; et qui populo Israelitico promissionis tellurem in ævo durantem concessisti; famulorum famularumque tuarum corporibus in hoc cœmeterium intrantibus quietis sedem, et ab omni incursione malorum spirituum tutelam benignus largitor tribuas; ut post animarum, corporumque resurrectionem coadunatam, te donante, atque concedente, beatitudinem sempiternam percipere mereantur, qui in Trinitate perfecta vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum thurificat ipsam crucem, et figit in summitate ejus unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas in duobus brachiis ejusdem crucis; et accepta mitra, vadit ad crucem ad dexteram mediæ positam, aspergendo aquam benedictam per cœmeterium, et dicendo cum ministris sequentem Psalmum:

Domine ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt. Et totus dicitur, ut supra sub benedictione Abbatis pag. 75. sine Gloria Patri in fine.

Quo dicto, Pontifex stans ante ipsam crucem, deposita mitra, dicit:

Oremus.

DOmine Deus, pastor æternæ gloriæ, lux et honor sapientiæ, custos et vigor prudentiæ, salus ægrotantium, valetudo potentium, mæstorum solamen, vita justorum, gloria humilium: te supplices flagitamus, ut hoc servorum tuorum cœmeterium ab omni spurcitiæ inquinamento, et immundorum spirituum insidiis custodire, mundare, et bene ✠ dicere digneris: atque corporibus humanis in hunc locum advenientibus sinceritatem perpetuam tribuere non desinas; ut quicumque Baptismi Sacramentum perceperint, et in fide Catholica usque ad vitæ terminum perseverantes fuerint, atque decurso hujus ævi termino, corpora sua in hoc cœmeterio requiei commendaverint, Angelicis tubis concrepantibus, animæ simul cum corporibus præmia cælestium gaudiorum percipiant sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde thurificat ipsam crucem, et figit in summitate ejus unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas in duobus brachiis ipsius crucis. Tum accepta mitra, vadit ad crucem, quæ est ad sinistram mediæ crucis posita, aspergendo semper aquam benedictam per cœmeterium, dicendo cum ministris sequentem Psalmum: **Domine exaudi orationem meam: * et clamor meus ad te veniat.**

Non avertas faciem tuam a me. Et totus dicitur ut supra sub benedictione Abbatis pag. 77. sed in fine non dicitur Gloria Patri.

Quo dicto, stans ante ipsam crucem, deposita mitra, dicit:

Oremus.

DOmine Jesu Christe, qui corpus humanum de terra pro Angelica reparatione formasti, et in te pro redemptione assumpsisti, in terram pro conditione carnis resolvis, et de terra pro immortalitate resuscitabis: hanc terram, quæsumus, ad usum sepulturæ de benedictione tui sepulti corporis con ✠ se-

crare dignare; et in Baptismate tibi consepultos, in natura carnis hic consepeliendos sub spe tuæ resurrectionis in tuæ redemptionis misericordia requiescere concede: Qui venturus es judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Tum thurificat ipsam crucem, et figit in ejus summitate unam de tribus candelis ardentibus, et alias duas in duobus brachiis ejusdem crucis; et accepta mitra, revertitur ad crucem mediam, aspergendo semper per cœmeterium aquam benedictam, dicendo cum ministris sequentes Psalmos:

Psalm. De profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam, ut supra sub benedictione Abbatis, pag. 78.

Deinde Psalm. Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, ut supra pag. 78. sed in fine utriusque Psalmi non dicitur Gloria Patri.

Quibus finitis, Pontifex stans ante ipsam crucem mediam, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Adesto, quæsumus Domine Deus, obsequiis nostris, in nomine tuo hunc locum visitantibus, et nostræ fragilitatis ministerio: et sicut benedixisti per manus servorum tuorum Abrahæ, Isaac, et Jacob terram sepulturæ suæ peregrinationis; ita, quæsumus Domine, bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris hoc cœmeterium pretio unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi sanguinis typice comparatum ad nostræ peregrinationis corpora quiescenda, donec per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum de pulvere ad gloriam dones resurgenda: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Deinde mediocri voce, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem:

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui est dies æternus; lux indeficiens; claritas sempiterna. Qui sic sequaces suos in lucem præcipit ambulare, ut noctis æternæ valeant caliginem evadere, et ad lucis patriam feliciter pervenire. Qui per humanitatem assumptam Lazarum fle-

vit; per divinitatis potentiam vitæ reddidit; atque humanum genus quadrifida peccatorum mole obrutum ad vitam reduxit. Per quem te, Domine, suppliciter deprecamur: ut qui in hoc sepelientur polyandro, in novissimo, cum tubæ perstrepuerint Angelorum, a peccatorum nexibus absoluti, et æternæ felicitati redditi, et sanctorum cœtibus connumerati, te, qui es vita æterna, benignum et misericordem inveniant, ut te auctorem vitæ exultantes cum omnibus Sanctis collaudent.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen, quod a circumstantibus audiatur.

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum thurificat crucem ipsam, et figit in summitate ejus unam de tribus candelis ardentibus, et alias duas in duobus brachiis ejusdem crucis. Quo facto, stans versus ad ipsam crucem, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, locorum omnium sanctificator, et in melius reformator, a quo et per quem omnis benedictio de cælis descendit in terris: bene ✠ dicere dignare locum istud; ut sit polyandrum, seu cœmeterium, dulcis requies, et pausatio mortuorum, quorum animæ, quarum corpora hic sepulta, vel sepelienda sunt, jucunditatis tuæ dulcedine potiantur; sintque interim in superna Jerusalem gaudentes et lætantes, donec in magno judicii die de sepulcris propria corpora recipiant, et sic venienti Domino ad judicandum obviam cum fructu bonæ operationis occurrant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

His peractis, Pontifex solemniter benedicit populo, dicens: Sit nomen Domini benedictum etc.

Deinde intrat Ecclesiam, et si velit, parat se ad Missam: si vero celebrare noluerit, facit per aliquem Sacerdotem solemniter celebrari.

Missa dicitur de die, et cum Oratione diei dicitur sub uno per Dominum nostrum sequens Oratio:

DEus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt: huic cœmeterio, quæsumus Domine, Angelum tuum sanctum deputa custodem; et quorum quarumque corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolve vinculis delictorum: ut in te semper cum sanctis tuis sine fine lætentur.

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Cum Secreta diei dicitur sub uno Per Dominum sequens Secreta:

Munera Domine oblata sanctifica: et qui te ipsum in sepulchro poni voluisti, et exemplum resurgendi fidelibus tuis largiri dignatus es: da quæsumus fidelium tuorum animabus hic in te quiescentibus veniam peccatorum; ut hæc salutaris hostia sit remedium et requies animarum eorum, et corporum: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Cum Postcommunione diei dicitur sub uno Per Dominum nostrum sequens Postcommunio:

Muneribus sacris satiati, quæsumus Domine Deus noster, ut plebs tua, quæ in futuro a morte corporis resurrectura creditur, te miserante, a morte animæ resurgere mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

DE ECCLESIÆ ET COEMETERII
RECONCILIATIONE.

Ecclesiæ, et cœmeterii reconciliatio omni die fieri potest. In primis in mane diei, qua reconciliatio fieri debet, paratur faldistorium super tapete in medio cœmeterii, et altare Ecclesiæ omnino nudatur. Parantur etiam duo vasa cum aqua, unum in cœmeterio, et aliud in Ecclesia in Presbyterio, et ibidem unum vas vini; vas cum sale; vas cum cineribus; et aspersorium de herba hyssopi factum. Providetur etiam quod Ecclesia possit libere circuiri. Si verò Ecclesia tantum sit reconcilianda, paratur faldistorium super tapetem ante portam principalem Ecclesiæ, et ibidem vas cum aqua, et aspersorium de herba hyssopi factum, ac alia in Ecclesia, quæ supra sunt ordinata.

Quibus omnibus sic paratis, Pontifex in sacristia, vel alio condecenti loco ornatus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albo, mitra simplici, et baculo pastorali, procedit ad cœmeterium, si est reconciliandum, alias ante portam principalem Ecclesiæ; ubi stans juxta faldistorium sibi paratum, benedicit aquam ibidem in vase positam simpliciter cum sale, prout habetur supra in benedictione et imposi-

tione primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda, pag. 137. Aqua igitur benedicta, Pontifex sine mitra inchoat, schola prosequente, Antiphonam, ton. 7.

A sperges me Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalmus. Miserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam etc. ut supra, sub benedictione Abbatis, pag. 76. Totus dicitur cum Gloria Patri, et Sicut erat.

Quo finito, Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona, et Psalmus dicuntur, Pontifex accepta mitra, aspergit cum ipsa aqua in circuitu de foris Ecclesiam, et cœmeterium simul, aspergendo aquam alternatim nunc ad murum Ecclesiæ, nunc ad terram cœmeterii, et specialiter loca contaminata. Quo facto, rediens ad locum ubi aquam benedixit, stans, deposita mitra, dicit:

Oremus.

OMnipotens et misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam; ut quidquid modo visitaturi sumus, visites, et quidquid benedicturi sumus, bene ✠ dicas; sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde iterum dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

AUfer a nobis, quæsumus Domine, cunctas iniquitates nostras: ut ad loca tuo sancto nomini purificanda puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Et si Ecclesia reconciliatur sine cœmeterio, omittitur sequens Oratio. Si vero Ecclesia simul cum cœmeterio reconciliatur, Pontifex, finita præcedente, mox dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

DOmine pie, qui agrum figuli pretio sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti: quæsumus, dignanter reminiscere clementissimi hujus mysterii tui. Tu es enim Domine figulus noster, tu quietis nostræ ager, tu agri hujus es pretium, tu dedisti etiam et suscepisti, tu de pretio et in pretio tui vivifici sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo Domine, qui es offensionis nostræ clementissimus indultor, expectantissimus judicator, judicii tui superabun-

dantissimus miserator, judicium tuæ justæ severitatis abscondens: post miserationem tuæ piæ redemptionis adesto exauditor, et effector nostræ reconciliationis; hocque cœmeterium, mausoleum peregrinorum tuorum cælestis patriæ incolatum expectantium benignus purifica, et reconcilia; et hic tumulatorum, et tumulandorum corpora, de potentia et pietate tuæ resurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, sed glorificans resuscita, qui venturus es judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Postea cantor incipit Litanias, ut supra pag. 21. et Pontifex accepta mitra ingreditur Ecclesiam cum Clero, cantando eas; acceditque ante altare majus, coram quo paratur ei faldistorium, super quod Pontifex cum mitra procumbit. Cumque dictum fuerit:

Ut omnibus fidelibus etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Pontifex surgit de accubitu, et baculum pastoralem in sinistra tenens, producit signum crucis super altare, Ecclesiam, et cœmeterium, dicens:

UT hanc Ecclesiam, et altare hoc, ac cœmeterium purgare, et recon ✠ ciliare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit:

Ut hanc Ecclesiam, et altare hoc, ac cœmeterium purgare, recon ✠ ciliare, et sancti ✠ ficare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Tertio dicit:

Ut hanc Ecclesiam, et altare hoc, ac cœmeterium purgare, recon ✠ ciliare, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris. ℟. Te rogamus audi nos.

Si autem cœmeterium non sit pollutum, et sic neque reconciliandum, non fit de cœmeterio mentio. Quibus dictis iterum super faldistorio accumbit, cantore Litanias resumente et perficiente. Quibus finitis Pontifex surgit, et deposita mitra, stans versus ad dictum altare, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

DEus qui peccati veteris hæreditariam mortem, in qua posteritatis genus omne successerat, Christi Filii tui Domini nostri passione solvisti: da propitius; ut conformes eidem effecti, sicut imaginem terreni parentis naturæ necessitate portavimus, ita imaginem cælestis gratiæ sanctificatione portemus, per virtutem ejusdem Christi Filii tui Domini nostri: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex genuflectit ante faldistorium prædictum, et sine mitra cantando dicit, prout etiam habetur supra in Ecclesiæ dedicatione pag. 155.

Deus in adjutorium meum intende.

Tum surgit Pontifex, et chorus respondet:

Domine ad adjuvandum me festina.

Tunc Pontifex stans sine mitra, dicit:

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

Chorus respondet:

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen. Absque Alleluja.

Idem fit eisdem modo et loco secundo, et tertio, voce semper altius elevata. Quibus dictis, Pontifex stans in eodem loco, accepta mitra, benedicit aliam aquam ibidem in Presbyterio in aliquo vase paratam cum sale, cinere, et vino, incipiens absolute:

Exorcizo te creatura salis, prout habetur supra in dedicatione Ecclesiæ in secunda aquæ benedictione, pag. 155. continuans usque ad Orationem:

Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis etc. inclusive.

Qua dicta, Pontifex inchoat, schola prosequente, Antiphonam, ton. 7.

Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus: et fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.

Incepta Antiphona, Pontifex facit, ut in fine Psalmi habetur.

Psalmus 67.

IN Ecclesiis benedicite Deo Domino, * de fontibus Israel.

Repetitur Antiphona.

Ibi Benjamin adolescentulus, * in mentis excessu.

Repetitur Antiphona.

Principes Juda, duces eorum: * principes Zabulon, principes Nephthali.

Repetitur Antiphona.

Manda Deus virtuti tuæ: * confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

Repetitur Antiphona.

A templo sancto tuo in Jerusalem, * tibi offerent reges munera.

Repetitur Antiphona.

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: * ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Repetitur Antiphona.

Dissipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto: * Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Repetitur Antiphona.

Regna terræ cantate Deo: * psallite Domino.

Repetitur Antiphona.

Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli: * ad Orientem.

Repetitur Antiphona.

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel: * magnificentia ejus, et virtus ejus in nubibus.

Repetitur Antiphona.

Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ: * benedictus Deus.

Et non dicitur Gloria Patri, sed Antiphona repetitur. Interim dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, Pontifex accepta mitra, circuit ter Ecclesiam intrinsecus, aspergendo in primo circuitu parietes in superiori parte; in secundo autem in inferiori parte eorum; in tertio vero pavimentum Ecclesiæ; aspergit etiam specialiter loca contaminata, quando Ecclesia principaliter est polluta, vel violata.

Quo facto, Pontifex stans in Presbyterio cum mitra, versus ad altare, dicit:

Deum indultorem criminum, Deum sordium mundatorem, Deum qui corruptum peccatis originalibus mundum adventus sui nitore purificavit, fratres charissimi, supplices deprecemur: ut contra diaboli furentis insidias fortis nobis propugnator assistat; ut si quid ejus virosa calliditate quotidianis insectationibus maculatum in isto loco, corruptumque fuerat, efficiatur cælesti miseratione purgatum: quia sicut illius est solidum perfectumque quassare; ita auctoris est nostri lapsa restituere, nutantia stabilire, et corrupta purgare: Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus.

Deinde deposita mitra, mediocri voce, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem:

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare nos tibi

semper et ubique gratias agere : Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus immensa bonitas, ut non habuit principium, ita nec terminum habebit. Qui divina naturalique pietate pleuus, eligis in nobis magis restituere perdita, quam percutere peritura. Et si quid aut negligentia polluit, aut ira committit, aut stimulat ebrietas, aut libido subvertit, hoc Domine clementi patientia sustines ; ut ante per gratiam purifices, quam percutias per furorem. Et operis tui providus plasmator eligis potius erigere jacentia, quam punire damnanda. Te Domine supplices deprecamur, ut hujus tabernaculi receptaculum placatus aspicias, et altare tuum, quod insectantis est inimici fraude pollutum, per infusionem gratiæ cælestis purifices ; purificatum possideas ; possessumque, ne deinceps aliqua labe sordescat, custodias. Absint in posterum omnes nequitiæ spirituales, et eliminentur ; extinguatur antiqui serpentis invidia, et cum omnibus fraudibus suis diaboli turma propellatur. Efferat secum maculam, quam ingessit, et perennibus quandoque suppliciis deputandus operum suorum semina secum colligat peritura. Nihil hic in posterum noceat præteriti culpa contagii ; nihil sit quod remaneat inimici fraude pollutum, quandoquidem Spiritus tui est infusione purgatum. Resurgat Ecclesiæ tuæ pura simplicitas, et candor innocentiæ hactenus maculatus : dum receperit gratiam, resurgat ad gloriam ; ut populorum fidelium hic turba conveniens, dum petitionis ingerit vota, votorum sentiat se obtinuisse suffragia.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit.

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, ascendit ad altare, et ibi inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 4.

Introibo ad altare Dei : ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Psalmus 42.

Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : * ab homine iniquo, et doloso erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea : * quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus ?

Emitte lucem tuam, et veritatem tuam : * ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei : * ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus Deus meus: * quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Et non dicitur Gloria Patri, sed Antiphona repetitur. Qua repetita, Pontifex deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

DEus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus purificator assistis: exaudi nos, quæsumus, et concede; ut in posterum inviolabilis hujus loci permaneat consecratio, et tui muneris beneficia universitas fidelium, quæ supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde stans ibidem inchoat, schola prosequente, Antiphonam:

Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Psalmus. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus etc.

Et dicitur totus cum Gloria Patri, et Sicut erat, prout habetur supra pag. 88. cum Antiphona prædicta in fine benedictionis Abbatis. Incepta Antiphona, Pontifex accipit mitram, stans cum ea in dicto loco, usque ad finem Psalmi. Quo dicto, Pontifex deposita mitra, stans adhuc ibidem dicit:

Oremus.

DEus, qui in Ecclesiam tuam sanctam de omnibus mundi finibus congregatam, per tui lateris admirabile sacramentum cunctarum Gentium matrem esse dixisti, quam etiam populorum varietate depictam sanctorum Martyrum tuorum meritis decorasti: bene ✠ dic, Domine quæsumus, Sanctorum tuorum opitulante suffragio, tam altare, quod eorum exornatur, te juvante, reliquiis, quam Ecclesiam; ac fidelium tibi pie offerentium vota in illa sanctifica: Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex benedicit populo solemniter, dicens: Sit nomen Domini benedictum etc.

Deinde, si velit, parat se ad celebrandum Missam. Sed si celebrare noluerit, facit per aliquem Sacerdotem solemniter Missam celebrari.

Missa dicitur de die, et cum Oratione diei, dicitur sequens Collecta sub uno Per Dominum

Oratio.

DEus, qui dixisti, Domus mea domus orationis vocabitur: domum istam infidelium spurcitiis contaminatam

mundare, et sanctificare digneris; et omnium preces et vota hoc in loco ad te clamantium clementer exaudias, et benignus suscipias. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Secreta.

HÆc hostia, quæsumus Domine, et locum istum ab omnibus immunditiis expurget, et supplicationes nostras semper et ubique reddat tibi acceptas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postcommunio.

PErcipientes Domine munera salutis æternæ supplices exoramus: ut templum hoc et cœmeterium ab infidelium inquinamentis emundatum benedictione tua maneat sanctificatum; et pectora nostra ab omni sorde vitiorum alienata, tibique devota semper existant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

DE RECONCILIATIONE

COEMETERII SINE ECCLESIÆ RECONCILIATIONE.

QUando cœmeterium benedictum violatum, seu pollutum, separatum est ab Ecclesia, et propterea ipsa non habetur pro violata, vel polluta, reconciliatio cœmeterii fieri poterit quocumque die, hoc ordine. In mane diei, qua reconciliatio fieri debebit, parantur in medio cœmeterii faldistorium pro Pontifice, et vas aquæ mundæ benedicendæ, et vas salis; deinde hora convenienti Pontifex indutus in sacristia, aut alio convenienti loco, amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, baculum pastoralem in manu tenens, accedit ad medium cœmeterii, ubi supra faldistorium ornatum procumbit; et cantores ibidem incipiunt, et prosequuntur Litanias, ut supra pag. 21. in Ordinatione Subdiaconi, in quibus cum dictum fuerit:

Ut omnibus fidelibus etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Pontifex surgit cum mitra, et baculum pastoralem in manu sinistra tenens, producit signum crucis super cœmeterium dicens:

UT hoc cœmeterium reconci ✠ liare digneris.
℟. Te rogamus audi nos.

Secundo dicit:

Ut hoc cœmeterium recon ✠ ciliare, et sancti ✠ ficare digneris.
℟. Te rogamus audi nos.

Tertio dicit:

Ut hoc cœmeterium recon ✠ ciliare, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris.
℟. Te rogamus audi nos.

Quibus dictis, Pontifex iterum super faldistorium procumbit, cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, surgit Pontifex ab accubitu, et benedicit ibi sal et aquam simpliciter, prout habetur supra pag. 137. in benedictione et impositione primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda. Quo facto, Pontifex in eodem loco stans sine mitra inchoat, schola prosequente, Antiphonam, ton. 7.

Asperges me Domine hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Psalmus. Miserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam, ut supra. pag. 76.

Et dicitur totus sine Gloria Patri. Incepta Antiphona, Pontifex mitram accipit, et dum Antiphona, et Psalmus prædicti dicuntur, circuit totum cœmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens semper, et ubique aquam benedictam cum aspersorio, et potissime in loco, ubi pollutio, vel violatio commissa est. Quo peracto, redit ad locum ubi Litaniæ dictæ fuerunt. Finito Psalmo prædicto, et cœmeterio undique asperso, Pontifex stans ante faldistorium suum deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

DOmine pie, qui agrum figuli pretio sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti: quæsumus dignanter reminiscere clementissimi hujus mysterii tui; tu es enim Domine figulus noster; tu quietis nostræ ager; tu agri hujus es pretium; tu dedisti etiam et suscepisti; tu de pretio, et in pretio tui vivifici sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo Domine, qui es offensionis nostræ clementissimus indultor, expectantissimus judicator, judicii tui superabundantissimus miserator, judicium tuæ justæ severitatis abscondens post miserationem tuæ piæ redemptionis: adesto exaudior et effector nostræ reconciliationis; hocque cœmeterium, mausoleum peregrinorum tuorum cælestis patriæ incolatum

expectantium benignus purifica, et reconcilia; et hic tumulatorum, et tumulandorum corpora, de potentia et pietate tuæ resurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, sed glorificans resuscita. Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

His dictis, Pontifex stans in loco prædicto dat benedictionem solemnem populo, dicens:

Sit nomen Domini benedictum etc.

Tum redit ad sacristiam, aut alium locum, in quo paramenta accepit, ubi depositis sacris vestibus, vadit in pace.

DE PATENÆ, ET CALICIS

CONSECRATIONE.

Pontifex ad consecrationem Calicis, vel cujuslibet indumenti, seu ornamenti Ecclesiastici procedere volens, debet semper stolam circa collum habere, et mitram tenere poterit ubi convenit. Quandocumque enim Episcopalia agit, Episcopalibus, non Sacerdotalibus, debet esse paramentis ornatus. Omnium quoque mobilium benedictiones hujusmodi possunt fieri, ubi Pontifici placuerit, et omni die.

In Patenæ igitur consecratione, pro qua parandum est sanctum Chrisma, et vas aquæ benedictæ cum aspersorio, Pontifex stans cum mitra, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum, et terram.

Oremus, fratres charissimi, ut divinæ gratiæ benedictio consecret, et sanctificet hanc Patenam ad confringendum in ea corpus Domini nostri Jesu Christi, qui crucis passionem sustinuit pro nostrum omnium salute.

Tum deposita mitra dicit:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui legalium institutor es hostiarum, quique inter eas conspersam similaginem deferri in Patenis aureis et argenteis ad altare tuum jussisti: bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris hanc Patenam, in administrationem Eucharistiæ Jesu Christi Filii tui, qui pro nostra omniumque salute seipsum tibi Deo Patri in patibulo crucis elegit immolari, ac tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex accepta mitra, facit cum pollice dexteræ manus Chrismate intincto crucem super Patenam, ab ora in oram, et mox linit et perungit totam ejus superficiem cum ipso pollice, dicens:

Consecrare, et sanctificare digneris Domine Deus Patenam hanc per istam unctionem, et nostram benedictionem in Christo Jesu Domino nostro: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde stans adhuc cum mitra procedit ad benedictionem Calicis, dicens:

Oremus, fratres charissimi, ut Deus et Dominus noster Calicem istum in usum ministerii sui consecrandum cælestis gratiæ inspiratione sanctificet; et ad humanam consecrationem, plenitudinem divini favoris accommodet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum deposita mitra dicit:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Dignare, Domine Deus noster, Calicem hunc bene ✠ dicere, in usum ministerii tui pia famulatus devotione formatum: et ea sancti ✠ ficatione perfundere, qua Melchisedech famuli tui sacratum Calicem perfudisti; et quod arte, vel metalli natura effici non potest altaribus tuis dignum, fiat tua bene ✠ dictione sanctificatum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen

Deinde accepta mitra, facit crucem cum pollice dexteræ manus de Chrismate intra ipsum Calicem a labio ejus in labium, et mox linit et perungit interius ipsum totum, dicens:

Consecrare, et sanctificare digneris Domine Deus Calicem hunc per istam unctionem, et nostram benedictionem in Christo Jesu Domino nostro: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum deposita mitra, dicit super Calicem et Patenam:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, manibus nostris quæsumus opem tuæ benedictionis infunde: ut per nostram benedictionem hoc Vasculum et Patena sanctificentur, et Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi novum sepulcrum Sancti Spiritus gratia efficiantur. Per eumdem Domi-

num nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Demum aspergit Calicem et Patenam cum aqua benedicta, quod fieri debet in omnibus quarumlibet benedictionibus rerum. Quo facto, abstergi facit per aliquem Sacerdotem Patenam et Calicem cum mica panis, et bene mundari; deinde extersiones projiciuntur in ignem, vel sacrarium.

DE BENEDICTIONE

SACERDOTALIUM INDUMENTORUM IN GENERE.

Pontifex Sacerdotalia indumenta benedicere volens, stans sine mitra dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum Pontificalia et Sacerdotalia, seu Levitica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, ad honorem et decorem nominis tui fieri decrevisti: adesto propitius invocationibus nostris; et hæc indumenta Sacerdotalia, desuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione per nostræ humilitatis servitium puri ✠ ficare, bene ✠ dicere, et conse ✠ crare digneris: ut divinis cultibus et sacris mysteriis apta et benedicta existant: his quoque sacris vestibus Pontifices, et Sacerdotes, seu Levitæ tui induti ab omnibus impulsionibus, seu tentationibus malignorum spirituum muniti et defensi esse mereantur, tuisque mysteriis apte et condigne servire et inhærere, atque in his tibi placide et devote perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

alia Oratio. Oremus.

Deus invictæ virtutis triumphator, et omnium rerum creator ac sanctificator, intende preces nostras: et hæc indumenta Leviticæ, Sacerdotalis, et Pontificalis gloriæ ministris tuis fruenda tuo ore proprio bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris; omnesque eis utentes, tuis mysteriis aptos, et tibi in eis devote et laudabiliter servientes, gratos efficere digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in

unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℞. Amen.
Deinde aspergit ipsa indumenta aqua benedicta.

SPECIALIS

BENEDICTIO CUJUSLIBET INDUMENTI.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℞. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus omnipotens, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, supplices te rogamus: ut manibus nostris opem tuæ benedictionis infundas, et has caligas et sandalia, vel amictum, vel albam, vel cingulum, vel stolam, vel manipulum, vel tunicellam, vel dalmaticam, vel planetam divino cultui præparatam virtute Sancti Spiritus bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris: et omnibus ea, vel eo, vel eis utentibus gratiam sanctificationis sacri mysterii tui benignus concede; ut in conspectu tuo sancti, et immaculati, atque irreprehensibiles appareant, et auxilium misericordiæ tuæ acquirant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℞. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

DE BENEDICTIONE

MAPPARUM, SEU LINTEAMINUM SACRI ALTARIS.

POntifex Mappas seu Linteamina sacri altaris benedicturus, stans sine mitra, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℞. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi Domine preces nostras: et hæc linteamina sacri altaris usui præparata bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui ornamenta, et linteamina facere Moysen famulum tuum per quadraginta dies docuisti, quæ etiam Maria texuit, et fecit in usum ministerii tabernaculi fœderis: bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris hæc linteamina ad tegendum involvendumque altare gloriosissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

DE BENEDICTIONE
CORPORALIUM.

POntifex Corporalia benedicere volens, stans sine mitra, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

CLementissime Domine, cujus inenarrabilis est virtus, cujus mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue quæsumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis bene ✠ dictione sanctificetur, ad consecrandum super illud Corpus et Sanguinem Dei et Domini nostri Jesu Christi Filii tui: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris linteamen istud ad tegendum involvendumque Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Oremus.

OMnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde: ut per nostram bene ✠ dictionem hoc linteamen sanctificetur, et Corporis ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium Spiritus Sancti gratia efficiatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

DE BENEDICTIONE
NOVÆ CRUCIS.

NOva Crux, seu tabula, in qua Crucifixus est depictus, hoc modo benedicitur. Paratis thure thuribuloque cum igne et aqua benedicta, Pontifex paratus supra rochetum amictu, stola, pluviali rubri coloris, et mitra simplici, stans sine mitra, dicit:

℣. **Adjutorium nostrum in nomine Domini.**
℟. **Qui fecit cælum et terram.**
℣. **Dominus vobiscum.**
℟. **Et cum spiritu tuo.**

Oremus.

BEne ✠ dic, Domine Jesu Christe, hanc Crucem tuam, per quam eripuisti mundum a potestate dæmonum, et superasti passione tua suggestorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sumptionem: Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. **Amen.**

Alia Oratio. **Oremus.**

ROgamus, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignum Crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano; sit soliditas fidei; profectus bonorum operum; redemptio animarum; sit solamen, et protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.

Deinde dicit mediocri voce, extensis manibus ante pectus, Præfationem:

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. **Amen.**
℣. **Dominus vobiscum.**
℟. **Et cum spiritu tuo.**
℣. **Sursum corda.**
℟. **Habemus ad Dominum.**
℣. **Gratias agamus Domino Deo nostro.**
℟. **Dignum et justum est.**

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, cujus sanctum ac terribile nomen, inter ceteras visibiles creaturas, ligna quoque fructifera laudare ac benedicere non cessant. Qui in figuram unigenitæ sapientiæ tuæ, ligno vitæ a principio paradisum voluptatis or-

nasti, ut ejusdem fructus sacro mysterio protoparentes nostri generis mortem cavere, et vitam admoneres obtinere perpetuam. Quique nos vetitæ arboris attactu justæ morti addictos, ejusdem coæternæ tibi sapientiæ Dei, et Domini nostri Jesu Christi innoxia morte ad vitam misericorditer revocare dignatus es. Te supplices exoramus, ut hoc singulare signum, quod ad exemplum primi illius sacratissimi vexilli, quo pretioso Filii tui sanguine triumphasti, fidelium tuorum devotione compactum erectumque est, cælesti tua bene ✠ dictione sanctificare digneris; ut omnibus hic genua flectentibus, ac tuæ Majestati supplicantibus largior et cordis compunctio, et admissorum indulgentia concedatur; atque intercedente ipsa victoriosissima unigeniti Filii tui passione, et tibi placita postulare, et citius valeant postulata percipere. Da, quæsumus clementissime Pater, in quo vivimus, movemur, et sumus, ut quoties triumphum divinæ humilitatis, quæ superbiam nostri hostis dejecit, oculis intuemur, quotiesque mente recolimus, et contra hostem ipsum fiduciam fortitudinis, et majorem tibi devotæ humilitatis gratiam consequamur. Quatenus in illo tremendo tuæ Majestatis examine, cum paventibus elementis, cælorumque commotis virtutibus, signum istud glorificum Redemptionis nostræ apparuerit in cælo, ipsi de morte ad vitam transire, ac perpetua beatæ resurrectionis videre gaudia mereamur.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit:

Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui beatæ Crucis patibulum, quod prius erat scelestis ad pœnam, convertisti redemptis ad vitam: concede plebi tuæ ejus vallari præsidio, cujus est armata vexillo. Sit ei Crux fidei fundamentum, spei suffragium, in adversis defensio, in prosperis adjuvamen: sit ei in hostes victoria, in civitate custodia, in campis protectio, in domo fultura; ut per eam pastor in futuro gregem conservet incolumem, quæ nobis, Agno ✠ vincente, conversa est in salutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Alia Oratio. Oremus.

SAncti ✠ fica, Domine Jesu Christe, signaculum istud Passionis tuæ: ut sit inimicis tuis obstaculum, et cre-

dentibus in te perpetuum efficiatur victoriæ vexillum: Qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum offertur Pontifici thus in navicula, aut alio vase, quod Pontifex stans sine mitra benedicit, dicens:

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, cui assistit exercitus Angelorum cum tremore, quorum servitium spirituale et igneum esse cognoscitur: dignare respicere, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare hanc creaturam incensi; ut omnes languores, omnesque infirmitates, atque insidiæ inimici odorem ejus sentientes effugiant, et separentur a plasmate tuo, quod pretioso Filii tui sanguine redemisti; ut numquam lædatur a morsu antiqui serpentis. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quo facto, Pontifex imponit thus in thuribulum. Deinde aspergit Crucem aqua benedicta, et mox eam incensat. Tum dicit adhuc stans sine mitra:

SAnctificetur lignum istud. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti: et benedictio illius ligni, in quo membra sancta Salvatoris suspensa sunt, sit in isto ligno; ut orantes inclinantesque se propter Deum ante istam Crucem, inveniant corporis et animæ sanitatem. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum. ℟. Amen.

Tum Pontifex flexis ante Crucem genibus, ipsam devote adorat, et osculatur. Idem faciunt quicumque alii voluerint. Si vero Crux est ex metallo, vel lapide, loco præcedentis Orationis, videlicet, Sanctificetur, etc.

Pontifex stans sine mitra, dicit seq. Orationem:

DEus gloriæ, Deus excelse Sabaoth, fortissime Emmanuel, Deus Pater veritatis, Pater sapientiæ, Pater beatitudinis, Pater illuminationis ac vigilationis nostræ, qui mundum regis, qui cuncta regna disponis, qui es bonorum collator munerum, et bonorum omnium attributor; cui omnes gentes, populi, tribus, et linguæ serviunt; cui assistit omnis Angelorum legio; qui largiris famulis tuis fidem et laudem tui nominis, ut debita tibi oblata persolvant; cui prius fides offerentium complacet, deinde sacrificatur oblatio: quæsumus exorabilem misericordiæ tuæ pietatem, ut sancti ✠ fices tibi hoc signum Crucis, et conse ✠ cres, quod tota mentis devotione famulorum tuorum religiosa fides construxit, trophæum scilicet victoriæ tuæ, ac redemptionis nostræ, quod in amorem Christi triumphalis gloria consecravit. Aspice hoc signum Crucis insuperabile, per quod diaboli exinanita po-

testas, mortalium restituta libertas: quæ licet fuerit aliquando in pœnam, sed nunc versa est in honorem per gratiam; et quæ reos quondam puniebat supplicio, nunc et noxios absolvit a debito. Et tibi quid per hoc placere potuit, nisi id per quod tibi placuit nos redimere? Et nullum tibi debitum amplius munus est, quam quod tibi tunc corporis dedicavit affixio; nec tibi est magis familiaris oblatio, quam quæ familiari manuum tuarum extensione sacrata est. Illis ergo manibus hanc Crucem accipe, quibus illam amplexus es; et de sanctitate illius hanc sancti ✠ fica, et sicuti per illam mundus expiatus est a reatu, ita offerentium famulorum tuorum animæ devotissimæ hujus Crucis merito omni careant perpetrato peccato; et tuæ veræ Crucis obtectu enitescant successibus assiduis triumphatores. Radiet hic unigeniti Filii tui Domini nostri splendor divinitatis in auro; emicet gloria passionis ejus in ligno; in Cruce rutilet nostræ mortis redemptio; in crystalli splendore vitæ nostræ purificatio. Sit suorum protectio; spei certa fiducia; eos simul cum gente et plebe fide confirmet; spe et pace consociet; augeat triumphis; amplificet in secundis; proficiat eis ad perpetuitatem temporis, ad vitam æternitatis; ut eos temporali florentes gloria muniat, et ad perpetuam redemptos coronam, ad regna cælestia potenti virtute perducat. Præsta, per propitiationem Sanguinis ejus, per ipsum datorem, qui seipsum dedit redemptionem pro multis, qui se hostiam pro delictis offerre dignatus est, qui exaltatus in ligno Crucis suæ, principatus et potestates humiliavit: Qui tecum sidereo considet throno, indissolubili connexione Spiritus Sancti, per infinita sæculorum sæcula. ℟. Amen.

Tum Pontifex flexis ante Crucem genibus, eam devote adorat; et osculatur: idem faciunt quicumque alii voluerint.

DE BENEDICTIONE
CRUCIS PECTORALIS.

Ad benedicendam Crucem pectoralem, Pontifex potest uti forma assignata pro benedictione Crucis proficiscentium in subsidium Terræ sanctæ, ut infra, pag. 260.

DE BENEDICTIONE

IMAGINIS B. MARIÆ VIRGINIS.

Pontifex benedicturus imaginem beatæ Mariæ Virginis, paratus supra rochetum, amictu, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, stans sine mitra, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; ut qui vere eam Genitricem Dei esse credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Quo facto, aspergit figuram aqua benedicta. Deinde inchoat, schola prosequente, Antiphonam: **Sub tuum præsidium.**

Qua incepta, et dum ea cantatur, thurificat imaginem ipsam ter ducens thuribulum. Deinde sedet, reassumpta mitra, donec compleantur Antiphonæ et Psalmi sequentes.

Antiphona ton. 2.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus: sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Tempore Paschali Antiphona:

Alleluja, alleluja. Psalmus. **Fundamenta ejus**, ut supra, **pag. 217.**

Dicitur totus cum **Gloria Patri.**

Deinde dicitur Antiphona ton. 1.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Alleluja.

Psalmus 122.

Ad te levavi oculos meos, * qui habitas in cælis.
Ecce sicut oculi servorum, * in manibus dominorum suorum.
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: * ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.
Miserere nostri Domine, miserere nostri: * quia multum repleti sumus despectione.
Quia multum repleta est anima nostra: * opprobrium abundantibus, et despectio superbis.
Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Finitis Antiphonis et Psalmis prædictis, Pontifex surgit, deposita mitra, et dicit:

Oremus.

DEus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ Virginis, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæsumus; ut sua nos defensione munitos, jucundos facias suæ interesse commemorationi: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Deinde Pontifex incipit Antiphonam, schola prosequente. Qua incepta, sedet cum mitra, donec perficiatur Antiphona ton. 4.

O gloriosa Dei Genitrix virgo semper Maria, quæ Dominum omnium meruisti portare, et Regem Angelorum sola virgo lactare: nostri, quæsumus, pia memorare, et pro nobis Jesum Christum deprecare; ut tuis fulti patrociniis, ad cælestia regna mereamur pervenire.

Canticum B. Mariæ Virginis. Lucæ 1.

MAgnificat * anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies, * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis: * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, * recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros; * Abraham, et semini ejus in sæcula.

Gloria Patri. Sicut erat, etc.

Finita Antiphona, surgit Pontifex, sine mitra stans usque ad finem Cantici. Quo finito, dicit:

Oremus.

DEus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; ut qui vere eam Genitricem Dei esse credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, clementissima cujus dispensatione cuncta creantur ex nihilo, hanc imaginem in

honorem piissimæ Genitricis Filii tui Domini nostri Jesu Christi venerabiliter adaptatam bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris: et præsta, misericordissime Pater, per invocationem nominis tui, atque ejusdem unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quem pro salute generis humani, integritate Virginis Mariæ servata, incarnari voluisti, quatenus precibus ejusdem sacratissimæ Virginis, quicumque eamdem misericordiæ Reginam, et gratiosissimam Dominam nostram coram hac effigie suppliciter honorare studuerint, et de instantibus periculis eruantur, et in conspectu divinæ majestatis tuæ de commissis, et omissis veniam impetrent; ac mereantur in præsenti gratiam, quam desiderant adipisci, et in futuro perpetua salvatione cum electis tuis valeant gratulari. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Ultimo aspergat imaginem aqua benedicta.

DE BENEDICTIONE
IMAGINUM ALIORUM SANCTORUM.

Pontifex stans sine mitra, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines, seu effigies sculpi, aut pingi non reprobas, ut quoties illas oculis corporeis intuemur, toties eorum actus, et sanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur: hanc, quæsumus, imaginem, seu sculpturam in honorem, ac memoriam beati N. Apostoli tui, vel Martyris, vel Confessoris, aut Pontificis, vel Virginis adaptatam bene ✠ dicere, ac sancti ✠ ficare digneris: et præsta; ut quicumque coram illa ipsum gloriosissimum Apostolum tuum, vel Martyrem, vel Confessorem, aut Pontificem, vel Virginem suppliciter honorare studuerit, illius precibus ac obtentu a te gratiam in præsenti, et æternam gloriam obtineat in futuro. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Ultimo aspergat eas aqua benedicta.

DE BENEDICTIONE

SACRORUM VASORUM, ET ALIORUM ORNAMENTORUM IN GENERE.

Pontifex sacra vasa, vel alia ornamenta benedicere volens, stans sine mitra dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi Domine, Pater clementissime, preces nostras: et hæc purificanda vasa, et ornamenta, sacri altaris, atque Ecclesiæ tuæ sacri ministerii usui præparata, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, a quo omnia immunda purgantur, et in quo omnia purgata clarescunt: supplices omnipotentiam tuam invocamus; ut ab his vasis, et ornamentis, quæ tibi offerunt famuli tui, omnis spiritus immundus confusus longe discedat, et per tuam bene ✠ dictionem ad usum et ministerium sancti altaris, et Ecclesiæ tuæ sanctificata permaneant. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

DE BENEDICTIONE

TABERNACULI, SIVE VASCULI PRO SACROSANCTA EUCHARISTIA CONSERVANDA.

Pontifex tabernaculum, sive vasculum pro conservanda sacrosancta Eucharistia benedicere volens, stans sine mitra, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur: ut vasculum hoc, pro Corpore Filii tui Domini nostri Jesu Christi in eo condendo fabricatum, bene

✠ dictionis tuæ gratia dicare digneris. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum aspergit illud aqua benedicta.

DE BENEDICTIONE

CAPSARUM PRO RELIQUIIS, ET ALIIS SANCTUARIIS INCLUDENDIS.

Pontifex capsas pro Reliquiis, et aliis sanctuariis includendis, benedicere volens, stans cum mitra, dicit:

℣. **Adjutorium nostrum in nomine Domini.**

℟. **Qui fecit cælum et terram.**

Oremus, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem: ut qui omnia per unigenitum Filium suum in virtute Spiritus Sancti valde bona creavit, ipse nobis indignis ad consecrationem harum capsarum Reliquiis Sanctorum suorum condendis paratarum, rorem gratiæ suæ clementer infundere dignetur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus,

Deinde deposita mitra, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem:

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus inæstimabilis, Deus ineffabilis, Deus misericordiarum, et totius consolationis. Qui Moysi famulo tuo præcepisti, ut juxta exemplar, quod ei in monte demonstrasti, arcam de lignis imputribilibus construeret, et eam auro mundissimo circumdaret, in qua urna aurea manna cælesti plena, cum tabulis testamenti digito Majestatis tuæ conscriptis, in testimonium futuris generationibus servari deberet. Quique nostris sæculis eadem sacratius intelligenda manifestasti, dum Corpus unici Filii tui, opere Spiritus Sancti de incorrupta Virgine conceptum, et anima rationali vivificatum, omni plenitudine divinitatis replesti; te suppliciter imploramus, omnipotens Deus, Pater

Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo et in terra nominatur; ut hæc vascula Sanctorum tuorum pignoribus præparata, eisdem Sanctis tuis intercedentibus, cælesti bene ✠ dictione perfundere digneris: quatenus qui horum patrocinia requirunt, ipsis intercedentibus, cuncta sibi adversantia, te adjuvante, superare, et omnia commode profutura, abundantia largitatis tuæ mereantur invenire. Et sicut illi, te Domine inspirante, spiritualium nequitiarum versutias cavere, et humanitus exquisita tormenta non solum contemnere, sed etiam penitus evincere, Christo Domino confortante, potuerunt; ita ipsorum merita venerantibus, et Reliquias humiliter amplectentibus, contra diabolum et angelos ejus, contra fulmina et tempestates, contra grandines et varias pestes, contra corruptum aerem et mortes hominum, vel animalium, contra fures et latrones, sive gentium incursiones, contra malas bestias, et serpentium ac reptantium diversissimas formas, contra malorum hominum adinventiones pessimas, eorumque Sanctorum tuorum precibus complacatus, dexteram invictæ potentiæ tuæ ad depulsionem nocivorum, et largitatem proficuorum semper et ubique propitius extende.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen, quod a circumstantibus possit audiri.

Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum adhuc sine mitra stans dicit:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, qui ut murmur insani populi compesceres, et Sacerdotium Aaron tibi placitum comprobares, virgam ejus aridam germinare, et flores fructiferos producere fecisti, eamdemque in arca testamenti pro signo virtutis tuæ poni jussisti; sed et nobis eodem præsagio Christum in ara crucis arefactum, tertia die resurrectione reflorescere, et in Ecclesia novissimo tempore resuscitanda, per mortem suam die ac nocte fructificare demonstrasti; te, quæsumus, indulgentissime generis humani provisor, ut hæc vascula Sanctorum tuorum receptaculo præparata, ita gratuita gratia sanctifices; ut ubicumque in tuo nomine perlata fuerint, intercedentibus habitatorum ipsorum meritis, cuncta adversa repellas et nullifices, et omnia utilia multiplices, atque custodias; quatenus fideles tui magnitudine, sive universitate beneficiorum tuorum in parte modica Reliquiarum,

integra Sanctorum corpora se percepisse gratulentur ; et per temporalia loca ipsorum precibus impensa, ad æterna cum eis gaudia possidenda fiducialius animentur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum aspergit eas aqua benedicta.

DE BENEDICTIONE

SIGNI, VEL CAMPANÆ.

Signum, vel campana debet benedici, antequam ponatur in campanili, hoc ordine. In primis debet campana ipsa ita suspendi et situari, ut commode possit intus et extra tangi, tractari, et circuiri; deinde prope ipsam campanam benedicendam paratur Pontifici faldistorium; vas aquæ benedicendæ; aspersorium; vas cum sale; lintea munda ad extergendum campanam, quando opus erit; vas Olei sancti infirmorum; sanctum Chrisma; thymiama; thus; myrrha, et thuribulum cum igne. Diaconus etiam accipit amictum, album, cingulum, manipulum, stolam, et dalmaticam albi coloris. Quibus ordinatis, Pontifex in sacristia, aut alio convenienti loco, paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albi coloris, et mitra simplici, baculum pastoralem manu gestans, venit prope campanam, ubi sedens super faldistorium ibidem sibi paratum, dicit cum ministris Psalmos sequentes, videlicet Psalmus:

Miserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Totus dicitur cum Gloria Patri, et Sicut erat, prout supra habetur, pag. 76.

Psalmus 53.

Deus in nomine tuo salvum me fac : * et in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam : * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam : * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me : * et Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis : * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi, * et confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: * et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri, et Sicut erat, etc.

Psalmus 56.

MIserere mei Deus, miserere mei: * quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, * donec transeat iniquitas.

Clamabo ad Deum altissimum, * Deum, qui benefecit mihi.

Misit de cælo, et liberavit me: * dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam, * et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ: * et lingua eorum gladius acutus.

Exaltare super cælos Deus, * et in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: * et incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: * et inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: * cantabo, et psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium et cithara: * exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine: * et psalmum dicam tibi in Gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua,* et usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cælos Deus, * et super omnem terram gloria tua.

Gloria Patri, et Sicut erat, etc.

Psalmus 66.

DEus misereatur nostri, et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: * in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent Gentes: * quoniam judicas populos in æquitate, et Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, et Sicut erat, etc.

Psalmus 69.

DEus in adjutorium meum intende: * Domine ad adjuvandum me festina.

Confundantur, et revereantur, * qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, et lætentur in te omnes, qui quærunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, et pauper sum: * Deus adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu: * Domine ne moreris.

Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto:

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, etc.

Psalmus 85.

INclina Domine aurem tuam, et exaudi me: * quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: * lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis, et mitis: * et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: * et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: * quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine: * et non est secundum opera tua.

Omnes Gentes quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine: * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: * tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: * lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: * et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quæsierunt animam meam: * et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator, et misericors, * patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Respice in me, et miserere mei, * da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: * quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri, et Sicut erat, etc.

Postremo dicitur Psalmus, De profundis clamavi ad te Domine, prout habetur supra in benedictione Abbatis, pag. 78.

Expletis Psalmis, surgit Pontifex, et stans cum mitra benedicit sal et aquam, dicens:

℣. Adjutorium nostrum, etc. prout habetur supra in benedictione et impositione primarii lapidis, pag. 137. et continuans usque ad Orationem, Deus qui ad salutem humani generis, etc. inclusive.

Qua dicta, Pontifex adhuc sine mitra stans, dicit absolute sequentem Orationem:

BEne ✠ dic Domine hanc aquam benedictione cælesti, et assistat super eam virtus Spiritus Sancti: ut cum hoc vasculum ad invitandos filios sanctæ Ecclesiæ præparatum, in ea fuerit tinctum, ubicumque sonuerit hoc tintinnabulum, procul recedat virtus insidiantium, umbra phantasmatum, incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum, omnisque spiritus procellarum; et cum clangorem illius audierint filii Christianorum, crescat in eis devotionis augmentum, ut festinantes ad piæ matris Ecclesiæ gremium, cantent tibi in Ecclesia Sanctorum canticum novum, deferentes in sono præconium tubæ, modulationem psalterii, suavitatem organi, exultationem tympani, jucunditatem cymbali; quatenus in templo sancto gloriæ tuæ suis obsequiis et precibus invitare valeant multitudinem exercitus Angelorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Post hæc Pontifex mittit sal in aquam, in modum crucis, dicendo semel:

COmmistio salis et aquæ pariter fiat. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus invictæ virtutis auctor, et insuperabilis imperii rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potenter expugnas: te, Domine, trementes et supplices deprecamur, ac petimus; ut hanc creaturam salis, et aquæ dignanter aspicias, benignus illustres, pietatis tuæ rore sanctifices; ut ubicumque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis, omnis infestatio immundi spiritus abigatur, terrorque venenosi serpentis procul pellatur; et præsentia Sancti Spiritus nobis misericordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

His peractis, Pontifex accepta mitra, incipit lavare campanam cum dicta aqua: et ministri prosequuntur lotionem, lavantes eam totaliter intus et extra; deinde cum linteo mundo extergunt, Pontifice interim cum mitra sedente, et cum aliis ministris dicente Psalmum, cum aliis sequentibus.

Psalmus 145.

LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: * psallam Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus; * in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam: * in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius: * qui fecit cælum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus: * dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos: * Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos: * Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas, pupillum, et viduam suscipiet: * et vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion: * in generatione, et generationem.

Gloria Patri, et Sicut erat, etc.

Psalmus 146.

LAudate Dominum, quoniam bonus est psalmus : * Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio.

Ædificans Jerusalem Dominus : * dispersiones Israelis congregabit.

Qui sanat contritos corde : * et alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum : * et omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus : * et sapientiæ ejus non est numerus.

Suscipiens mansuetos Dominus : * humilians autem peccatores usque ad terram.

Præcinite Domino in confessione : * psallite Deo nostro in cithara.

Qui operit cælum nubibus : * et parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum, * et herbam servituti hominum.

Qui dat jumentis escam ipsorum, * et pullis corvorum invocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit : * nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Domino super timentes eum : * et in eis qui sperant super misericordia ejus.

Gloria Patri, et Sicut erat, etc.

Deinde Psalmus. Lauda Jerusalem Dominum, prout habetur supra in dedicatione Ecclesiæ, pag. 181. cum Gloria Patri.

Psalmus 148.

LAudate Dominum de cælis : * laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus : * laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol et luna : * laudate eum omnes stellæ et lumen.

Laudate eum cæli cælorum : * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, et facta sunt : * ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi : * præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terra : * dracones, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum : * quæ faciunt verbum ejus.

Montes, et omnes colles : * ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiæ, et universa pecora: * serpentes, et volucres pennatæ.

Reges terræ, et omnes populi: * principes, et omnes judices terræ.

Juvenes, et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini: * quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cælum et terram: * et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus: * filiis Israel, populo appropinquanti sibi. Sine Gloria Patri.

Deinde Psalmus Cantate Domino canticum novum: * laus ejus, prout habetur supra in dedicatione Ecclesiæ, pag. 173.

Postremo Psalmus Laudate Dominum in sanctis ejus, subsequenter, pag. 173. sed in fine dicitur Gloria Patri, et Sicut erat, etc.

Quibus finitis, surgit Pontifex cum mitra, et cum pollice dexteræ manus facit ab extra supra campanam de Oleo sancto infirmorum signum crucis; quo facto, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Deus, qui per beatum Moysen legiferum famulum tuum tubas argenteas fieri præcepisti, quibus dum Sacerdotes tempore sacrificii clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus ad te adorandum fieret præparatus, et ad celebrandum sacrificia conveniret, quarum clangore hortatus ad bellum, molimina prosterneret adversantium: præsta quæsumus; ut hoc vasculum sanctæ tuæ Ecclesiæ præparatum sancti ✠ ficetur a Spiritu Sancto, ut per illius tactum fideles invitentur ad præmium. Et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, crescat in eis devotio fidei; procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum; temperentur infesta tonitrua; ventorum flabra fiant salubriter ac moderate suspensa; prosternat aereas potestates dextera tuæ virtutis; ut hoc audientes tintinnabulum contremiscant, et fugiant ante sanctæ Crucis Filii tui in eo depictum vexillum, cui flectitur omne genu, cælestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confitetur, quod ipse Dominus noster Jesus Christus, absorpta morte per patibulum Crucis, regnat in gloria Dei Patris, cum eodem Patre, et Spiritu Sancto, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Pontifex accepta mitra, extergit cum linteo mundo crucem a se factam. Deinde inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 8.

Vox Domini super aquas multas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

Psalmus 28.

AFferte Domino filii Dei: * afferte Domino filios arietum:

Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: * Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: * vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: * et confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani: * et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum: * et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa: * et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: * et sedebit Dominus rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: * Dominus benedicet populo suo in pace.

Gloria Patri, et Sicut erat, etc.

Deinde repetitur Antiphona. Interim Pontifex cum mitra stans facit cum pollice dexteræ manus de Oleo sancto infirmorum septem cruces exterius super campanam, et deintus cum Chrismate quatuor pari distantia, dicens, dum quamlibet crucem facit:

SAncti ✠ ficetur, et conse ✠ cretur, Domine, signum istud. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. In honorem sancti N. Pax tibi.

Deinde finitis Antiphona et Psalmo, ac factis crucibus prædictis, Pontifex stans, deposita mitra, dicit:

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum muros lapideos, quibus adversantium cingebatur exercitus, cadere fecisti: tu hoc tintinnabulum cælesti bene ✠ dictione perfunde; ut ante sonitum ejus longius effugentur ignita jacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, læsio tempestatum; ut ad interrogationem propheticam, Quid est tibi mare, quod fugisti? suis motibus cum Jordanico retroactis fluento respondeant: A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob. Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum. Non ergo nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam, super misericordia tua; ut cum præsens vasculum, sicut reli-

qua altaris vasa, sacro Chrismate tangitur, Oleo sancto ungitur; quicumque ad sonitum ejus convenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi, semper fidei Catholicæ documenta sectentur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum sedet Pontifex, et accepta mitra, imponit in thuribulo thymiama, thus, et myrrham, si haberi possunt, alioquin, quæ ex ipsis habentur; quibus impositis, thuribulum ipsum supponitur Campanæ, seu signo, ut totum fumum recipiat, schola interim cantante Antiphonam ton. 8.

Deus in sancto via tua: quis Deus magnus, sicut Deus noster?

Psalmus 76.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: * et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi.

Multitudo sonitus aquarum: * vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt: * vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: * commota est, et contremuit terra.

In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis: * et vestigia tua non cognoscentur.

Deduxisti sicut oves populum tuum: * in manu Moysi, et Aaron.

Gloria Patri, et Sicut erat, etc.

Quibus dictis, deposita mitra, surgit Pontifex, et dicit:

Oremus.

Omnipotens dominator Christe, quo secundum carnis assumptionem dormiente in navi, dum oborta tempestas mare conturbasset, te protinus excitato, et imperante, dissiluit; tu necessitatibus populi tui benignus succurre; tu hoc tintinnabulum Sancti Spiritus rore perfunde; ut ante sonitum illius semper fugiat bonorum inimicus; invitetur ad fidem populus Christianus; hostilis terreatur exercitus; confortetur in Domino per illud populus tuus convocatus: ac sicut Davidica cithara delectatus, desuper descendat Spiritus Sanctus; atque ut Samuele agnum lactentem mactante in holocaustum regis æterni imperii, fragor aurarum turbam repulit adversantium; ita dum hujus vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiæ tuæ conventum manus conservet Angelica, fruges credentium, mentes et corpora salvet protectio sempiterna. Per te Christe Jesu, qui cum Deo Patre vivis et regnas in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Demum Diaconus sacris vestibus albi coloris paratus, dicit:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 10.

IN illo tempore: Intravit Jesus in quoddam castellum: et mulier quædem, Martha nomine, excepit illum in domum suam, et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, et ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, solicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Finito Evangelio, Pontifex osculatur librum Evangeliorum per unum ex ministris sibi porrectum. Tum producit super campanam benedictam signum crucis, et reassumpta mitra, discedens revertitur ad locum, ubi paramenta accepit, in quo dimissis sacris vestibus, vadit in pace.

DE BENEDICTIONE

ET IMPOSITIONE CRUCIS PROFICISCENTIBUS IN SUBSIDIUM ET DEFENSIONEM FIDEI CHRISTIANÆ, SEU RECUPERATIONE TERRÆ SANCTÆ.

PRofecturus in subsidium, et defensionem fidei Christianæ, seu recuperationem Terræ sanctæ, genuflectit ante Pontificem, coram quo unus ministrorum tenet crucem benedicendam illi imponendam. Tum Pontifex stans sine mitra, dicit super Crucem:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens Deus, qui Crucis signum pretioso Filii tui Sanguine dedicasti, quique per eamdem Crucem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum redimere voluisti, et per virtutem ejusdem venerabilis Crucis humanum genus ab antiqui hostis chirographo liberasti: te suppliciter exoramus, ut digneris hanc Crucem paterna pietate bene ✠ dicere, et

cælestem ei virtutem et gratiam impartire; ut quicumque eam in passionis et Crucis Unigeniti tui signum ad tutelam corporis et animæ super se gestaverit, cælestis gratiæ plenitudinem in ea, et munimen valeat tuæ benedictionis accipere: quemadmodum virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixisti; ita et hoc signum tua dextera bene ✠ dic; et contra omnes diabolicas fraudes virtutem ei tuæ defensionis impendas; ut portantibus illud animæ pariter et corporis prosperitatem conferat salutarem, et spiritualia in eis dona multiplicet. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex aspergit Crucem ipsam aqua benedicta, et super recepturum ipsam dicat:

Oremus.

DOmine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui es verus et omnipotens Deus, splendor et imago Patris, et vita æterna, qui tuis discipulis asseruisti, ut quicumque vult post te venire, semetipsum abneget, et suam Crucem tollens te sequatur: quæsumus immensam clementiam tuam; ut hunc famulum tuum, qui juxta verbum tuum seipsum abnegare, suamque crucem tollere, et te sequi, ac contra inimicos nostros pro salute populi tui electi properare et pugnare desiderat, semper et ubique protegas, ac a periculis omnibus eruas, et a vinculo peccatorum absolvas, acceptumque votum ad effectum deducas optatum. Tu, Domine, qui es via, veritas, et vita, et in te sperantium fortitudo, ejus iter bene disponas, et prospera cuncta concedas; ut inter præsentis sæculi angustias tuo semper auxilio gubernetur. Mitte ei, Domine, Angelum tuum Raphaelem, qui Tobiæ comes fuit in itinere suo, ejusque patrem a corporis cæcitate liberavit, in eundo et redeundo sit ei defensor contra omnes visibiles et invisibiles hostis insidias, et omnem mentis et corporis ab eo cæcitatem repellat: Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex sedens, accepta mitra, imponit illi Crucem, dicens

ACcipe signum Crucis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, in figuram Crucis, passionis, et mortis Christi, ad tui corporis et animæ defensionem; ut divinæ bonitatis gratia post iter expletum, salvus et emendatus ad tuos valeas remeare. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Demum Pontifex aspergit Crucesignatum aqua benedicta, qui genuflexus osculatur manum Pontificis, et discedit.

DE BENEDICTIONE
ARMORUM.

Pontifex benedicturus arma, quæ aliquis ministrorum coram eo tenet, aut supra altare, vel aliquam mensam ponuntur, stans sine mitra, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti descendat super hæc arma, et super induentem ea, quibus ad tuendam justitiam induatur. Rogamus te Domine Deus, ut illum protegas et defendas: Qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Alia Oratio. Oremus.

Deus omnipotens, in cujus manu victoria plena consistit, quique etiam David ad expugnandum rebellem Goliam vires mirabiles tribuisti: clementiam tuam humili prece deposcimus; ut hæc arma almifica pietate bene ✠ dicere digneris; et concede famulo tuo N. eadem gestare cupienti, ut ad munimen ac defensionem sanctæ matris Ecclesiæ, pupillorum, et viduarum, contra invisibilium et visibilium hostium impugnationem ipsis libere et victoriose utatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergit ea aqua benedicta.

DE BENEDICTIONE
ENSIS.

Pontifex ensem benedicere volens, illo, cui tradendus est, coram eo genuflectente, quem unus ex ministris coram eo tenet, stans sine mitra, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

BEne ✠ dicere digneris, quæsumus Domine, ensem istum: et hanc famulum tuum, qui eum, te inspirante, suscipere desiderat, pietatis tuæ custodia munias, et illæsum custodias. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aspergat ensem aqua benedicta. Tum sedens, accepta mitra, tradit eum illi, cui tradendus est, genuflexo coram eo permanente, dicens:

ACcipe ensem istum, in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, et utaris eo ad defensionem tuam, ac sanctæ Dei Ecclesiæ, et ad confusionem inimicorum Crucis Christi, ac fidei Christianæ: et quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem injuste lædas: Quod ipse tibi præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

DE BENEDICTIONE

ET TRADITIONE VEXILLI BELLICI.

POntifex Vexillum bellicum, quod unus ex ministris coram eo tenet, benedicere volens, stans sine mitra, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, et triumphantium fortitudo: respice propitius ad preces humilitatis nostræ; et hoc Vexillum, quod bellico usui præparatum est, cælesti bene ✠ dictione sanctifica; ut contra adversarias et rebelles nationes sit validum, tuoque munimine circumseptum, sitque inimicis Christiani populi terribile, atque in te confidentibus solidamentum, et certa fiducia victoriæ. Tu enim es Deus, qui conderis bella, et cælestis præsidii sperantibus in te præstas auxilium: Per unicum Filium tuum, Christum Dominum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde aspergit Vexillum aqua benedicta. Tum sedens, accepta mitra, genuflexo coram eo illo, cui Vexillum tradendum est, consignat ei ipsum Vexillum, dicens:

Accipe Vexillum cælesti benedictione sanctificatum : sitque inimicis populi Christiani terribile ; et det tibi Dominus gratiam , ut ad ipsius nomen et honorem cum illo hostium cuneos potenter penetres incolumis et securus.

Deinde dat ei osculum pacis , dicens : Pax tibi.

Qui accepto Vexillo osculatur manus Pontificis , surgit , et discedit.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

PONTIFICALIS

PARS TERTIA.

DE PUBLICATIONE

FESTORUM MOBILIUM IN EPIPHANIA DOMINI.

IN Epiphania Domini, cantato Evangelio Archidiaconus, sive aliquis Canonicus, vel Beneficiatus, aut alius juxta consuetudinem loci, pluviali paratus ascendet ambonem, vel pulpitum, et ibidem, vel in alio loco ubi cantari solet Evangelium, e vetusto Ecclesiæ sanctæ instituto publicabit Festa mobilia anni currentis juxta infrascriptam formulam, et diem Synodi diœcesanæ suo loco promulgabit, licet in formula infrascripta, Dominica secunda post Pascha notata sit.

NOveritis, fratres charissimi, quod annuente Dei misericordia, sicut de Nativitate Domini nostri Jesu Christi gavisi sumus; ita et de resurrectione ejusdem Salvatoris nostri gaudium vobis annunciamus. Die decima Februarii erit Dominica in Septuagesima. Vigesima septima Februarii dies Cinerum, et initium jejunii sacratissimæ Quadragesimæ. Decima tertia Aprilis sanctum Pascha Domini nostri Jesu Christi cum gaudio celebrabimus. Dominica secunda post Pascha Diœcesana Synodus habebitur. Vigesima secunda Maji erit Ascensio Domini nostri Jesu Christi. Prima Junii Festum Pentecostes. Duodecima ejusdem Festum sacratissimi Corporis Christi. Trigesima Novembris Dominica prima Adventus Domini nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

DE EXPULSIONE

PUBLICE POENITENTIUM AB ECCLESIA, IN FERIA QUARTA CINERUM.

IN capite Quadragesimæ solemniter pœnitentes de Ecclesia ejiciuntur, hoc modo.

Pœnitentes, quibus secundum jus, vel consuetudinem, pro gravioribus criminibus solemnis pœnitentia est imponenda, hac

die hora quasi tertia conveniunt ad Ecclesiam Cathedralem, in vilibus vestimentis, nudis pedibus, et vultibus ad terram demissis, quorum nomina scribi debent; accipientes pœnitentiam juxta modum culpæ ab Episcopi Pœnitentiario, vel ab aliis, quibus hoc officium commissum est; et postea omnes emittuntur, et manent ante fores Ecclesiæ. Pontifex interim, dicta Sexta, si non sit celebraturus, paratur supra rochetum vel (si sit Regularis) supra superpelliceum, amictu, alba, cingulo, stola, pluviali violaceis, mitra simplici, et baculo pastorali. Si autem Pontifex est celebraturus, dum dicitur Nona, more solito accipit sandalia, et cætera paramenta Pontificalia, usque ad Dalmaticam inclusive, et desuper pluviale coloris violacei, et mitram simplicem; et benedicit cineres, atque imponit. Quibus peractis, Pontifex cum ministris, schola, et toto Clero, Cruce, aqua benedicta, et duobus cereis præcedentibus, egreditur chorum circa medium Ecclesiæ, ubi parata sit sedes. Tunc Clerus dividitur per duos choros, hinc inde, versus valvas Ecclesiæ. Pœnitentes vero omnes ingressi prosternunt se cum lacrymis in Ecclesiæ pavimento coram Pontifice inter utrumque chorum. Tunc Pontifex sedens cum mitra, vel Archipresbyter stans imponit cineres super capita singulorum dicens:

Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris: age pœnitentiam, ut habeas vitam æternam.

Et unus ex Canonicis aspergit eos aqua benedicta. Postea Pontifex stans, deposita mitra, benedicit cilicia, in hunc modum:

℣. **Adjutorium nostrum in nomine Domini.**
℟. **Qui fecit cælum et terram.**
℣. **Domine exaudi orationem meam.**
℟. **Et clamor meus ad te veniat.**
℣. **Dominus vobiscum.**
℟. **Et cum spiritu tuo.**

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuæ misericordiam quærentibus hoc indumento vestitis, misericordiam tuam et veniam tribuisti: obsecramus clementiam tuam, ut hoc indumentum, quod vocatur cilicium, bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris; ut quicumque eo pro peccatis suis indutus fuerit, et misericordiam tuam imploraverit, veniam et indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta. Benedictis ciliciis, Pontifex capita eorum cooperit cum eis, dicens:

APud Dominum misericordia est, et apud Deum redemptio: ita enim lapsis hominibus subvenit, non solum per Baptismi et Confirmationis gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam, ut spiritus humanus vita reparetur æterna. ℟. Deo gratias.

Quo facto, Pontifex incipit Antiphonam Ne reminiscaris, et super faldistorium accumbit, et ministri, et totus populus, et pœnitentes, prosternunt se in terram, et pro ipsorum pœnitentium absolutione dicunt septem Psalmos Pœnitentiales alternatim, prout supra habentur, pag. 74. deinde dicitur Antiphona Ne reminiscaris.

Postea dicuntur Litaniæ, ut supra, pag. 21. quibus finitis, Pontifex dicit super ipsos pœnitentes:

Pater noster, et reliqua secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos, et ancillas tuas.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.
℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine Deus virtutum converte nos.
℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EXaudi Domine preces nostras, et confitentium tibi parce peccatis: ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

PRæveniat hos famulos tuos, vel has famulas tuas, quæsumus Domine, misericordia tua: ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

ADesto Domine supplicationibus nostris, nec sit ab his famulis, vel famulabus tuis clementiæ tuæ longinqua miseratio: sana vulnera, eorumque dimitte peccata; ut ab o-

mnibus iniquitatibus expiati, tibi Domine semper valeant adhærere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris: respice, quæsumus, ad hos famulos tuos, vel has famulas tuas, qui, vel quæ se tibi peccasse graviter confitentur; tuum est enim absolutionem criminum dare, et veniam præstare peccantibus, qui dixisti, te pœnitentiam malle peccatorum, quam mortem; concede ergo, Domine, ut tibi pœnitentiæ excubias celebrent, et correctis actibus suis, conferri sibi a te sempiterna gaudia gratulentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His peractis, surgunt pœnitentes, et facit eis Pontifex sermonem, ostendens qualiter Adam propter peccatum ejectus est de paradiso, et multa maledicta in eum congesta sunt; et qualiter ejus exemplo ipsi de Ecclesia ad tempus ejiciendi sunt. Quo facto, accipiat unum ex eis per dexteram manum; et omnes alii similiter se manibus tenentes, candelas accensas in manibus habentes subsequantur eum; et ita eos ejiciat de Ecclesia, cum lacrymis dicens:

Ecce ejicimini vos hodie a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ propter peccata et scelera vestra, sicut Adam primus homo ejectus est de paradiso propter transgressionem suam.

Et interim schola cantat Responsorium ton. 7.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo, dicit Dominus ad Adam: cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos,* Sed spinas et tribulos germinabit tibi.

℣. Pro eo, quod audisti vocem uxoris tuæ plus quam me: maledicta terra in opere tuo, non dabit fructus suos,* Sed spinas.

Aliud Responsorium ton. 8.

Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum: * Videte, ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum.

℣. Fecitque Dominus Adæ tunicam pelliceam, et induit eum, et ait: * Videte. Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto. * Videte.

Et sic eis extra ejectis, et ante valvas Ecclesiæ genibus flexis gemendo manentibus, Pontifex in limine ostii stans moneat eos, quod de Domini misericordia non desperent, sed jejuniis, orationibus, peregrinationibus, eleemosynis, et aliis bonis operibus invigilent; ut Dominus ad dignum fructum veræ pœnitentiæ eos perducat; quodque feria quinta in Cœna Domini redeant, quoniam tunc in sanctam Ecclesiam redu-

centur, quam usque tunc ingredi non præsumant. Et mox Pontifice cum processione ad chorum redeunte, valvæ Ecclesiæ ante oculos eorum clauduntur; et incipitur Missa, et proceditur ordine suo.

DE RECONCILIATIONE

POENITENTIUM, QUÆ FIT IN QUINTA FERIA COENÆ DOMINI.

Feria quinta Cœnæ Domini reconciliantur pœnitentes, quibus ab Ecclesia solemnem agere pœnitentiam injunctum est, qui in capite Quadragesimæ de ipsa ejecti fuerunt.

Pontifex paratus amictu, alba, stola, pluviali coloris violacei, mitra simplici, et baculo pastorali, ministris etiam paratis, et insuper quatuor Subdiaconis paratis, et uno Diacono de antiquioribus induto solemniter, atque Archidiacono cum amictu, alba, et stola sine dalmatica, prosternit se super faldistorium coram altari, dicens cum præfatis ministris, et Clero septem Psalmos Pœnitentiales, ut supra, pag. 74. et Litanias, ut supra pag. 21. Pœnitentes vero tunc ante fores Ecclesiæ nudis pedibus ad terram prostrati manent, tenentes in manibus cereos extinctos. Cumque in Litaniis dictum fuerit:

Omnes sancti Patriarchæ, et Prophetæ.

℟. Orate pro nobis,

et idem a Choro fuerit responsum, paulisper subsistitur: et tunc Pontifex mittit ad Pœnitentes duos Subdiaconos candelas accensas in manibus ferentes. Qui cum ad portam pervenerint, stantes in limine ostii, elevatis manibus, ostendunt illis candelas accensas, dicentes Antiphonam ton. 3.

Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat.

Qua finita, extinguunt mox ipsas candelas coram illis, et revertuntur ad locum suum. Et proceditur in Litaniis. Cumque dictum fuerit.

Omnes sancti Martyres.

℟. Orate pro nobis,

et idem a Choro responsum fuerit, tunc etiam subsistitur a Litaniis, et Pontifex mittit ad illos duos alios Subdiaconos, simili modo cum candelis accensis, qui in limine ostii constituti cantant Antiphonam ton. 5.

Dicit Dominus: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum.

Et mox extinctis candelis, ut prius, revertuntur ad locum suum. Et proceditur in Litaniis usque ad Agnus Dei, exclusive.

Tunc Pontifex mittit ad illos unum senem Diaconum indutum, ut supra, cum magno cereo illuminato. Ille igitur in limine ostii constitutus cantat Antiphonam ton. 2.

Levate capita vestra, ecce appropinquabit redemptio vestra.

Et tunc accenduntur candelæ pœnitentium ex illo cereo. Cereus autem ille non extinguitur; sed Diaconus cum eo accenso revertitur. Et tunc dicitur in Litaniis:

Agnus Dei qui tollis peccata mundi.

℟. Parce nobis Domine,

et alia usque in finem. Quo dicto, Pontifex ab accubitu surgens cum ministris et Clero, Cruce, thuribulo, cereis, et omni paratu præcedentibus, egreditur extra chorum Ecclesiæ. Et parato sibi quasi in medio Ecclesiæ faldistorio, sedet respiciens ad ostium Ecclesiæ, Clero per choros versus ipsum ostium ab utroque latere disposito seriatim. Tunc Archidiaconus paratus, ut præmissum est, stans in limine ostii excelsa voce in tono Lectionis dicit ad illos ante ostium foris stantes:

State in silentio: audientes audite.

Indicto itaque silentio, vertens se ad Pontificem, dicit similiter in tono Lectionis:

Adest, o venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, et salutis humanæ, quo mors interitum, et vita accepit æterna principium, quando in vinea Domini Sabaoth, sic novorum palmitum plantatio sarcienda est, ut purgetur execratio vetustatis. Quamvis enim a divitiis bonitatis, et pietatis Dei nihil temporis vacet; nunc tamen et largior est per indulgentiam remissio peccatorum, et copiosior per gratiam assumptio renascentium. Augemur regenerandis; crescimus reversis. Lavant aquæ; lavant lacrymæ. Inde est gaudium de assumptione vocatorum; hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Inde est, quod supplices famuli tui posteaquam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cælestium, et morum probatorum transgressione ceciderunt, humiliati ac prostrati Prophetica ad Dominum voce clamant dicentes: Peccavimus, injuste egimus, iniquitatem fecimus; miserere nostri Domine. Evangelicam vocem non frustratoria aure capientes; Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Manducaverunt, sicut scriptum est, panem doloris: lacrymis stratum suum rigaverunt; cor suum luctu, corpus afflixerunt jejuniis, ut animarum reciperent, quam perdiderant, sanitatem. Unicum itaque est pœnitentiæ suffragium, quod et singulis prodest, et omnibus in commune succurrit.

His dictis, Pontifex surgens accedit cum ministris ad ostium Ecclesiæ, Clericorum choro se non movente. Et stans in medio ostii facit eis brevem exhortationem de clementia divina, et de veniæ promissione, dicens eis, qualiter mox in Ecclesiam reducentur, et qualiter vivere debent. Quo facto, cantat Antiphonam ton. 7.

Venite, venite, venite, filii audite me: timorem Domini docebo vos.

Qua dicta, Diaconus ex parte pœnitentium stans dicit pro eis: **Flectamus genua.**

Tunc omnes genua flectunt pœnitentes.

Quo facto, Diaconus ex parte Pontificis dicit:

Levate.

Et Episcopus secundo dicit dictam Antiphonam:

Venite, venite, etc.

Et Diaconus idem iterum dicit:

Flectamus genua.

Et mox Episcopus tertio repetit præfatam Antiphonam:

Venite, venite etc.

Et Diaconus idem tertio dicit:

Flectamus genua.

Deinde Pontifex ingreditur Ecclesiam, stans infra ostium, distans ab illo spatio convenienti, et tunc Archidiaconus inchoat, et schola prosequitur, Antiphonam ton. 6.

Accedite ad eum, et illuminamini: et facies vestræ non confundentur.

Psalmus 33.

Benedicam Dominum in omni tempore: * semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: * audiant mansueti, et lætentur.

Magnificate Dominum mecum: * et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, et exaudivit me: * et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, et illuminamini: * et facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: * et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: * et eripiet eos.

Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus: * beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes sancti ejus: * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites egnerunt et esurierunt: * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me: * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam; * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo: * et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo, et fac bonum: * inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos: * et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala: * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: * et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: * et humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum: * et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: * et qui oderunt justum delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: * et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Qua incépta, mox Pœnitentes ingredientes infra ostium Ecclesiæ corruunt ad pedes Pontificis, sicque prostrati et stantes jacent, donec præmissa Antiphona et Psalmus compleantur. Quibus expletis, Archipresbyter dicit in tono Lectionis id, quod sequitur:

Redintegra in eis, Apostolice Pontifex, quidquid diabolo suadente corruptum est; et orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinæ reconciliationis gratiam fac homines proximos Deo: ut qui antea in suis sibi perversitatibus displicebant, nunc etiam placere se Domino in regione vivorum, devicto suæ mortis auctore, gratulentur.

Et Pontifex interrogat:

Scis illos reconciliatione fore dignos?

Et ille respondet:

Scio et testificor fore dignos.

Et tunc alter Diaconus dicit: Levate.

Quibus surgentibus, Pontifex accipit unum ex illis per manum, omnibus aliis similiter sese ad manus tenentibus. Tunc Archipresbyter dicit alta voce:

℣. Iniquitates meas ego cognosco.

℟. Et peccatum meum contra me est semper.

℣. Averte faciem tuam a peccatis meis.
℟. Et omnes iniquitates meas dele.
℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui.
℟. Et spiritu principali confirma me.

Quo dicto, Pontifex inchoat, schola prosequente, Antiphonam ton. 5.

Dico vobis, gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

Qua dicta, trahit illum quem manu tenet, et ille alios, ducens eos usque ad faldistorium in medio Ecclesiæ prius ibi paratum. Et ibi stans super scabellum conversus ad illos genua flectentes, inchoat Antiphonam ton. 8.

Oportet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est.

Qua dicta, dicit in modum Orationis:

Omnipotens Deus vos absolvat ab omni vinculo peccatorum, ut habeatis vitam æternam, et vivatis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Deinde dicit super illos voce mediocri, tenens manus apertas ante pectus, hanc Præfationem:

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Quem omnipotens Genitor ineffabiliter nasci voluisti, ut debitum Adæ tibi persolveret æterno Patri, mortemque nostram sua interficeret, et vulnera nostra in suo corpore ferret, nostrasque maculas sanguine suo dilueret; ut qui antiqui hostis corrueramus invidia, et ipsius resurgeremus clementia. Te per eum, Domine, supplices rogamus ac petimus, ut pro aliorum excessibus nos digneris exaudire, qui pro nostris non sufficimus exorare. Tu igitur, clementissime Domine, hos famulos tuos, quos a te separaverunt flagitia, ad te revoca pietate solita. Tu namque nec Achab scelestissimi humiliationem despexisti, sed vindictam debitam protelasti. Petrum quoque lacrymantem exaudisti, clavesque postmodum cælestis regni ipsi tradidisti; et confitenti latroni ejusdem regni præ-

mia promisisti. Ergo clementissime Domine, hos, pro quibus preces tibi fundimus, clemens recollige, et tuæ Ecclesiæ gremio redde, ut nequaquam de eis valeat triumphare hostis, sed tibi reconciliet Filius, tibi coæqualis, emundetque eas ab omni facinore, et ad tuæ sacratissimæ Cœnæ dapes dignetur admittere. Sicque sua carne et sanguine reficiat, ut post hujus vitæ cursum ad cælestia regna perducat.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo:

Jesus Christus Filius tuus Dominus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Præfatione finita Pontifex super faldistorium, et ministri super tapetia, et clerus et populus ad terram prosternuntur, et Cantor inchoat, schola prosequente, antiphonam èt Psalmos sequentes:

Antiphona ton. 1.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Psalmus. Miserere mei Deus: * secundum magnam misericordiam tuam, ut supra pag. 76.

Psalmus 55.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die: * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo: * ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: * non timebo quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur: * adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt, et abscondent: * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus vitam meam annuntiavi tibi: * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tua: * tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacumque die invocavero te: * ecce cognovi quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: * in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua: * quæ reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Psalmus. Miserere mei Deus, miserere mei, prout supra habetur sub benedictione Campanæ, pag. 252.

Quibus dictis, Pontifex ab accubitu surgens, dicit super Pœnitentes:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster: reliqua secreto.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.

℟. Cito anticipent nos misericordiæ tuæ.

℣. Convertere Domine usquequo.

℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.

℣. Salvos fac servos tuos, et ancillas tuas.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

ADesto Domine supplicationibus nostris, et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, et quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti hujus operis ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi, et ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

PRæsta, quæsumus Domine, his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum: ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviaverant peccando, admissorum veniam consequendo reddantur innoxii. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

PRecor, Domine, tuæ clementiam majestatis, ut his famulis tuis peccata et facinora sua confitentibus veniam

præstare, et præteritorum criminum vincula relexare digneris: qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas, et Publicani preces placatus exaudisti: tu etiam, Domine, his famulis tuis placare; tu horum precibus benignus assiste; ut in confessione flebili permanentes, clementiam tuam celeriter exorent, ac sanctis altaribus restituti, spei rursus æternæ, ac cælesti gloriæ reformentur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen. Oremus.

DEus, humani generis benignissime conditor, et misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum, unici Filii tui sanguine redemisti: vivifica hos famulos tuos, quos tibi nullatenus mori desideras; et qui non derelinquis devios, assume correctos: moveant pietatem tuam, quæsumus Domine, horum famulorum tuorum lacrymosa suspiria; tu eorum medere vulneribus; tu jacentibus manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur; ne grex tuus detrimentum sustineat; ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet; ne renatos lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices fundimus preces, tibi fletum cordis effundimus; tu parce confitentibus, ut imminentibus pœnis sententiam futuri judicii, te miserante, non incidant; nesciant quòd terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reversi justitiæ, nequaquam ultra novis vulneribus saucientur, sed integrum sit eis ac perpetuum, quod gratia tua contulit, et quod misericordia reformavit. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas: respice propitius super hos famulos tuos; et remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota corde confessione poscentes, deprecatus exaudi. Renova in eis, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est; et unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserêre Domine gemituum; miserere lacrymarum eorum; et non habentes fiduciam, nisi in misericordia tua, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

MAjestatem tuam supplices deprecamur, omnipotens æterne Deus, ut his famulis tuis longo squallore pœniten-

tiæ maceratis miserationis tuæ veniam largiri digneris; ut nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, unde ejecti fuerant, mereantur introire. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Absolutio.

DOminus Jesus Christus, qui totius mundi peccata sui traditione, atque immaculati sanguinis effusione dignatus est expurgare, quique discipulis suis dixit, Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cælis, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælis, de quorum numero me, quamvis indignum, ministrum esse voluit, intercedente Dei Genitrice Maria, et beato Michaele Archangelo, et sancto Petro Apostolo, cui data est potestas ligandi ac solvendi, et omnibus Sanctis, ipse per ministerium meum ab omnibus peccatis vestris, quæcumque aut cogitatione, aut locutione, vel operatione negligenter egistis, vos absolvat sancti sui sanguinis interventione, qui in remissionem peccatorum effusus est, atque a vinculis peccatorum absolutos perducere dignetur ad regna cælorum: Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Tunc Pontifex aspergat eos aqua benedicta, et thurificet eos, dicens:

Exurgite qui dormitis, exurgite a mortuis, et illuminabit vos Christus.

Ultimo dat eis indulgentiam, prout sibi placuerit. Qua data, manibus elevatis, et supra illos extensis, dicit solemnem benedictionem:

PRecibus et meritis beatæ Mariæ semper Virginis, beati Michaelis Archangeli, beati Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℟. Amen.

INdulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Ultimo benedicit eis dicens:

Benedicat vos omnipotens Deus, Pa ✠ ter, et Fi ✠ lius, et Spiritus ✠ Sanctus. ℟. Amen.

Quo facto, crines et barbam, quam nutrierant, deponunt, et vestibus pœnitentialibus dimissis, se cultioribus et mundioribus induunt.

DE OFFICIO IN FERIA

QUINTA COENÆ DOMINI, CUM BENEDICITUR OLEUM CATECHUMENORUM, ET INFIRMORUM, ET CONFICITUR CHRISMA.

HAc die, singulis annis benedicitur Oleum Catechumenorum, et Infirmorum, et conficitur Chrisma.

Mane itaque Sacrista, vel ille ad quem spectat, omnia quæ ad Oleorum benedictionem, et Chrismatis confectionem necessaria sunt, parat, videlicet: Tres ampullas Oleo mundissimo plenas, quas in sacrario ponit, et diligenter custodit; unam ad Oleum Infirmorum, aliam ad Oleum Catechumenorum, tertiam, quæ major sit, ad Chrisma. Et hæc tertia cooperiri debet de panno serico albo, prima autem et secunda de sericeo panno alterius coloris sint copertæ: duas mappulas mundas, sive vela, pro Diaconis, qui ampullas Oleorum pro Chrismate, et Oleo Catechumenorum de sacristia ad chorum portare debent; et ultra hæc sedem, seu faldistorium, et credentiam consuetam. Paratur etiam alia sedes in presbyteriò ab opposito altaris, juxta gradus circa finem presbyterii; et ante ipsam sedem versus altare paratur mensa mappis ornata, quæ sit juxta sedem, inter ipsam et altare. Juxta dictam sedem hinc et inde, magis tamen ad finem presbyterii, posita sint scamna pro duodecim Sacerdotibus, ita ut ibidem sedentes facies vertant ad altare.

Deinde hora competenti, Pontifex venit ad Ecclesiam, ubi parat se ad Missam omnibus Pontificalibus ornamentis pretiosis albi coloris. Parant se etiam Ministri Pontificis, et ultra illos duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi, Acolythi, et alii necessarii, omnes vestibus albi coloris Ordini suo congruentibus. Quibus omnibus paratis, procedunt ad altare processionaliter, hoc modo.

In primis procedit thuriferarius, quem sequuntur duo ceroferarii, post hos septem Subdiaconi bini et bini, et in tertio loco tres simul vadunt; tum septem Diaconi, etiam bini et bini, et in tertio loco tres; post hos duodecim Presbyteri, bini et bini, quos sequitur Subdiaconus librum Evangeliorum portans ante pectus, cnm manipulo in eo reposito; deinde Diaconus, et a dextris ejus Capellanus Assistens, quos demum Pontifex sequitur incedens medius inter duos digniores Canonicos Ecclesiæ, aut in dignitate constitutos, si Pontifex sit in Ecclesia sua, alioquin ibit medius inter Diaconum et Assistentem. Et si Pontifex sit Archiepiscopus, vel Patriar-

cha, et in Ecclesia sua, portatur etiam in hujusmodi processione Crux per unum ex ministris, ad hoc ordinatum, qui medius inter Ceroferarios incedit.

Duodecim Presbyteri suo ordine juxta sedilia, in fine presbyterii posita, hinc et inde stabunt, vel sedebunt, aut genuflectent, prout tempus postulabit, facies semper ad altare vertentes; post eos stabunt septem Diaconi, et post Diaconos septem Subdiaconi in gradibus presbyterii. Pontifex vero, postquam ante altare pervenerit, facit Confessionem; incipitur introitus, et proceditur in Missa more consueto, usque ad illum locum Canonis, ubi dicitur:

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, exclusive.

Priusquam ergo Pontifex verba ipsa dicat, facta reverentia Sacramento in altari consecrato, retrahit se ad partem Epistolæ altaris, ubi super alium Calicem vacuum abluit digitos, et ad purificatorium extergit, et ablutio usque post Communionem Pontificis reservatur. Tum facta iterum Sacramento reverentia, descendit primum gradum altaris, et ibidem accepta mitra, vadit ad dictam sedem sibi paratam in presbyterio, ab opposito altaris; et sedet super ipsam, versa facie ad altare, dictam mensam ante se habens, circumstantibus ministris, Sacerdotibus, et aliis paratis prædictis, in suis locis manentibus. Tunc Archidiaconus stans apud Pontificem dicit alta voce in tono Lectionis:

Oleum infirmorum.

Et mox unus Subdiaconus ex septem paratis prædictis cum duobus Acolythis hinc et inde associatus, vadit ad sacristiam, ubi accipiens ampullam Olei, quod pro infirmis consecrari debet, coopertam, ut invenit, portat eam sinistro brachio circumdatam ante Pontificem, ubi eam tradit in manibus Archidiaconi, plane dicens:

Oleum infirmorum.

Archidiaconus præsentat illam Pontifici ad benedicendum, idem dicens, collocans eam coram eo supra mensam supradictam.

Pontifex surgens cum mitra exorcizat, et benedicit illud voce demissa, ita tamen, quod a circumstantibus Sacerdotibus audiri possit, absolute dicens:

Exorcizo te immundissime spiritus, omnisque incursio satanæ, et omne phantasma. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, ut recedas ab hoc Oleo, ut possit effici unctio spiritalis ad corroborandum templum Dei vivi; ut in eo possit Spiritus Sanctus habitare, per no-

men Dei Patris omnipotentis, et per nomen dilectissimi Filii ejus Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde deposita mitra, benedicit ipsum Oleum, dicens eadem voce:

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

EMitte, quæsumus Domine, Spiritum Sanctum tuum Paraclitum de cælis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectionem mentis et corporis: ut tua sancta bene ✠ dictione sit omni hoc unguento cælestis medicinæ peruncto tutamen mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque ægritudinem mentis, et corporis: unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, et Martyres; sit Chrisma tuum perfectum, Domine nobis a te benedictum, permanens in visceribus nostris. In nomine Domini nostri Jesu Christi.

His expletis, Oleum ipsum eo modo, quo apportatum fuit, ad sacrarium reportatur, et diligentissime conservatur. Tunc Pontifex reassumpta mitra, sedet, et lavat manus; tum surgit, et cum mitra, et cum ministris suis (cæteris Sacerdotibus, et aliis paratis in locis suis manentibus) accedit usque ad gradum altaris, ubi deposita mitra, facit reverentiam Sacramento, tum ascendit ad altare, et incipiens ubi dimiserat, videlicet:

Per quem hæc omnia, etc.

Procedit in Missa usque ad Communionem Corporis et Sanguinis inclusive, quam Pontifex ipse solus sumit. Quo facto, Diaconus ponit Hostiam consecratam pro crastina die reservandam in Calicem, seu vasculum ad hoc paratum, et reverenter collocat ipsam super medium altaris. Deinde Pontifex communicat Diaconum et Subdiaconum, ac alios de Clero, et postquam se purificaverit, ac etiam primam digitorum ablutionem ex alio Calice sumpserit, facta reverentia Sacramento in altari posito, in secundo gradu altaris mitram accipit, et redit ad prædictam sedem cum ministris suis, et aliis assistentibus, eo ordine quo præmissum est, et ibi cum mitra sedet. Tunc Archidiaconus stans apud Pontificem dicit alta voce in tono Lectionis:

Oleum ad sanctum Chrisma.

Et mox eadem voce, et tono subjungit:

Oleum Catechumenorum.

Quo dicto, oblato Pontifici thuribulo, Pontifex imponit incensum, et benedicit more solito. Tum duodecim Presby-

teri, septem Diaconi, et septem Subdiaconi parati prædicti, et alii ministri, quot necessarii fuerint, eo ordine, quo venerunt, pergunt ad sacrarium ad deferendum cum omni decore et reverentia Oleum Chrismale, et Oleum Catechumenorum, ministris tamen Pontificis cum eo remanentibus. Incedunt autem redeuntes ad chorum cum ampullis, hoc ordine. Primo thuriferarius cum thuribulo fumigante; quem sequitur Subdiaconus Crucem deferens, medius inter duos Acolythos cum cereis ardentibus; tum duo Cantores cantantes versus:

O Redemptor,

ut infra habentur; quos sequuntur bini et bini Subdiaconi et Diaconi; deinde unus Subdiaconus portans vasculum cum balsamo; tum duo Diaconi ampullas Olei ad sanctum Chrisma, et pro Oleo Catechumenorum portantes, qui habent mappulas mundas, sive vela ad collum, quorum extremitates ante pectus dependent, tenentes ipsas ampullas sinistris brachiis circumdatas, et extremitatibus mappularum, quæ a dextris dependent, involutas et coopertas; ita tamen, ut a medio supra videri possint. Diaconus autem, qui Oleum ad sanctum Chrisma portat, a dextris vadit; hos sequuntur duodecim Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi prædicti, bini et bini. Quibus sic a sacristia versus Pontificem procedentibus, duo Cantores prædicti cantant versus sequentes ton. 2.

O Redemptor sume carmen temet concinentium.

Et chorus idem replicat. Deinde dicti duo Cantores prosequuntur sequentes versus:

Audi judex mortuorum, una spes mortalium, audi voces proferentum donum pacis prævium.

Chorus repetit versum:

O Redemptor.

Deinde dicti duo Cantores prosequuntur versum:

Arbor fœta alba luce hoc sacrandum protulit: fert hoc prona præsens turba Salvatori sæculi.

Chorus repetit versum:

O Redemptor.

Tum illi duo cantores prosequuntur versum:

Stans ad aram imo supplex infulatus Pontifex, debitum persolvit omne, consecrato Chrismate.

Chorus repetit versum:

O Redemptor.

Deinde illi duo cantores prosequuntur versum:

Consecrare tu dignare, Rex perennis patriæ, hoc olivum signum vivum, jura contra dæmonum.

Chorus repetit versum:

O Redemptor.

Eis igitur ordine præmisso, in Presbyterium Ecclesiæ cantando Versus præmissos pervenientibus, Crux cum candelabris et incenso situatur prope altare, juxta cornu Epistolæ. Archidiaconus, Diaconus, et Subdiaconus, ministrantes, sint circa Pontificem hinc et inde. Sacerdotes vero duodecim parati juxta eos, duo cornua faciunt, sex hinc, et sex illinc, vertentes faciem ad altare, a lateribus assistentes Pontifici tamquam ejus testes, et ministerii sacri Chrismatis cooperatores. Diaconi vero post tergum Pontificis, et post eos, Subdiaconi parati stant, tamquam ministri et inspectores. Interim Diaconi ampullas Olei Chrismalis, et Olei Catechumenorum portantes, et Subdiaconus cum balsamo subsistunt, quousque omnes prædicti in suis locis fuerint ordinati. Omnibus itaque dispositis, Diaconus ampullam Olei Chrismalis ferens venit ante Pontificem, et Archidiaconus illam involutam cum mappula, quam Diaconus ipse circa collum portavit, de manu ejus accipiens, eam sic involutam ostendit Pontifici sedenti, et illam super mensam ante Episcopum positam collocat diligenter, alio Diacono ampullam aliam assidue inter brachia tenente. Tunc Subdiaconus vasculum cum balsamo portans, illud tradit Archidiacono, qui balsamum Pontifici similiter ostendens, ipsum supra mensam collocat. Tum Pontifex, deposita mitra, surgit, et versus ad altare, habens ante se super mensam ampullam Olei Chrismalis, et balsamum, ante omnia benedicit ipsum balsamum, dicens:

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus mysteriorum cælestium, et virtutum omnium præparator, nostras quæsumus preces exaudi: hanc odoriferam sicci corticis lacrymam (quæ felicis virgæ profluendo sudorem, Sacerdotali nos opimat unguento) acceptabilem tuis præsta mysteriis, et concessa benedictione sancti ✠ fica. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Creaturarum omnium Domine procreator, qui per Moysen famulum tuum permistis herbis aromatum fieri præcepisti sanctificatiouem unguenti: clementiam tuam suppliciter deposcimus; ut huic unguento, quod radix produxit stirpea, spiritualem gratiam largiendo, plenitudinem sancti ✠ ficationis infundas. Sit nobis, Domine, fidei hilaritate conditum;

sit sacerdotalis unguenti Chrisma perpetuum; sit ad cælestis vexilli impressionem dignissimum; ut quicumque Baptismate sacro renati, isto fuerint liquore peruncti, corporum atque animarum benedictionem plenissimam consequantur, et beatæ fidei collato munere perenniter amplientur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde accepta mitra, stans adhuc Pontifex, miscet super Patenam, vel in aliquo parvo vasculo balsamum cum modico olei de ampulla Chrismali sumpti, dicens:

OREmus Dominum Deum nostrum omnipotentem, qui incomprehensibilem unigeniti Filii sui, sibique coæterni divinitatem mirabili dispositione veræ humanitati inseparabiliter conjunxit, et cooperante gratia Spiritus Sancti, oleo exultationis præ participibus suis linivit, ut homo fraude diaboli perditus, gemina et singulari constans materia, perenni redderetur, de qua exciderat, hæreditati: quatenus hos ex diversis creaturarum speciebus liquores creatos sanctæ Trinitatis perfectione bene ✠ dicat, et benedicendo sancti ✠ ficet, concedatque, ut simul permisti unum fiant; et quicumque exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur: quod omnibus sordibus corporalis materiæ carens, se participem regni cælestis effici gratuletur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Quo facto, sedet Pontifex, retenta mitra, et halat plane tertio in modum Crucis super os ampullæ Chrismalis involutæ ante se super mensam stantis. Deinde duodecim Sacerdotes parati, qui juxta eum sunt, ordinatim facientes reverentiam Sacramento in altari posito, et Pontifici, ad mensam prædictam accedunt, et stantes ante eam singuli successive eodem modo, ut Pontifex fecerat in modum Crucis super os ampullæ prædictæ halant. Tum reverentiam, ut supra facientes, ad loca sua revertuntur. Quo facto, surgit Pontifex, et stans cum mitra, legendo dicit exorcismum Chrismalem, absolute dicens:

BENEDICTIO

CHRISMATIS.

EXorcizo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum, et terram, mare, et omnia, quæ in eis

sunt, ut omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, omnisque incursio, et omne phantasma satanæ eradicetur, et effugetur a te: ut fias omnibus, qui ex te ungendi sunt, in adoptionem filiorum per Spiritum Sanctum. In nomine Dei Pa ✠ tris omnipotentis, et Jesu ✠ Christi Filii ejus Domini nostri, qui cum eo vivit et regnat Deus, in unitate ejusdem Spiritus ✠ Sancti.

Deinde deposita mitra, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem:

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habemus ad Dominum.

℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum, et salutare nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Qui in principio inter cætera bonitatis tuæ munera terram producere fructifera ligna jussisti, inter quæ hujus pinguissimi liquoris ministræ olivæ nascerentur, quarum fructus sacro Chrismati deserviret. Nam et David prophetico spiritu gratiæ tuæ Sacramenta prænoscens, vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantavit: et cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso, similitudinem futuri muneris columba demonstrans per olivæ ramum pacem terris redditam nuntiavit. Quod in novissimis temporibus manifestis est effectibus declaratum, cum Baptismatis aquis omnium criminum commissa delentibus, hæc olei unctio vultus nostros jucundos efficit, ac serenos. Inde etiam Moysi famulo tuo mandatum dedisti, ut Aaron fratrem suum prius aqua lotum, per infusionem hujus unguenti constitueret Sacerdotem. Accessit ad hoc amplior honor, cum Filius tuus Jesus Christus Dominus noster lavari se a Joanne undis Jordanicis exegisset; ut Spiritu Sancto in columbæ similitudine desuper misso, Unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuisse testimonio subsequentis vocis ostenderes, et hoc illud esse manifestissime comprobares, quod eum oleo lætitiæ præ consortibus suis ungendum David Propheta cecinisset. Te igitur deprecamur, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eumdem Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, ut hujus creaturæ pinguedinem sancti ✠ ficare tua bene ✠ dictione digneris, et Sancti ✠ Spiritus ei admiscere virtutem, cooperante Christi Filii tui potentia,

a cujus nomine sancto, Chrisma nomen accepit, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, et Martyres; ut spiritualis lavacri Baptismo renovandis, creaturam Chrismatis in Sacramentum perfectæ salutis vitæque confirmes; ut sanctificatione unctionis infusa, corruptione primæ nativitatis absorpta, sanctum uniuscujusque templum acceptabilis vitæ innocentiæ odore redolescat; ut secundum constitutionis tuæ Sacramentum, Regio et Sacerdotali, Propheticoque honore perfusi, vestimento incorrupti muneris induantur; ut sit his, qui renati fuerint ex aqua et Spiritu Sancto, Chrisma salutis, eosque æternæ vitæ participes, et cælestis gloriæ faciat esse consortes.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen, quod a circumstantibus audiri possit.

Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Præfatione hujusmodi finita, Pontifex balsamum cum illo modico Oleo ex ampulla Chrismali sumpto mistum commiscet sancto Chrismati, reponens ipsum in ampullam Chrismalem, et dicens:

HÆc commistio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio, et custodia salutaris in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Diaconus, qui ampullam Chrismalem de sacristia portavit, deponit mappulam, sive velum de ipsa ampulla, demissa ei sua serica veste alba, quam antea habebat, et Pontifex capite inclinato salutat Chrisma, dicens:

Ave sanctum Chrisma.

Et hoc secundo et tertio facit, semper altius dicendo; quod postquam tertio dixerit, osculatur labium ampullæ: quo facto, sedet Pontifex, et accipit mitram. Tum singuli duodecim Sacerdotes parati prædicti accedunt successive per ordinem ad mensam, supra quam posita est ampulla Chrismatis, et factis reverentiis Sacramento in altari posito, et Pontifici, tertio in varia distantia genuflectunt coram ampulla, qualibet vice semper altius dicendo in tono prædicto:

Ave sanctum Chrisma.

Quo tertio dicto, labium ampullæ reverenter osculantur, et ad sua loca revertuntur. Quo peracto, ampulla in uno latere mensæ prædictæ collocatur. Et mox Diaconus aliam ampullam sua veste coopertam cum Oleo Catechumenorum ferens, accedit ad præsentiam Pontificis, et ampullam ipsam sine mappula, quam Diaconus ipse circa collum retinet, tradit Archidiacono, qui illam suscipiens, eam ostendit Pontifici, et collocat

supra mensam prædictam, in medio ante Pontificem; super quam ampullam statim tam ipse Pontifex, quam etiam duodecim Presbyteri prædicti halant, prout supra de ampulla Chrismatis factum est. Quo facto, Pontifex surgens cum mitra, submissa voce legendo absolute exorcismum Olei Catechumenorum, dicit:

BENEDICTIO OLEI
CATECHUMENORUM.

EXorcizo te creatura Olei. In nomine Dei Pa ✠ tris omnipotentis, et in nomine Jesu ✠ Christi, et Spiritus ✠ Sancti, ut in hac invocatione individuæ Trinitatis, atque unius virtute deitatis, omnis nequissima virtus adversarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta incursio, omne confusum, et cæcum phantasma eradicetur, et effugetur, et discedat a te; ut divinis Sacramentis purificata fias in adoptionem carnis et spiritus eis, qui ex te ungendi sunt, in remissionem omnium peccatorum; ut efficiantur eorum corpora ad omnem gratiam spiritualem accipiendam sanctificata. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum: Qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde deposita mitra, Pontifex stans benedicit dictum Oleum Catechumenorum eadem voce dicens:

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus incrementorum omnium, et profectuum spiritualium remunerator, qui virtute Sancti Spiritus imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus, Domine, ut emittere digneris tuam bene ✠ dictionem super hoc Oleum, et venturis ad beatæ regenerationis lavacrum, tribuas per unctionem hujus creaturæ purgationem mentis et corporis; ut si quæ illis adversantium spirituum inhæsere maculæ, ad tactum sanctificati Olei hujus abscedant; nullus spiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus sit facultas, nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur, sed venientibus ad fidem servis tuis, et Sancti Spiritus tui operatione mundandis sit unctionis hujus præparatio utilis ad salutem, quam etiam cælestis regenerationis nativitate in Sacramento sunt Baptismatis adepturi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde Pontifex, et successive duodecim Sacerdotes prædicti reverenter salutant Oleum ipsum, dicentes tertio in tono Lectionis:

Ave sanctum Oleum.

Et postquam tertio id fecerint, osculantur os ipsius ampullæ, prout supra de Chrismate positum est. His itaque peractis ambæ ampullæ per dictos duos Diaconos, eo ordine, et decore, quo delatæ fuerunt, ad sacrarium, sive sacristiam processionaliter reportantur. Interim dum reportantur, duo præmissi cantores cantant hos versus:

Ut novetur sexus omnis unctione Chrismatis: ut sanetur sauciata dignitatis gloria.

Chorus replicat totum versum:

O redemptor.

Tum dicti duo Cantores prosequuntur versum:

Lota mente sacro fonte aufugantur crimina: uncta fronte sacrosancta influunt charismata.

Chorus replicat versum:

O Redemptor.

Deinde dicti duo Cantores prosequuntur versus:

Corde natus ex parentis alvum implens Virginis: præsta lucem, claude mortem Chrismatis consortibus.

Chorus replicat versum:

O Redemptor.

Quo replicato, dicti duo Cantores prosequuntur versum:

Sit hæc dies festa nobis sæculorum sæculis: sit sacrata digna laude: nec senescat tempore.

Chorus replicat versum:

O Redemptor.

Vetus autem Chrisma, et Oleum Catechumenorum, ac Infirmorum (si quod remanserat in ampullis) ponitur in lampadibus Ecclesiæ ante Sacramentum, ut comburatur. Reliquum autem, quod est in pyxidibus, sive capsulis cum bombyce, igni comburitur; et novum deinde cum nova bombyce in pyxidibus, sive capsulis imponitur. Interim dum Chrisma, et Oleum Catechumenorum ad sacristiam portantur, Pontifex sedens cum mitra lavat manus, deinde redit ad altare, prosequitur Missam, ut in Missali habetur: et dicto, Ite Missa est, dat benedictionem, et dicens Evangelium sancti Joannis, accedit ad faldistorium, ubi sedet cum mitra, et jubet Presbyteros attente, ut juxta Canonum traditionem Chrisma et Olea fideliter custodiant, et nulli sub prætextu medicinæ, vel maleficii tradere præsumant; alioquin honore priventur.

ORDO AD SYNODUM.

SAcerdotes et Clerici universi, qui ad Synodum de jure, vel consuetudine venire tenentur, conveniunt in civitate, vel alio loco, prout Pontifex ordinaverit.

Prima autem die Synodi Pontifex summo mane cappam indutus, ab universo Clero cum superpelliceis comitatus ad Ecclesiam pergit, paratur in sede, celebrat Missam de Spiritu Sancto, et præbet Clero sacram Communionem. Qua finita, paratur faldistorium ante medium altaris, juxta inferiorem gradum, per quem ad altare ascenditur, et alia sedes in plano altaris (poterit tamen faldistorium suo tempore, loco secundæ sedis, cum tempus erit, poni). Pontifex vero supra rochetum, vel si sit Regularis, supra superpelliceum amictu, stola, pluviali rubeo, et mitra pretiosa induitur; quibus paratus, baculum pastoralem manu ferens, accedit coram altari; Diacono et Subdiacono paratis rubeis ornamentis, ac si in Missa servire deberent, ipsum hinc et inde associantibus, et ibi ante faldistorium sibi paratum genuflexus, deposita mitra, incipit, schola prosequente, Antiphonam ton. 8.

Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine.

Psalmus 68.

SAlvum me fac Deus: * quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

Incepto Psalmo, sedet Pontifex, accepta mitra, et sic manet quousque finiatur Psalmus, et Antiphona repetatur.

Infixus sum in limo profundi: * et non est substantia.

Veni in altitudinem maris: * et tempestas demersit me.

Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, * qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste: * quæ non rapui, tunc exsolvebam.

Deus tu scis insipientiam meam: * et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubescant in me qui expectant te Domine, * Domine virtutum.

Non confundantur super me: * qui quærunt te, Deus Israel.

Quoniam propter te sustinui opprobrium: * operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis, * et peregrinus filiis matris meæ.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me: * et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in jejunio animam meam: * et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium: * et factus sum illis in parabolam.

Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta: * et in me psallebant, qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te Domine: * tempus beneplaciti Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, * in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar: * libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum; * neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: * et secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: * quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, et libera eam: * propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improperium meum, et confusionem meam: * et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: * improperium expectavit cor meum, et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: * et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel: * et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, * et in retributiones, et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum ne videant; * et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam: * et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta: * et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: * et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum : * et non intrent in justitiam tuam.

Deleantur de libro viventium : * et cum justis non scribantur.

Ego sum pauper et dolens : * salus tua Deus suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico : * et magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum novellum, * cornua producentem, et ungulas.

Videant pauperes et lætentur : * quærite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus : * et vinctos suos non despexit.

Laudent illum cæli, et terra, * mare, et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet Sion : * et ædificabuntur civitates Juda.

Et inhabitabunt ibi, * et hæreditate acquirent eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam, * et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

Gloria Patri, et Filio : et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, etc.

Finito Psalmo, et repetita Antiphona, Pontifex surgit, deposita mitra, et versus ad altare, dicit :

Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati : veni ad nos, adesto nobis ; dignare illabi cordibus nostris : doce nos, quid agamus ; quo gradiamur, ostende : quid efficiamus, operare. Esto solus et suggestor, et effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, et ejus Filio nomen possides gloriosum : non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summe diligis æquitatem ; ut sinistrum nos non ignorantiæ trahat ; non favor inflectat ; non acceptio muneris, vel personæ corrumpat ; sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero ; quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.

Respondetur ab omnibus, Amen.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco specialiter aggregasti : mentes nostras, quæsumus, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet,

et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem; cunctosque in tua fide et charitate corroboret; ut excitati a temporali Synodo, proficiamus ad æternæ felicitatis augmentum. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Finita Oratione, Pontifex, accepta mitra, procumbit supra faldistorium prædictum, aliis omnibus genuflectentibus; et Cantores dicunt Litanias, prout habentur supra, pag. 21. Et postquam dictum fuerit:

Ut omnibus fidelibus defunctis etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Pontifex surgit, et baculum pastoralem in sinistra tenens, stans versus ad Synodum, dicit:

Ut hanc præsentem Synodum visitare, disponere, et bene ✠ dicere digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Producens signum crucis pariter super omnes: quo facto, iterum accumbit. Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus dictis, surgunt omnes, et Pontifex, deposita mitra, dicit stans versus ad altare:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

DA, quæsumus, Ecclesiæ tuæ misericors Deus: ut Spiritu Sancto congregata, secura tibi devotione servire mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex, accepta mitra, ascendit ad sedem sibi paratam in plano altaris, ita ut in ea sedens dorsum suum vertat ad altare. Et imponit incensum in thuribulum, et benedicit more solito. Diaconus dalmatica indutus, præcedentibus thuriferario, et duobus ceroferariis, et Subdiacono tunicella induto paramentis rubeis, benedictione accepta a Pontifice, cantat in loco convenienti:

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 9.

IN illo tempore: Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et qui-

cumque non receperit vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes, et curantes ubique.

Quo finito, liber Evangeliorum apertus per Subdiaconum portatur Pontifici per eum osculandus, qui et deinde incensatur. Quo facto, Pontifex ipse ante sedem suam prædictam, deposita mitra, versus ad altare, atque alii omnes in locis suis genuflectunt. Tum Pontifex sic genuflexus incipit cantando, schola prosequente, Hymnum:

V eni, Creator Spiritus. Et dicitur totus, prout habetur supra pag. 36.

Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus ad altare, sine mitra, usque ad finem Hymni: similiter omnes alii cum Pontifice surgunt.

Expleto Hymno, omnes sedent in silentio, et Pontifex, accepta mitra, sedens in sede prædicta supra, in plano altaris posita, eos, si placet, in hanc sententiam alloquitur:

VEnerabiles consacerdotes, et fratres nostri charissimi, præmissis Deo precibus, oportet ut ea, quæ de divinis Officiis, vel sacris Ordinibus, aut etiam de nostris moribus, et necessitatibus Ecclesiasticis a nobis conferenda sunt, cum charitate, et benignitate unusquisque vestrum suscipiat, summaque reverentia, quantum valet, Domino adjuvante, percipiat; vel quæ emendatione digna sunt, omni devotione unusquisque fideliter studeat emendare: et si cui forte, quod dicetur, aut agetur, displiceat, sine aliquo scrupulo contentionis, palam coram omnibus conferat; quatenus Domino mediante, et hoc ad optimum statum perveniat, ita ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ locum inveniat, neque iterum in perquirenda veritate vigor nostri ordinis, vel solicitudo tepescat.

Post allocutionem hujusmodi, vel prius, prout magis placuerit Pontifici, fit per aliquem virum doctum idoneum sermo, in quo tractatur de disciplina Ecclesiastica, de divinis mysteriis, et de correctione morum in Clero, secundum ea, quæ Pontifici videbuntur: et post sermonem, quærelæ, si quæ sint, audiuntur.

Deinde Archidiaconus ex suggesto alta voce legit decreta sacri Concilii Tridentini de Residentia, et de Professione Fidei, quam tunc emittent omnes, qui ad eam tenentur, in manibus Pontificis, juxta formam infra positam; item de eligendis Examinatoribus, qui statim nominantur, et approbantur, et jurant in manibus Pontificis, demum de eligendis Judicibus causarum, qui similiter proponuntur, ut supra.

Postremo charitative monentur omnes, quod durante Synodo honeste se habeant in omnibus, et extra; ita quod eorum conversatio cæteris sit merito in exemplum. Quo facto, surgit Pontifex, et solemniter omnibus benedicit, dicens:

Sit nomen Domini benedictum, etc.

More consueto; qua data, discedunt omnes.

FORMA JURAMENTI.

EGo N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis, Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cælum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Chatolicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto, et amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam, et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere, et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum,

Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in su radictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto: omnia et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi; fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cetera item omnia a sacris Canonibus, et Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

SEcunda die convenientibus iterum omnibus in Ecclesia, finita Missa, Pontifex paratus, ut supra, procedit coram altari, Diacono et Subdiacono paratis, ut supra, ipsum associantibus, et ibi in faldistorio ante medium altaris juxta inferiorem gradum sibi parato genuflexus, deposita mitra, incohat, schola prosequente, Antiphonam ton. 8.

Propitius esto peccatis nostris Domine, nequando dicant Gentes: Ubi est Deus eorum?

Finita Antiphona, et incepto Psalmo, sedet Pontifex, reassumpta mitra, usque ad finem Psalmi.

Psalmus 78.

DEus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: * posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cæli: * carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem: * et non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: * subsannatio, et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo Domine irasceris in finem: * accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt: * et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt:

Quia comederunt Jacob: * et locum ejus desolaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: * quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui Domine libera nos: * et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum:

Ne forte dicant in Gentibus: Ubi est Deus eorum? * et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est: * introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, * posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: * improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, * confitebimur tibi in sæculum:

In generationem et generationem * annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri, et Filio, etc. Sicut erat in principio, etc.

Deinde finito Psalmo, et repetita Antiphona, Pontifex deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit:

Oremus.

NOstrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quæsumus, ut bonum, quod in nobis a te requiritur, exequamur: scilicet, ut prompta tecum solicitudine gradientes, discretionis arduæ subtile judicium faciamus; ac misericordiam diligentes clareamus studiis tibi placitæ actionis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

MEntibus nostris, quæsumus Domine, Spiritum Sanctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, et dictis exequamur, et factis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Et ministri dicunt: Flectamus genua. ℟. Levate.

DEus, qui nos justitiam loqui, et quæ recta sunt præcipis judicare: tribue nobis, ut neque iniquitas in ore, nec pravitas inveniatur in mente; ut puro cordi purior sermo consentiat; ostendatur in opere justitia, neque appareat dolus in lingua; sed ex corde veritas proferatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, et sedet in sede, seu faldistorio ibidem sibi parato.

Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde Diacono benedicit, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat, et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem prædictam sine mitra verso ad Diaconum stante.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.
Cap. 10.

IN illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, pri-

mum dicite: Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem prædictam versus ad altare, ac aliis omnibus in suis locis genuflexis, incipit, schola prosequente, Hymnum:

Veni Creator Spiritus.

Et dicitur totus, ut supra, pag. 36. quem schola prosequitur, ut in primo die. Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus ad altare, detecto capite usque ad finem Hymni. Simili modo faciunt omnes alii. Expleto Hymno, omnes sedeant in silentio. Tunc Pontifex sedens in sede prædicta cum mitra, Synodum his verbis alloquitur, si velit:

Venerabiles, et dilectissimi fratres nostri, oportet ut sicut hesterna die admonuimus benignam mansuetudinem vestram, de divinis officiis, et sacris altaris gradibus, aut etiam de moribus, et necessitatibus Ecclesiasticis, quæcumque emendanda, vel renovanda sunt, charitas omnium vestrum, ubicumque noverit aliqua emendatione condigna, in medium proferre non ambigat; ut per vestræ charitatis studium, Domino largiente, ad optimum perveniant statum, ad laudem, et gloriam nominis Jesu Christi Domini nostri.

Post allocutionem hujusmodi, vel prius, si magis placet Pontifici, fit sermo per aliquem doctum idoneum, in quo iterum tractetur de disciplina Ecclesiastica, et aliis, de quibus Pontifici videbitur. Deinde Archidiaconus alta voce legit Apostolicas Constitutiones ibi non promulgatas, vel alias, pro Pontificis arbitrio. Quo finito, leguntur Constitutiones per Synodum approbandæ; quibus lectis, habito scrutinio; quæ placent, per Patres confirmantur. His peractis, Pontifex surgens benedicit omnibus solemniter, ut heri. Deinde omnes discedunt.

Die tertia conventione facta in Ecclesia, finita Missa, Pontifex paratus, ut heri, assistentibus sibi Diacono, et Subdiacono paratis, genuflexus in faldistorio juxta inferiorem gradum ante medium altaris sibi parato, deposita mitra, incipit, schola prosequente, Antiphonam:

Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia

tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine.

Psalmus. Salvum me fac Deus: * quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

Et dicitur totus, prout habetur supra in primo die, pag. 288. Deinde repetitur Antiphona. Incepto Psalmo, Pontifex sedet, et accipit mitram, sic manens quousque Psalmus finiatur, et Antiphona repetatur; qua repetita, deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit:

Oremus.

AD te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, unanimiter postulamus: ut respectu tuæ gratiæ solidati, præcones veritatis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, qui sacro verbi tui oraculo promisisti, ubi duo, vel tres in nomine tuo congregati essent, te medium fore: adesto cœtui nostro propitius, et cor nostrum illumina misericors; ut a bono misericordiæ tuæ nullatenus aberremus, sed rectum justitiæ tuæ tramitem in omnibus teneamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Et ministri dicunt: Flectamus genua. ℟. Levate.

DEus, qui populis tuis et indulgentia consulis, et amore dominaris: da spiritum sapientiæ tuæ, quibus dedisti regimen disciplinæ; ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna pastorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, sedens in sede, seu faldistorio ibidem sibi parato. Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde benedicit Diacono, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat, et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem prædictam sine mitra verso ad Diaconum stante.

✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

Cap. 18.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum so-

lum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo. Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies.

Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem prædictam versus ad altare, atque aliis omnibus in locis suis genuflexis incipit, schola prosequente, Hymnum:

Veni, Creator Spiritus.

Et dicitur totus, ut supra, pag. 36. Finito primo versu, Pontifex surgens, stat versus ad altare, detecto capite usque ad finem Hymni. Simili modo faciunt omnes alii. Expleto Hymno, omnes sedent in silentio. Tunc Pontifex sedens in sede prædicta cum mitra, Concilium, seu Synodum his verbis alloquitur, si velit. Poterit tamen hujusmodi allocutionem omittere, et quod ejus loco, si placebit, per aliquem doctum idoneum, de his quæ in allocutione continentur, et aliis opportunis sermo fiat, committere.

VEnerabiles, et dilectissimi fratres, convenit, ut ea, quæ de Ecclesiasticis officiis, et Sacerdotalibus gradibus, vel etiam Canonicis functionibus, propter diversas occupationes, aut (quod negare non possum) propter nostram aliorumque desidiam, non tam plene, ut oportet, executa sunt, omnium nostrum unanimi consensu, et voluntate requirantur, et humiliter coram charitate vestra recitentur; ut quæ digna sunt emendatione, ad meliorem statum, auxiliante Domino, perducantur. Et cui fortasse aliquid, quod digestum est, displicet, charitati vestræ cum benignitate, et modestia intimare non differat; quatenus totum quod synodali conventione nostra statutum fuerit, vel renovatum, absque omni contrarietate, concordia sanctæ pacis ab omnibus æque custodiatur, ac teneatur, ad augmentum æternæ beatitudinis omnium nostrum.

Post hæc leguntur constitutiones, si quæ sint per Syno-

dum approbandæ : quibus lectis, et per Patres, si placet, confirmatis, atque omnibus terminatis, Pontifex sedens cum mitra, omnium orationibus se commendat. Deinde leguntur nomina omnium, qui Synodo interesse debent, et præsentes ad sua nomina surgunt, et respondent singuli :

Adsum.

Absentes vero notantur, et per Pontificem debita pœna mulctantur. Demum Pontifex adhuc in sede prædicta cum mitra sedens, si placet, congregatos admonet, et exhortatur sub hujusmodi verbis :

FRatres dilectissimi, et Sacerdotes Domini : Cooperatores Ordinis nostri estis. Nos, quamvis indigni, locum Aaron tenemus ; vos autem locum Eleazari et Ithamari. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur ; vos ad formam septuaginta duorum discipulorum estis. Nos pastores vestri sumus ; vos autem pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo Pastori nostro Domino Jesu Christo ; vos de plebibus vobis commendatis. Et ideo, fratres dilectissimi, videte periculum vestrum. Admonemus itaque, et obsecramus fraternitatem vestram, ut quæ vobis suggerimus, memoriæ commendetis, et opere exercere studeatis. In primis admonemus, ut vita, et conversatio vestra sit irreprehensibilis. In domibus vestris mulieres non cohabitent. Omni nocte ad nocturnas horas surgite. Officium vestrum horis certis decantate. Nullus, nisi jejunus, Missam celebret, et non in vestibus communibus, sed sacris, et nitidis, amictu, albá, cingulo, manipulo, stola, et casula, quæ ad alios usus non serviant. Missas religiose celebrate. Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi cum omni reverentia, et tremore sumite. Corporalia mundissima sint. Vasa sacra propriis manibus abluite, et extergite diligenter. Nulla fœmina ad altare Domini accedat, nec calicem Domini tangat. Altare sit coopertum mundis lineis, saltem tribus diversis. Et desuper nihil ponatur, nisi reliquiæ, ac res sacræ, et pro sacrificio opportunæ. Missale, Breviarium, et Martyrologium, unusquisque habeat. Ecclesiæ vestræ bene sint coopertæ, et mundæ. In sacristiis, sive secretariis, aut juxta altare majus sit locus præparatus ad infundendum aquam ablutionis corporalium, et vasorum sacrorum, ac manuum, postquam sanctum Chrisma, aut oleum Catechumenorum, vel Infirmorum tractaveritis. Ibique pendeat vas cum aqua munda, pro lavandis manibus Sacerdotum, et aliorum, qui rem sanctam, et officium divinum sunt peracturi, et prope, linteum mundum ad illas abstergendum. Atria Ecclesiæ sint bene munita. Nul-

lus sine scitu, et consensu nostro, per potestatem sæcularem, Ecclesiam obtineat. Nullus Ecclesiam, ad quam intitulatus est, dimittat, et ad aliam quæstus gratia se transferat. Nullus plures Ecclesias sine titulo, et contra sacrorum Canonum dispositiones nancisci præsumat. Nullatenus etiam una Ecclesia inter plures dividatur. Nullus extra Ecclesiam in locis non consecratis celebret. Nullus alterius parochianum, nisi itinerantem, et tunc de Rectoris sui licentia ad communionem recipiat. Nullus in alterius Parochia absque proprii Sacerdotis licentia Missam celebret. In celebratione quisque Calicem, et oblata, non circulo, aut digitorum vacillatione, ut quidam faciunt, sed junctis, et extensis digitis cruce signet, sicque benedicat. Calix, et patena sint aurei, vel argentei, non æerei, aut aurichalcei, vitrei, vel lignei. Quisque Presbyter clericum habeat, vel scholarem, qui cum eo Psalmos cantet, Epistolam, et Lectionem legat, et in Missa respondeat. Ipse quoque Presbyter infirmos visitet, et reconciliet, et juxta Apostolum propria manu communicet, oleo sancto inungat. Nullus præsumat tradere communionem laico, aut fœminæ, ad deferendum infirmo. Nullus pro baptizandis infantibus, sive adultis, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis præmium, vel munus exigat. Per negligentiam vestram nullus infans sine Baptismo, et adultus sine Communione pereat. Nullus vestrum sit ebriosus, aut litigiosus. Nullus arma ferat. Nullus canum, aut avium jocis inserviat; nullus in tabernis bibat. Quisque vestrum, quantum sapit, de Evangelio Dominico, et ceteris festivis diebus suæ plebi annuntiet. Verbum Domini prædicate. Curam pauperum, peregrinorum, viduarum, et orphanorum habete; ipsosque peregrinos ad prandium vestrum vocate. Estote hospitales, aliis exinde bonum exemplum præbentes. Singulis diebus Dominicis ante Missam aquam, qua populus aspergatur, benedicite, ad quod vas proprium habete. Vasa sacra, et vestimenta Sacerdotalia, nolite negotiatori, aut tabernario in pignus dare. Minus digne pœnitentem cujuscumque rei gratia ad reconciliationem non adducite, neque ei reconciliationis testimonium perhibete. Usuras non exigite. Nec facultates vestras post ordinationem vestram acquisitas alienate, quoniam Ecclesiæ sunt. Nullus etiam res, possessiones, aut mancipium Ecclesiæ vendere, commutare, aut quocumque ingenio præsumat alienare. Nullus decimam alterius recipiat. Nullus pœnitentem carnem manducare, aut vinum bibere invitet, nisi pro eo tunc eleemosynam fecerit. Quisque fontes baptismales lapideos habeat bene mundos; quos si habere non poterit, vas

aliud ad hoc opus solum deputatum teneat. Omnibus parochianis vestris Symbolum, et Orationem Dominicam insinuate. Jejunia Quatuor Temporum, et alia Ecclesiæ mandata significate observanda. Ante Quadragesimam quarta feria populum ad confessionem invitate, et confessis juxta qualitatem criminum pœnitentiam injungite. Tribus temporibus in anno, id est, Nativitate Domini, Pascha, et Pentecoste, omnes fideles accedere ad communionem Corporis Domini nostri Jesu Christi admonete, et ne omittant, quin saltem in Pascha communicent. Certis temporibus conjugatos abstinere ab uxoribus exhortamini. Nullus vestrum rubeis, aut viridibus, vel laicalibus vestibus utatur. Diem Dominicam, et ceteras festivitates, absque opere servili, a vespera in vesperam celebrari docete. Cantus et choreas mulierum in atrio Ecclesiæ prohibete. Incantationes super mortuos nocturnis horis a vulgo fieri consuetas, sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare: nec quis vestrum in eorum præsentia celebrare præsumat, quod etiam plebi nuntiate. Et nullus ex plebe uxorem domum ducat, nisi prius nuptiæ temporibus ab Ecclesia permissis, publice fuerint celebratæ. Quod nullus ad raptam, vel consanguineam accedat, aut alterius sponsam ducat, omnimodis prohibete. Porcarios, et alios pastores, saltem Dominica die faciatis venire ad Missam. Patrinos, ut filiolos Symbolum, et Orationem Dominicam doceant, aut doceri faciant, exhortamini. Sacramentum Eucharistiæ, sanctum Chrisma, et Oleum Catechumenorum, ac Sanctum, seu Infirmorum, in Ecclesia in loco mundo, condecenti, et securo, sub sera, et fida custodia diligenter servate. Quisque vestrum expositionem Symboli, et Orationis Dominicæ juxta Orthodoxorum Patrum Traditiones penes se habeat, easque, atque Orationes Missarum; et Epistolas, Evangelia, et Canones bene intelligat, ex quibus prædicando, populum sibi commissum sedulo instruat, et maxime non bene credentem. Introitum Missæ, Orationes, Epistolam, Graduale, Evangelium, Symbolum, et cætera non secreta, alta et intelligibili voce proferat. Secreta vero, et Canonem, morose et distincte submissa voce legat. Psalmorum verba, et distinctiones regulariter cum Canticis consuetis intelligibiliter pronuntiet. Symbolum sancti Athanasii de Trinitate, et fide Catholica memoriter teneat. Exorcismos, et Orationes ad Catechumenos faciendos, ac reliquas preces super masculum, et fœminam pluraliter, vel singulariter respective distincte proferat. Ordinem baptizandi, et ad succurrendum infirmis, reconciliationis, et commendationis animæ,

et in agendis exequiis defunctorum, juxta modum canonicum observet. Exorcismos, et benedictiones salis, et aquæ pertinenter legat. Canticum diurnum, et nocturnum sciat. Computum etiam minorum ad inveniendum litteram Dominicalem, tempus intervalli diei Paschæ, et majorum mobilium Festorum non ignoret. Volumus autem, fratres dilectissimi, quatenus quæ nostra percepistis traditione, bonis studeatis operibus adimplere: Præstante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre et Spiritu Sancto est honor et gloria in sæcula sæculorum.

Tum Pontifex, dimissa mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit absolute:

Oremus.

NUlla est, Domine, humanæ conscientiæ virtus, quæ inoffense possit tuæ voluntatis judicia experiri: et ideo, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa misericors Deus, quod perfecto æquitatis fine concludere peroptamus; te in nostris principiis occursorem poposcimus, te in hoc fine judiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus speramus, scilicet, ut ignorantiæ parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: et quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit justitiam declinare: hoc te poscimus, te rogamus; ut si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus; ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Synodum, a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum; qualiter, et transgressores veniam, et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde benedicit solemniter omnibus dicens:

Sit nomen Domini benedictum, etc.

Et dat indulgentiam. Quibus peractis, Archidiaconus stans juxta Pontificem, dicit alta voce:

Recedamus cum pace.

Et respondent omnes:

In nomine Christi.

Tunc omnes pariter surgentes, Pontificem cappa indutum cum superpelliceis ad domum reducunt. Si vero in primo die, vel in secundo omnia negotia Synodi expediuntur, approbatis omnibus, et conclusione Synodi facta, Pontifex sedens cum mitra, ut supra, commendat se omnium orationibus, et leguntur nomina interesse debentium, admonentur per Pontificem congregati, et alia fiunt, prout supra sunt ordinata.

ORDO SUSPENSIONIS,

RECONCILIATIONIS, DEPOSITIONIS, DISPENSATIONIS, DEGRADATIONIS, ET RESTITUTIONIS SACRORUM ORDINUM.

PRænotandum est, quod Clericus quandoque suspenditur, quandoque deponitur, quandoque degradatur. Suspenditur quis quandoque ab homine, quandoque a jure, et quandoque ad tempus, quandoque in perpetuum.

Ab homine, quando Prælatus sic in scriptis pronuntiat:

QUia constat te tale quid commisisse; ideo ab officio, et executione Ordinum tuorum te suspendimus.

Vel quando fit in genere, dicit:

QUicumque tale quid fecerit, aut non fecerit; ipsum in his scriptis suspendimus, vel in his scriptis noverit se suspensum.

Hujusmodi autem suspensionis sententia taliter revocatur.

QUia de tali negotio, propter quod suspensionis sententiam incurreras, emendationem plenam, et pœnitentiam condignam egisti; ideo sententiam suspensionis hujusmodi misericorditer relaxamus.

Illud autem sciendum est, quod simpliciter, et sine temporis præfinitione ab homine, vel a jure suspensus, perpetuo intelligitur esse suspensus; ad tempus vero suspensus, utpote donec pœnituerit, vel à crimine abstinuerit, eo ipso, quod abstinet, vel pœnitet, executionem sui officii recuperat; nec alia est reconciliatio, seu sententiæ suspensionis relaxatio necessaria. Ad hæc Clerici publice delinquentes, et enormiter, executionem sui Ordinis secundum Canones perdunt; et etiam post peractam pœnitentiam ab executione suorum Ordinum suspensi remanent; adeo, quod absque dispensatione, et reconciliatione non possunt in illis licite ministrare, neque ad majores Ordines promoveri; præcipue si de hoc convicti fuerint in judicio, et puniti. Episcopi tamen possunt in adulteriis, et aliis criminibus, quæ sunt minora, et generaliter ubicumque a jure expresse non prohibentur, post peractam pœnitentiam, vel partem ipsius, cum talibus dispensare, et eos reconciliare; quæ reconciliatio, et dispensatio fit hoc modo:

QUamvis tale enorme crimen publice commiseris, quod confessus es (vel de quo convictus es), et in judicio condemnatus; propter quod secundum juris rigorem merueras ab officio, et beneficio amoveri, et propterea non vales ulterius secundum Canones in tuis Ordinibus licite ministrare:

quia tamen defectus nostri temporis antiquam non patitur Canonum manere censuram, eligentes potius de misericordia, quam de severitate reddere rationem; idcirco vitam tuam plenius agnoscentes, et meliora, et saluti viciniora de te de cætero verisimiliter expectantes, de misericordia, quæ superexaltat judicium, hanc pœnam auctoritate nobis in hac parte a jure concessa tibi duximus relaxandam, et relaxamus. Indulgentes tibi, ut hoc non obstante, licite possis ad superiores Ordines conscendere, et in susceptis etiam Ordinibus licite ministrare. Infamiam insuper canonicam propter hoc per te contractam penitus abolentes, et restituentes te in integrum pristino statui, ac famæ.

Circa depositionem vero notandum est, quod si agitur, ut deponatur quis a beneficio, solus Episcopus hoc potest. Sicut potest deponere ab Ordine cum Capitulo suo, sive ab ipso Capitulo deputatis, et etiam solus ex consuetudine. Et similiter Episcopus cum Capitulo suo deponit ab Ordine Clericos primæ tonsuræ, et in minoribus Ordinibus constitutos, si post hujusmodi verbalem depositionem secutura sit actualis degradatio. Et si isto modo agitur, in depositione Subdiaconi, vel Diaconi ab Ordine requiritur numerus trium Episcoporum ultra proprium Episcopum, in examine, et in definitione; et sex in causa Presbyteri, excepta causa hæresis. In depositione vero Episcopi ab ordinatione exigitur numerus duodecim Episcoporum, præter Metropolitanum, qui debet esse tertiusdecimus, qui omnes possunt procedere contra Episcopum usque ad conclusionem tantum; et definitio tam circa condemnationem, quam absolutionem, reservatur Papæ. Sed in ipsa actuali degradatione non requiritur numerus Episcoporum. Et præmissa de numero Episcoporum adhibendo procedunt, si agitur ex potestate ordinaria. Dictabitur autem sententia depositionis ab Ordine, si intenditur, ut post eam sequatur actualis degradatio nomine Episcopi ordinarii, cum præsentia Capituli, sive cum consilio et assensu Episcoporum respective, prout eam requirit, in hunc modum, videlicet:

Quia nobis evidenter et legitime constat, te tale crimen, seu flagitium commisisse, quod non solum grave, verum etiam damnabile est, et damnosum, idcirco de talium consilio et assensu ab omni ordine, et privilegio clericali te sententialiter perpetuo duximus deponendum, et deponimus.

Per talem itaque sententiam taliter depositus, omni Ordinum, tam majorum, quam minorum executione perpetuo est exutus.

Verum si Episcopus deponens evidenter agnoverit in posterum emendationem vitæ et morum depositi, vel forte sententiam suam injustam fuisse, poterit ei de jure misericorditer restituere Graduum et Ordinum executionem, qua privatus extiterat; quæ restitutio debet fieri in Ecclesia, in qua Episcopus elegerit hoc facere, sive sit Cathedralis, sive alia, et coram altari, quia et ibi Ordinum gradus distribuuntur; et potest fieri per Episcopum solum cum Capitulo suo, non solum in Quatuor Temporibus, verum etiam quolibet tempore, et sine Missæ celebratione; et tam restituens, quam restituendus debent esse jejuni.

Depositus ergo, qui restitutionem privilegii clericalis, et executionis quatuor minorum Ordinum petierit, vestibus suis consuetis indutus debet genua flectere coram Pontifice parato amictu, stola, pluviali, tempori convenientibus, et mitra simplici, baculum pastoralem in manu tenente, et in faldistorio ante medium altaris sedente, qui deposita mitra surgit, et stans versus ad illum coram se genuflexum, dicit:

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Et hæc secundo et tertio dicuntur. Deinde subjungit Pontifex:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. Reliqua secreto. Deinde:
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Deus, qui in sanctis habitas, et pia corda non deseris, suscipe propitius orationem nostram: et hunc famulum tuum, quem delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Tum sedet Pontifex, accepta mitra, et super caput illius coram eo genuflexi imponit manum dexteram, dicens:

IN nomine Domini. Ego, licet peccator, tamen Episcopus, auctoritate a Deo mihi concessa per hanc manus impositionem restituo tibi charissimo filio privilegium clericale, et executionem Ordinis, et gradus Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, atque Acolythatus, quibus fueras juste privatus, et ab eis depositus; ut amodo possis digne custodire ostia domus Domini, cum omnibus quæ intra retinentur; et distincte legere de Codice, audiente populo Dei; et abhinc in antea habeas potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos; et ut deinceps possis digne accendere luminaria Ecclesiæ, et ante Evangelium portare. Præstante Domino nostro Jesu Christo: Qui vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex adhuc cum mitra sedens, benedicit illi, dicens:

BEnedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti descendat super te, et maneat semper. ℟. Amen.

Quo facto, ille osculatur manum dexteram Pontificis, surgensque discedit.

EXecutionis Subdiaconatus, et minorum Ordinum, ac privilegii clericalis restitutio fit similiter per omnia, prout supra, usque ad manus impositionem, ad quam Pontifex cum mitra sedens, dicit:

IN nomine Domini. Ego, licet peccator, tamen Episcopus, per hanc manus impositionem restituo tibi dilectissimo filio privilegium clericale, et executionem Ordinum, et graduum Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, et Subdiaconatus, quibus fueras justè privatus, et ab eis depositus; ut amodo digne possis custodire ostia domus Domini, cum omnibus quæ intra retinentur; et distincte legere de Codice, audiente populo Dei; et abhinc in antea habeas potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos; et possis digne accendere luminaria Ecclesiæ, et ante Evangelium portare; ac legere Prophetias, Epistolas ad Missas, et ministrare Diacono, ac Presbytero, vel Episcopo. Præstante eodem Domino nostro Jesu Christo: Qui vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum benedicit ei ut supra: quo facto, ille osculatur manum dexteram Pontificis; surgensque discedit.

EXecutionis vero Diaconatus, Subdiaconatus, et minorum Ordinum, ac privilegii clericalis restitutio fit similiter

per omnia, prout supra, usque ad manus impositionem, ad quam Pontifex sedens cum mitra dicit:

IN nomine Domini. Ego, licet peccator, tamen Episcopus, per hanc manus impositionem restituo tibi dilectissimo filio privilegium clericale, et executionem Ordinum, et graduum Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, et Diaconatus, quibus fueras juste privatus, et ab eis depositus; ut amodo possis digne custodire Ostia domus Domini, cum omnibus quæ intra retinentur; et distincte legere de Codice, audiente populo Dei; et habeas potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos; et possis digne accendere luminaria Ecclesiæ, et ante Evangelium portare; ac legere Prophetias, et Epistolas, ac Lectionem Evangelicam ad Missas, et in eis ministrare Presbytero, vel Episcopo, et fundere aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi: Præstante Domino nostro Jesu Christo: Qui vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum benedicit ei, ut supra: quo facto ille osculatur manum dexteram Pontificis, surgensque discedit.

EXecutionis autem Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, et minorum Ordinum, et privilegii clericalis restitutio fit similiter, prout supra, usque ad manus impositionem, in qua Pontifex cum mitra sedens, dicit:

IN nomine Domini. Ego, quamvis peccator, tamen Episcopus, per hanc manus impositionem restituo tibi dilectissimo filio privilegium clericale, et executionem Ordinum, et graduum Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus, quibus fueras juste depositus, et privatus; ut amodo possis digne custodire Ostia domus Domini, cum omnibus quæ intra retinentur; et distincte legere de Codice, audiente populo Dei; et abhinc in antea habeas potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos; et possis digne accendere luminaria Ecclesiæ, et ante Evangelium portare; ac legere Prophetias, et Epistolas, ac Lectionem Evangelicam ad Missas, et in eis ministrare Diacono, Presbytero, et Episcopo, et fundere aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi; ac Missas celebrare pro vivis ac defunctis, acceptabiles quoque Hostias offerre Deo, et ministerium Presbyterale devote perficere: Præstante Domino nostro Jesu Christo: Qui vivit et regnat Deus, in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum benedicit ei ut supra: quo facto, ille osculatur manum dexteram Pontificis, surgensque discedit.

Nunc degradationem subjicimus.

SI Clericus, secundum primam formam sententialiter depositus, incorrigibilis appareat, debet excommunicari. Et si postmodum in profundum malorum veniens contempserit, tunc, ut cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, Pontifex debet illum degradare, et curiæ sæculari relinquere, quæ degradatio fit hoc modo.

DEGRADATIONIS

FORMA.

DEgradandus indumentis Sacerdotalibus, si Sacerdos sit, indutus, vel Diaconalibus, si sit Diaconus; et sic de reliquis Ordinibus, et indumentis, offertur Pontifici. Pontifex vero quasi exequendo sententiam depositionis in illum dudum prolatam; præsente judice sæculari, cui degradandus debet relinqui, publice abradit cum vitro, vel cultello, vel alio hujusmodi leviter sine sanguinis effusione loca manuum illius, quæ in collatione Ordinum iuncta fuerunt, et etiam tonsuram, si velit. Et consequenter seriatim, et sigillatim detrahit illi omnia insignia, sive sacra ornamenta, quæ in Ordinum susceptione recepit; et demum exuit illum habitu clericali, et induit laicali, dicens publice judici sæculari præsenti, ut illum propter scelera sua sic depositum, degradatum, expoliatum, et exauctoratum in suum, si velit, forum recipiat.

Et est notandum, quod in hac executione sententiæ non est necessaria Coepiscoporum præsentia, nec etiam refert sive in Ecclesia fiat, sive extra in plateâ, sive Pontifex degradans indutus sit Pontificalibus ornamentis, sive non: et talis degradatio, solemnis depositio vocatur, proprie tamen loquendo quis a dignitatibus, et honoribus deponitur, sed ab Ordinibus degradatur; et post tamen degradationem juste, et rite factam solus Romanus Pontifex cum tali dispensat. Episcopus tamen ante ipsam insignium detractionem, et etiam post sententiæ depositionis prolationem dispensare, et restituere solo verbo potest, sicut et verbaliter depositus fuit, ut præmissum est.

Sed si, priusquam sæcularis judex in illum animadverterit, talis depositio, et degradatio injusta, vel nulla inveniatur, tunc non solum verbo, sed etiam facto secundum ea, quæ præmissa sunt, dispensatio, et restitutio fiat, et insignia sibi detracta seriatim, sigillatim, et solemniter ei coram altari restituantur. Et, si sit Episcopus, recuperabit orarium, bacu-

lum, annulum, sandalia, mitram, et alia insignia Pontificalia; si Presbyter, orarium et planetam; si Diaconus, orarium et dalmaticam; si Subdiaconus, tunicellam et manipulum. Et reliqui gradus in restitutione sua recuperant ea, quæ, cum ordinarentur, receperunt. Poterit tamen (quod convenientius videtur) ad aliorum terrorem actualis degradatio sic fieri.

In primis in publico extra Ecclesiam paratur aliquis eminens congruentis spatii locus, pro degradatione facienda; supra quem ordinatur una credentia simplici tobalea cooperta, supra quam ponuntur ampulla vini; ampulla aquæ; calix cum patena, et hostia; unum vas vini; unum vas aquæ; liber Evangeliorum; liber Epistolarum; bacile cum buccali et mantili; unum candelabrum cum candela extincta; liber Exorcismorum; liber Lectionum; claves; Antiphonarium; forfices; cultellus, aut vitrum; paramenta pro degradando: videlicet, si degradandus sit Archiepiscopus, ordinentur super dictam credentiam superpelliceum; sandalia, cum caligis; amictus; alba; cingulum; manipulus; tunicella; stola; Dalmatica; chirothecæ; alia stola; planeta; mitra; annulus Pontificalis; pallium; baculus pastoralis; et aliqua vestis habitus sæcularis. Si vero degradandus non sit Archiepiscopus, sed Episcopus tantum, omisso pallio, ponuntur super credentiam omnia alia prædicta. Si vero Presbyter tantum, omissis pallio et aliis pontificalibus paramentis prædictis, ponuntur ibidem omnia alia prædicta. Idem in aliis Ordinibus, etiam in ordinatione credentiæ observatur. Item paratur in dicto loco faldistorium pro Pontifice degradatore, sedilia pro Officialibus. Vocentur, et ibidem adsint ministri Pontificis; Judex sæcularis, cui degradatus committatur; Notarius, qui processum degradationis legat (si opus erit, vel Pontifici placet) et barbitonsor.

Hora congruenti ducitur degradandus, sive sit Archiepiscopus, sive quicumque alius, quotidiano suo habitu indutus, super dictum locum ad hoc præparatum; ubi cum fuerit, solvitur, et liber ibidem manet. Tum a Clericis induitur omnibus paramentis sui ordinis, ut præmittitur, supra credentiam ordine suo positis, incipiendo a superpelliceo, et continuando usque ad ultimum paramentum sui Ordinis. Quo sic induto, Pontifex degradator indutus amictu, alba, cingulo, stola, et pluviali rubeis, ac mitra simplici, baculum pastoralem in sinistra tenens, ascendit ad locum prædictum, et ibidem sedet in faldistorio, in convenienti loco sibi parato, versus ad populum, astante sibi Judice sæculari. Tum degradandus, sive Archiepiscopus fuerit, sive alius, omni-

bus sui Ordinis vestibus sacris indutus, et singulis ornamentis ornatus, habens in manibus ornamentum ad Ordinem suum spectans, ac si deberet in suo officio ministrare, adducitur ante Pontificem, coram quo genuflectit. Tum Pontifex ut supra, sedens, populo in vulgari notificet degradationis hujusmodi causam; deinde contra degradandum sententiam fert in hæc verba, si sit Sacerdos, aut Diaconus, aut Subdiaconus, vel Clericus, et prius hujusmodi sententia lata non sit:

IN nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, Amen. Quia nos N. Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N. per viam accusationis, vel **denuntiationis,** aut **inquisitionis cognoscentes de crimine** N. **contra** N. **Presbyterum,** vel **Diaconum,** vel **Subdiaconum,** seu **Clericum propter ipsius confessionem,** vel **legitimas probationes, evidenter invenimus eum ipsum crimen commisisse; quod cum non solum grande, sed etiam damnabile, et damnosum sit, et adeò enorme, quod exinde non tantum divina majestas offensa, sed et universa civitas commota est, et ob hoc indignus officio, et beneficio Ecclesiastico sit redditus; idcirco nos auctoritate Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et nostra, ipsum omni hujusmodi officio, et beneficio Ecclesiastico sententialiter perpetuo privamus in his scriptis, ipsumque ab illis verbo deponimus, et pronuntiamus realiter et actualiter secundum traditionem Canonum deponendum, et degradandum.**

Qua sententia sic, ut præfertur, lata, Pontifex degradator aufert ab illo singula ornamenta sibi juxta Ordinem suum tradita, inchoando ab ultimo ornamento, et descendendo gradatim, continuans usque ad primum, quod in prima Tonsura sibi datum fuit, hoc ordine.

DEGRADATIO
AB ORDINE PONTIFICALI.

Si degradandus sit Archiepiscopus, Pontifex degradator aufert ab eo pallium, sic dicendo:

PRærogativa Pontificalis dignitatis, quæ in pallio designatur, te exuimus, quia male usus es ea.

Deinde, vel si degradandus sit Episcopus tantum, Pontifex degradator amovet ei mitram, dicendo:

MItra, Pontificalis dignitatis videlicet ornatu, quia eam male præsidendo fœdasti, tuum caput denudamus.

Deinde unus ex ministris tradit degradando librum Evangeliorum, quem Pontifex degradator aufert de manibus degradandi, dicens:

REdde Evangelium, quia prædicandi officio, quo, spreta Dei gratia, te indignum fecisti, te juste privamus.

Deinde Pontifex degradator amovet annulum de digito degradandi, sic dicens:

ANnulum, fidei scilicet signaculum, tibi digne subtrahimus, quia ipsam sponsam Dei Ecclesiam temere violasti.

Tum unus ex ministris tradit degradando in manus baculum pastoralem, quem mox Pontifex degradator tollit de manibus degradandi, dicens:

AUferimus a te baculum pastoralem, ut inde correctionis officium, quod turbasti, non valeas exercere.

Deinde extractis sibi per ministros chirothecis, Pontifex degradator abradit degradando pollices, et manus leviter cum cultello, aut vitro, dicens:

SIc spiritualis benedictionis, et delibutionis mysticæ gratia, quantum in nobis est, te privamus, ut sanctificandi, et benedicendi perdas officium, et effectum.

Post hæc Pontifex cum eodem cultello, aut vitro abradit leviter caput degradandi, dicens:

COnsecrationem, et benedictionem, atque unctionem tibi traditam radendo delemus, et te ab ordine Pontificali, quo inhabilis es redditus, abdicamus.

Tum degradando per ministros extrahuntur sandalia.

DEGRADATIO
AB ORDINE PRESBYTERATUS.

Ministri tradunt in manus degradandi Calicem cum vino et aqua, ac patena et Hostia, quem Pontifex degradator aufert de manibus degradandi, dicens:

AMovimus a te, quin potius amotam esse ostendimus, potestatem offerendi Deo Sacrificium, Missamque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis.

Deinde Pontifex degradator abradit leviter cum cultello, vel vitro pollices et indices utriusque manus degradandi, dicens:

POtestatem sacrificandi, consecrandi, et benedicendi, quam in unctione manuum et pollicum recepisti, tibi tollimus hac rasura.

Quo dicto, Pontifex degradator accipit casulam, sive planetam per posteriorem partem caputii, et degradandum exuit, dicens:

VEste Sacerdotali charitatem signante te merito expoliamus, quia ipsam, et omnem innocentiam exuisti.

Tum Pontifex degradator aufert a degradando stolam, dicens:

SIgnum Domini per hanc stolam turpiter abjecisti, ideoque ipsam a te amovemus, quem inhabilem reddimus ad omne Sacerdotale officium exercendum.

DEGRADATIO
AB ORDINE DIACONATUS.

Ministri tradunt degradando in manus librum Evangeliorum, quem Pontifex degradator tollit de manibus ejus, dicens:

AMovemus a te potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, quia id non competit, nisi dignis.

Tum Pontifex degradator exuit degradandum dalmatica, dicens:

LEvitico ordine te privamus, quia tuum in eo ministerium non implevisti.

Deinde Pontifex degradator amovet degradando stolam de humeris, projiciens eam post tergum, dicens:

STolam candidam, quam acceperas immaculatam in conspectu Domini perferendam, quia non sic cognito mysterio, exemplum conversationis tuæ fidelibus præbuisti, ut plebs dicata Christi nomine posset exinde imitationem acquirere, juste a te amovemus, omne Diaconatus officium tibi prohibentes.

DEGRADATIO
AB ORDINE SUBDIACONATUS.

Ministri tradunt in manus degradandi librum Epistolarum, quem Pontifex degradator de manibus illius accipit, dicens:

AUferimus tibi potestatem legendi Epistolam in Ecclesia Dei, quia hoc ministerio indignus es redditus.

Tum Pontifex degradator exuit degradandum tunicella, dicens:

TUnica Subdiaconali te exuimus, cujus cor et corpus, timor Domini castus et sanctus in æternum permaneus, non constringit.

Deinde Pontifex degradator accipit a degradando manipulum, dicens:

DEpone manipulum, quia per fructus bonorum operum, quos designat, non expugnasti spirituales insidias inimici.

Tum Pontifex tangens amictum degradandi, dicit:

QUia vocem tuam non castigasti, ideo amictum a te auferimus.

Post hæc unus ex ministris tradit in manus degradandi urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutergio, ac Calicem vacuum cum patena. Tum Archidiaconus tollit de manu degradandi urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum buccali et manutergio. Pontifex vero calicem vacuum et patenam tollit, dicens:

POtestatem introeundi sacrarium, tangendi pallas, vasa, et alia indumenta sacra, omneque Subdiaconatus ministerium exercendi, a te amovemus.

Deinde ministri exuunt degradandum cingulum, albam, et amictum.

DEGRADATIO
AB ORDINE ACOLYTHATUS.

Unus ex ministris tradit in manus degradandi urceolum vacuum, quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens:

IMmunde, vinum et aquam ad Eucharistiam de cætero non ministres.

Tum unus ministrorum tradit in manus degradando candelabrum cum cereo extincto, quod Pontifex degradator accipit de manibus illius, dicens:

DImitte perferendi visibile lumen officium, quia præbere spirituale moribus neglexisti, atque universum Acolythatus officium hic depone.

DEGRADATIO
AB ORDINE EXORCISTATUS.

Unus ex ministris tradit degradando in manus librum Exorcismorum, quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens:

PRivamus te potestate imponendi manum super energumenos, et dæmones de obsessis corporibus expellendi, omni tibi Exorcistatus officio interdicto.

DEGRADATIO
AB ORDINE LECTORATUS.

Unus ministrorum tradit degradando in manus librum Lectionum, quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens:

IN Ecclesia Dei non legas ulterius, aut cantes; nec panes, aut fructus novos ullatenus benedicas, quia tuum officium non implevisti fideliter, et devote.

DEGRADATIO
AB ORDINE OSTIARIATUS.

Unus ex ministris tradit degradando in manus claves Ecclesiæ, quas Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens:

QUia in clavibus errasti, claves dimitte; et quia ostia cordis tui male dæmonibus obserasti, amovemus a te officium Ostiarii; ut non percutias cymbalum, non aperias Ecclesiam, non sacrarium, non librum amplius prædicanti.

DEGRADATIO
A PRIMA TONSURA.

Pontifex degradator extrahit degradando superpelliceum, dicens:

AUctoritate Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, et nudamus te religionis ornatu, ac deponimus, degradamus, spoliamus, et exuimus te omni Ordine, beneficio,

et privilegio clericali; et velut clericalis professionis indignum, redigimus te in servitutem, et ignominiam habitus sæcularis, ac status.

Tum Pontifex degradator cum forcipibus tondere incipit; et per barbitonsorem ibidem præsentem totaliter tonderi facit caput degradandi, dicens:

TE velut ingratum filium a sorte Domini, ad quam vocatus fueras, abjicimus, et coronam tui capitis, regale quidem signum Sacerdotii, de tuo capite amovemus, propter tui regiminis pravitatem.

Tum ministri Pontificis exuunt degradatum veste, et habitu Clericali, et ipsum induunt habitum sæcularem. Quo facto, si fuerit talis casus, quo degradatus tradi debeat Curiæ sæculari, Pontifex degradator degradatum amplius non tangit, sed in hunc modum contra ipsum pronuntiat, dicens:

PRonuntiamus, ut hunc exutum omni Ordine, ac privilegio Clericali Curia sæcularis in suum forum recipiat degradatum.

Tum Pontifex degradator efficaciter, et ex corde, et omni instantia, pro miserrimo illo derelicto intercedit apud judicem sæcularem, ut citra mortis periculum, vel mutilationis, contra degradatum sententiam moderetur, dicens:

DOmine Judex, rogamus vos cum omni affectu, quo possumus, ut amore Dei, pietatis, et misericordiæ intuitu, et nostrorum interventu precaminum, miserrimo huic nullum mortis, vel mutilationis periculum inferatis.

Quo facto, ministri Curiæ secularis degradatum sub sua custodia recipiunt, et discedunt.

ORDO
EXCOMMUNICANDI
ET ABSOLVENDI.

NOtandum quod triplex est excommunicatio, videlicet, minor, major, et anathema. Minor excommunicatio contrahitur per solam participationem cum excommunicato; et a tali potest simplex Sacerdos absolvere absque juratoria cautione; taliter autem excommunicatus confiteatur proprio Sacerdoti, dicens:

COnfiteor Deo, et tibi N. quod sum excommunicatus, quia participavi tali excommunicato in oratione, vel locutione, vel bibendo, vel comedendo cum eo.

Sacerdos vero absolvens eum, dicit hujusmodi verba:

AUctoritate Dei omnipotentis, et mihi concessa, absolvo te a vinculo hujus excommunicationis, quam confessus es, et a qualibet alia simili (si qua teneris,) in quantum possum et debeo; ac restituo te Ecclesiasticis Sacramentis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Major vero excommunicatio, quam Pontifex per sententiam scriptam legendo promulgat, hoc modo profertur:

CUm ego N. talem primo, secundo, tertio, et quarto, ad malitiam convincendam legitime monuerim, ut tale quid faciat, vel non faciat, ipse vero mandatum hujusmodi contempserit adimplere, quia nihil videretur obedientia prodesse humilibus, si contemptus contumacibus non obesset. Idcirco auctoritate Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, exigente ipsius contumacia, ipsum excommunico in scriptis; et tamdiu ipsum vitandum denuntio, donec adimpleverit quod mandatur; ut spiritus ejus in die judicii salvus fiat.

Circa absolutionem vero ab hac majori excommunicatione, sive a Canone, sive ab homine prolatam, tria sunt specialiter attendenda. Primum est, ut excommunicatus juret ante omnia parere mandatis Ecclesiæ, et ipsius absolventis, super eo, propter quod excommunicationis vinculo est ligatus; et si propter manifestam offensam excommunicatus sit, quod ante omnia satisfaciat competenter.

Secundum est, ut reconcilietur, quod fieri debet hoc modo. Excommunicatus namque (ubi sic fieri solitum est) exutus usque ad camisiam ante fores Ecclesiæ, coram Pontifice ipsum absolvere volente, qui indutus amictum, stolam, pluviale violaceum, et mitram simplicem sedens super faldistorium ante principalem portam Ecclesiæ sibi paratum, genuflexus detecto capite humiliter absolutionem petit. Pontifex vero primum accipit ab eo juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, deinde accepta in dextera manu virga, dicit Psalmum

Miserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Totus dicitur, ut supra, pag. 76. cum Gloria Patri, et Sicut erat.

Deinde subsequenter Psalmus. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: prout habetur supra in benedictione Campanæ, pag. 252. cum Gloria Patri, et Sicut erat.

Et in quolibet versu Pontifex cum virga leviter inter scapulas verberat absolvendum. Finitis Psalmis, deposita mitra, surgit Pontifex, et dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. reliqua secreto; deinde dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum, vel ancillam tuam, Domine.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo, vel in ea.

℟. Et filius iniquitatis non nocebit ei.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper, et parcere: suscipe deprecationem nostram, et hunc famulum tuum, vel famulam tuam, quem, vel quam excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

PRæsta, quæsumus, Domine, huic famulo tuo, vel huic familiæ tuæ, dignum pœnitentiæ fructum: ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviaverat peccando, admissorum veniam consequendo, reddatur innoxius, vel innoxia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde sedet Pontifex, et accepta mitra, dicit:

AUctoritate Dei omnipotentis, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, atque Ecclesiæ suæ sanctæ, et ea qua fungor, absolvo te a vinculo talis excommunicationis, qua ex tali causa ligatus, vel ligata eras. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Deinde surgit Pontifex cum mitra, et apprehendens absolutum per dexteram manum, introducit eum in Ecclesiam, dicens:

REduco te in gremium sanctæ matris Ecclesiæ, et ad consortium, et communionem totius Christianitatis, a quibus fueras per excommunicationis sententiam eliminatus; et restituo te participationi Ecclesiasticorum Sacramentorum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Tertium est, quod absoluto fieri debent justa et rationabilia præcepta. Circa quod considerandum est, utrum ipse fuerit ligatus a Canone, vel ab homine. Si a Canone, satisfa-

cto ei, quem læsit, injungendum est sibi, ne ulterius contra illum Canonem faciat. Quandoque tamen cogendus est de jure sufficienter super hoc cavere. Si vero excommunicatus Auctoritate Apostolica habeat temporale impedimentum, quo minus ad Sedem Apostolicam accedere possit, et propterea ab Ordinario absolvatur; tunc injungendum est absoluto, ut statim impedimento cessante, debeat se summo Pontifici præsentare, vel ejus Legato, mandatum illius super hoc impleturus, quod tamen in pueris, et mulieribus, et similibus non servatur, qui sicut perpetuum habent impedimentum, perpetuo excusantur. Si vero aliquis ligatus est ab homine, et tunc aut offensa ejus est manifesta, tunc satisfacere debet, priusquam absolvatur; aut est dubia, et tunc si post absolutionem apparuerit, ipsum injuste fuisse ligatum, nihil omnino præcipiendum est ei. Si vero apparuerit, ipsum juste fuisse ligatum, præcipiendum est ei, quod satisfaciat competenter.

Quando vero anathema, id est, solemnis excommunicatio pro gravioribus culpis fieri debet, Pontifex paratus amictu, stola, pluviali violaceo, et mitra simplici, assistentibus sibi duodecim Presbyteris superpelliceis indutis, et tam ipso, quam Presbyteris candelas ardentes in manibus tenentibus, sedet super faldistorium ante altare majus, aut alio loco publico, ubi magis sibi placebit, et ibi pronuntiat et profert anathema, hoc modo:

Quia N. Diabolo suadente, Christianam promissionem, quam in Baptismo professus est, per apostasiam postponens, Ecclesiam Dei devastare, Ecclesiastica bona diripere, ac pauperes Christi violenter opprimere non veretur; idcirco solliciti, ne per negligentiam pastoralem pereat, pro quo in tremendo judicio ante Principem Pastorum, Dominum nostrum Jesum Christum rationem reddere compellamur, juxta quod Dominus ipse terribiliter comminatur dicens: Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram; monuimus eum Canonice, primo, secundo, tertio, et etiam quarto ad ejus malitiam convincendam, ipsum ad emendationem, satisfactionem, et pœnitentiam invitantes, et paterno affectu corripientes. Ipse vero, proh dolor! monita salutaria spernens, Ecclesiæ Dei, quam læsit, superbiæ spiritu inflatus, satisfacere dedignatur. Sane præceptis Dominicis, atque Apostolicis informamur, quid de hujusmodi prævaricatoribus agere nos oporteat. Ait enim Dominus: Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te. Et Apostolus inquit: Auferte malum

ex vobis. Et iterum: Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. Et Joannes præ ceteris dilectus Christi discipulus, talem nefarium hominem salutare prohibet, dicens: Nolite recipere eum in domum, nec AVE ei dixeritis. Qui enim dicit illi AVE, communicat operibus ejus malignis. Dominica itaque, atque Apostolica præcepta adimplentes, membrum putridum et insanabile, quod medicinam non recipit, ferro excommunicationis ab Ecclesiæ corpore abscindamus, ne tam pestifero morbo reliqua corporis membra veluti veneno inficiantur. Igitur quia monita nostra crebrasque exhortationes contempsit; quia tertio secundum Dominicum præceptum vocatus, ad emendationem et pœnitentiam venire despexit; quia culpam suam nec cogitavit, nec confessus est, nec missa legatione excusationem aliquam prætendit, nec veniam postulavit; sed diabolo cor ejus indurante, in incepta malitia perseverat, juxta quod Apostolus dicit: Secundum duritiam suam, et cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ; idcirco eum cum universis complicibus fautoribusque suis judicio Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et beati Petri principis Apostolorum, et omnium Sanctorum, necnon et mediocritatis nostræ auctoritate, et potestate ligandi, et solvendi in cælo, et in terra nobis divinitus collata, a pretiosi Corporis et Sanguinis Domini perceptione, et a societate omnium Christianorum separamus, et a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ in cælo, et in terra excludimus, et excommunicatum, et anathematizatum esse decernimus; et damnatum cum diacolo et angelis ejus, et omnibus reprobis in ignem æternum judicamus; donec a diaboli laqueis resipiscat, et ad emendationem et pœnitentiam redeat, et Ecclesiæ Dei, quam læsit, satisfaciat, tradentes eum satanæ in interitum carnis; ut spiritus ejus salvus fiat in die judicii.

Et omnes respondent:

Fiat. Fiat. Fiat.

Quo facto, tam Pontifex, quam Sacerdotes debent projicere in terram candelas ardentes, quas in manibus tenebant. Deinde epistola Presbyteris per Parochias, et etiam vicinis Episcopis mittatur, continens nomen excommunicati, et excommunicationis causam; ne quis per ignorantiam ulterius illi communicet, et ut excommunicationis occasio omnibus auferatur.

SI vero anathematizatus pœnitentia ductus veniam postulare voluerit, et emendationem promittere, Pontifex, qui eum

excommunicavit, paratus, ut supra, ante januas Ecclesiæ venit, sedens ibidem in faldistorio sibi parato, et duodecim Presbyteri superpelliceis induti eum hinc inde circumstare debent. Adsint etiam illi, quibus injuria, vel damnum est illatum, et ibidem secundum leges divinas omne damnum commissum emendetur. Tum anathematizatus genuflectit coram Pontifice, quem interrogat Pontifex, si pœnitentiam, prout Canones præcipiunt, pro perpetratis sceleribus suscipere velit? Ille tunc genuflexus veniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, et de futuris cautelam spondet. Tunc Pontifex sedens cum mitra, dicit cum ministris septem Psalmos Pœnitentiales (quos require supra sub benedictione Abbatis pag. 74.), Pontifice quandoque illum leviter inter scapulas verberante. Finitis Psalmis, Pontifex, deposita mitra, surgit, et dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. reliqua secreto; deinde dicit:
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum, vel ancillam tuam, Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo, vel in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui proprium est misereri semper, et parcere: suscipe deprecationem nostram, et hunc famulum tuum, vel famulam tuam, quem, vel quam excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

PRæsta, quæsumus, Domine, huic famulo tuo, vel famulæ tuæ, dignum pœnitentiæ fructum: ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviaverat peccando, admissorum veniam consequendo reddatur innoxius. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde sedet Pontifex, et accepta mitra, dicit:

AUctoritate Dei omnipotentis, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, atque Ecclesiæ suæ sanctæ, et ea, quæ

fungor, absolvo te a vinculo talis excommunicationis, qua ex tali causa ligatus eras. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Tum surgit cum mitra Pontifex, et apprehendens absolutum per dexteram manum introducit eum in Ecclesiam usque ante gradus majoris altaris, interim dicens:

REduco te in gremium sanctæ matris Ecclesiæ, et ad consortium et communionem totius Christianitatis, a quibus fueras per excommunicationis sententiam eliminatus; et restituo te participationi Ecclesiasticorum Sacramentorum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Quo dicto, et cum ante gradus majoris altaris pervenerint, ille ibidem in inferiori gradu altaris genuflectit. Pontifex vero ascendit ad altare, ubi stans versus ad introductum, deposita mitra, absolute dicit:

Oremus.

MAjestatem tuam quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed pœnitentiam semper inquiris: respice flentem famulum tuum, attende prostratum, ejusque planctum in gaudium tua miseratione converte; scinde delictorum saccum, et indue eum lætitia salutari; ut post longam peregrinationis famem de sanctis Altaribus satietur, ingressusque cubiculum Regis, in ipsius aula benedicat nomen gloriæ tuæ semper. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia tuæ miserationis evacuas: respice propitius super hunc famulum tuum, et remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis devotione poscentem deprecatus exaudi; renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, seu diabolica fraude violatum est, et unitati corporis Ecclesiæ membrum perfecta remissione restitue. Miserere Domine gemituum, miserere lacrymarum ejus, et non habentem fiduciam, nisi in misericordia tua, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex producit signum crucis super introductum, qui surgit, et discedit.

ORDO
AD RECONCILIANDUM
APOSTATAM, SCHISMATICUM, VEL HÆRETICUM.

Pontifex apostatam, schismaticum, vel hæreticum reconciliare volens, paratus amictu, stola, pluviali albo, et mitra simplici, sedet super faldistorium ante fores Ecclesiæ sibi paratum, coram quo genuflectit reconciliandus, quem interrogat Pontifex de fide, dicens:

Credis duodecim Articulos Fidei?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis et in Jesum Christum Filium ejus, unicum Dominum nostrum?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis quod conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis quod passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis quod descendit ad inferos?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis quod tertia die resurrexit a mortuis?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis quod ascendit ad cælos, et sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis quod venturus est judicare vivos et mortuos?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis in Spiritum Sanctum?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis remissionem omnium peccatorum?

Ille respondet:

Credo.

Pontifex interrogat:

Credis carnis resurrectionem, et vitam æternam?

Ille respondet:

Credo.

Deinde Pontifex surgit cum mitra, et super illum genuflexum dicit absolute, incipiens:

EXorcizo te, immunde spiritus, per Deum Patrem omnipotentem, et per Jesum Christum Filium ejus, et per Spiritum Sanctum, ut recedas ab hoc famulo Dei, quem Deus et Dominus noster ab erroribus, et deceptionibus tuis liberare, et ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam atque Apostolicam revocare dignatur. Ipse tibi imperet, maledicte, ac damnate, qui pro salute hominum passus, mortuus, et sepultus est, te, atque omnes vires tuas superavit, ac resurgens cælos ascendit, inde venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

Tum signat illum cum pollice dexteræ manus in fronte signo crucis, dicens:

ACcipe signum Crucis Christi, atque Christianitatis, quod prius acceptum non custodivisti, sed male deceptus abnegasti.

Deinde surgit ille; et Pontifex, retenta mitra, sinistra sua illum apprehendit per manum dexteram dicens:

INgredere in Ecclesiam Dei, a qua incaute aberrasti; ac evasisse te laqueo mortis agnosce: horresce idola, respue omnem pravitatem, sive superstitionem hæreticam, vel gentilem, aut Judaicam. Cole Deum Patrem omnipotentem, et Jesum Christum Filium ejus, et Spiritum Sanctum, unum, vivum, et verum Deum, sanctam et individuam Trinitatem.

Tum introducit illum in Ecclesiam per manum, ut eum apprehendit, usque ad altare majus, coram quo in infimo gradu ille genuflectit. Pontifex vero ascendit ad medium altaris, ubi deposita mitra, stans versus ad illum, dicit absolute:

OMnipotens sempiterne Deus, hanc ovem tuam de faucibus lupi tua virtute subtractam paterna recipe pietate, et gregi tuo reforma pia benignitate; ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, sed de conversione, et liberatione ejus, Ecclesia tua, ut pia mater de filio reperto, gratuletur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui hominem ad imaginem tuam conditum misericorditer reparas, quem mirabiliter creasti: respice propitius super hunc famulum tuum, ut quod hujus ignorantiæ cæcitate hostili, et diabolica fraude surreptum est, indulgentia tuæ pietatis ignoscat, et absolvat; et altaribus sacris, recepta veritatis tuæ communione, reddatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde sedet ibidem Pontifex super faldistorio, et accepta mitra, interrogat illum iterum de Fide Catholica, dicens:

Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ?

Respondet Ille:

Credo.

Interrogatio.

Credis et in Jesum Christum ejus Filium, unicum Dominum nostrum, natum et passum?

Respondet:

Credo.

Interrogatio.

Credis in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam post mortem?

Respondet:

Credo.

Postea interrogat Pontifex:

Homo, abrenuntias satanæ, et angelis ejus?

Respondet:

Abrenuntio.

Interrogatio.

Abrenuntias etiam omni sectæ gentilitatis, vel hæreticæ pravitatis, sive Judaicæ superstitionis?

Respondet:

Abrenuntio.

Interrogatio.

Vis esse et vivere in unitate sanctæ Fidei Catholicæ?

Respondet:

Volo.

Tunc deposita mitra surgit Pontifex, et reconciliatus accedit ad pedes ejus, coram eo genuflectens: Pontifex vero imponit manum dexteram super caput illius, dicens:

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui dignatus es hunc famulum tuum ab errore gentilitatis, vel mendacio hæreticæ pravitatis, sive Judaicæ superstitionis clementer eruere, et ad Ecclesiam tuam sanctam revocare: tu, Domine, emitte in eum Spiritum Sanctum paraclitum de cælis. ℟. Amen.

Spiritum sapientiæ et intellectus. ℟. Amen.

Spiritum consilii et fortitudinis. ℟. Amen.

Spiritum scientiæ et pietatis. ℟. Amen.

Adimple eum lumine splendoris tui, et in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi signetur signo Cru ✠ cis in vitam æternam. ℟. Amen.

Post hæc si reconciliatus sit is, qui præcipuus, et notabilis fautor schismatis extitit, genuflexus, ut supra, facit publice professionem, et abjurationem, Pontifice cum mitra in faldistorio ante altare sedente, dicens:

EGo N. comperto divisionis laqueo, quo tenebar, diutina mecum deliberatione pertractans, prona et spontanea voluntate ad unitatem Sedis Apostolicæ, divina gratia duce, reversus sum: ne vero non pura mente, seu simulata reversus existimer, spondeo sub ordinis mei casu, et anathematis obligatione, atque promitto tibi, tali Episcopo, et per te sancto Petro Apostolorum principi, atque sanctissimo in Christo Patri, et Domino nostro, Domino N. Papæ N. et successoribus suis, me numquam quorumlibet suasionibus, vel quocumque alio modo, ad schisma, de quo, Redemptoris nostri gratia liberante, ereptus sum, reversurum, sed semper in unitate Ecclesiæ Catholicæ, et in communione Romani Pontificis per omnia permansurum: unde jurans dico

per Deum omnipotentem, et sancta Dei Evangelia, me in unitate et communione præmissis inconcusse mansurum. Et si (quod absit) ab hac me unitate aliqua occasione, vel argumento divisero, perjurii reatum incurrens æternæ obligatus pœnæ inveniar, et cum auctore schismatis habeam in futuro sæculo portionem.

Deinde super librum Evangeliorum, quem Pontifex ante se tenet apertum, ponit ambas manus extensas, junctis digitis, dicens:

Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Tum producto per Pontificem signo crucis super reconciliatum, surgit reconciliatus, et discedit.

Si vero reconciliatus fuerat hæresiarcha, seu præcipuus auctor alicujus hæresis, omissa promissione præcedente, facit sequentem, genuflexus coram Pontifice cum mitra in faldistorio ante altare sedente, dicens:

Ego N. cognoscens veram Catholicam, et Apostolicam Fidem, anathematizo hic publice omnem hæresim, præcipue illam, de qua hactenus extiti infamatus, quæ astruere conatur hoc, vel illud. Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et Apostolicæ Sedi ore, et corde profiteor me credere sic, vel sic, et eamdem Fidem tenere, quam sancta Romana Ecclesia auctoritate Evangelica, et Apostolica tenendam tradit. Jurans hoc, per sanctam Homousion, id est, ejusdem substantiæ Trinitatem, per sacrosancta Evangelia Christi, eos autem, qui contra Fidem hanc venerint, cum dogmatibus, et sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Et si ego ipse (quod absit,) aliquando contra hæc aliquid assentiri, aut prædicare præsumpsero, canonum severitati subjaceam.

Et mox ambas manus extensas, digitis non disjunctis, ponit super librum Evangeliorum, quem Pontifex ante se apertum tenet, dicens:

Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Tum producto per Pontificem signo crucis super reconciliatum, surgit ipse reconciliatus, et discedit.

DE ITINERATIONE

PRÆLATORUM.

Prælatus incipiens iter agere, antequam equum ascendat, incheat hanc Antiphonam:

In viam pacis;

Canticum Zachariæ. Luc. 1.

BEnedictus Dominus Deus Israel, * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ:

Et erexit cornu salutis nobis: * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os Sanctorum, * qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: * et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, * daturum se nobis:

Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi.

In sanctitate, et justitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus:

Ad daudam scientiam salutis plebi ejus: * in remissionem peccatorum eorum:

Per viscera misericordiæ Dei nostri: * in quibus visitavit nos, oriens ex alto:

Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent: * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri, etc. Sicut erat, etc.

Deinde dicit totam Antiphonam, et alia sequentia.

IN viam pacis, et prosperitatis dirigat nos omnipotens, et misericors Dominus, et Augelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute, et gaudio revertamur ad propria.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster: reliqua secreto; deinde dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte nobis Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere nos.
℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Benedictus Dominus die quotidie.
℟. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.*

℣. Vias tuas Domine demonstra nobis.
℟. Et semitas tuas edoce nos.
℣. Utinam dirigantur viæ nostræ.
℟. Ad custodiendas justificationes tuas.
℣. Erunt prava in directa.
℟. Et aspera in vias planas.
℣. Angelis suis Deus mandavit de te.
℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te, stella duce, pandisti: tribue nobis, quæsumus, iter prosperum, tempusque tranquillum; ut Angelo tuo sancto comite, ad eum, quo pergimus, locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeamus.

DEus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus, ut nos famulos tuos custodire digneris: esto nobis, Domine, in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum, in adversitate præsidium, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus; ut te duce, quo tendimus, prospere perveniamus, et demum incolumes ad propria redeamus.

ADesto, quæsumus Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates tuo semper protegamur auxilio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat: et beati Joannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum dicit Pontifex:

℣. Procedamus cum pace.
℟. In nomine Domini.

Et discedunt.

ORDO
AD RECIPIENDUM
PROCESSIONALITER PRÆLATUM, VEL LEGATUM.

Cum Prælatus, vel Legatus civitatem aliquam, vel oppidum insigne est ingressurus, processio Cleri ex more loci ordinata cum Cruce procedit illi obviam extra portam urbis; et cum Legatus, sive Prælatus advenerit, Prælatus ejus loci indutus amictu, stola, pluviali, et mitra pretiosis, sive primam dignitatem habens indutus superpelliceo, et pluviali pretioso offert venienti crucem osculandam, quam Legatus, seu Prælatus ex equo, vel si maluerit, descendens in terram super tapetem stratum genuflexus devote osculatur. Tum, si intrans est Episcopus, vel major, aut Presbyter, vel Episcopus Cardinalis, Cantores incipiunt, et prosequuntur Antiphonam ton. 1.

Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo sic placuisti Domino.

Vel dicatur Responsorium ton. 8.

Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo: * Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. ℣. Benedictionem omnium Gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput ejus. * Ideo. Gloria Patri. * Ideo.

Si vero Legatus recipiendus sit Diaconus Cardinalis, cantatur Responsorium ton. 7.

Fidelis namque et prudens dispensator in magni patrisfamilias domo constitutus erat: * Ut conservis suis mensuram tritici erogaret. ℣. Pro salute et augmento gregis sibi commissi cura pervigili sollicitus erat. * Ut conservis.

Si autem duo, vel plures reciperentur Legati, etiam si non essent Episcopi, vel Presbyteri Cardinales, cantatur Antiphona ton. 8.

Vos estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum, et Prophetarum.

In porta autem urbis consueverant Magistratus illius obviare Legato, vel Prælato primo intranti, ac illum benigne suscipere et associare, ac baldachinum super eum deferre. Incepta Antiphona, processio, quæ locum habere debet immediate ante crucem Prælati, nisi intersint Canonici Cathedralis Ecclesiæ, ordine suo progreditur, et cantantur post dictas Antiphonas, seu Responsoria, alia Cantica, vel Hymni,

prout magis placebit, usque ad Ecclesiam majorem, seu principalem loci. Si vero processioni intersint Canonici Ecclesiæ Cathedralis, illi soli possunt ire post crucem Legati immediate ante eum. Equitantes vero omnes equitare debent ante processionem: togati vero debent Legatum, seu Prælatum sequi. Cum Prælatus, seu Legatus descenderit, et intrat portam majoris, seu principalis Ecclesiæ, Prælatus Ecclesiæ, seu majorem dignitatem habens, indutus, ut supra, detecto capite offert illi aspersorium cum aqua benedicta, quod Prælatus, seu Legatus accipiens aspergit primo seipsum, deinde alios. Tum idem Prælatus Ecclesiæ, seu primam dignitatem habens, offert ei naviculam, aliquo alio Sacerdote superpelliceo induto thuribulum porrigente, et Legatus, seu Prælatus imponit incensum, et statim Prælatus Ecclesiæ, seu dignitatem habens, incensat ipsum Prælatum, seu Legatum stantem cooperto capite, more consueto. Deinde procedunt ad altare majus Ecclesiæ, et ibi super faldistorio ante infimum gradum altaris parato procumbit, et orat Prælatus, seu Legatus. Interim vero Prælatus Ecclesiæ, seu dignitatem majorem habens, stans in cornu Epistolæ altaris versus ad orantem detecto capite, dicit:

℣. Protector noster aspice Deus.

℟. Et respice in faciem Christi tui.

Cum omnibus sequentibus, si receptus sit Prælatus, aut Legatus, Episcopus, vel Presbyter Cardinalis. Si vero sit Diaconus Cardinalis, omisso versu præcedente, dicit sequentes tantum:

℣. Salvum fac servum tuum.

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super hunc famulum tuum, et cunctas congregationes illi commissas, Spiritum gratiæ salutaris: et ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

His dictis, cantores cantant aliquam Antiphonam eis magis placentem de Sancto Patrono Ecclesiæ cum versiculo de eodem Sancto. Et cum dicitur versiculus, surgens Prælatus, vel Legatus ascendit ad altare, osculaturque illud in medio; deinde procedit ad cornu Epistolæ, ubi stans ad ipsum altare versus, cantat Orationem de dicto Sancto; deinde ad medium altaris revertitur, ubi stans dat benedictionem solemnem populo, dicens:

Sit nomen Domini benedictum, etc.

Qua data, facit promulgari per unum ex suis, sive ex beneficiatis Ecclesiæ Indulgentias, quas ipse interessentibus concedit; deinde Prælatus Ecclesiæ, et alii, dimissis paramentis, associant illum usque ad diversorium suum. Cum vero novus Prælatus primo ad Ecclesiam suam veniens recipitur, loco Orationis prædictæ,

Omnipotens sempiterne Deus, etc. dicitur sequens Oratio:

Oremus.

Deus omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N. quem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei, quæsumus, verbo et exemplo, quibus præest, proficere; ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

ORDO
AD VISITANDAS
PAROCHIAS.

Pontifex visitaturus Diœcesim, et Parochias suas, cum ad civitatem, seu oppida suæ Diœcesis pervenerit, recipitur processionaliter eo ordine, prout supra in receptione Prælati, seu Legati dictum est. Hoc solo dempto, quod loco Orationis, Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna, etc. seu Deus omnium, etc. ipso Prælato ante altare in faldistorio genuflectente, dicitur sequens Oratio:

Oremus.

Deus humilium visitator, qui eos paterna dilectione consolaris: prætende societati nostræ gratiam tuam; ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita, Pontifex surgens ascendit ad altare majus, osculaturque illud in medio, et ibidem populo solemniter benedicit.

Deinde, vel in medio Missæ, versus ad populum sedens proponit populo causas adventus sui, quia sacri Canones, et Ecclesiasticus ordo hoc fieri præcipiunt propter multa.

Primo ad absolvendas animas defunctorum.

Secundo, ut sciat, et videat qualiter Ecclesia ipsa spiritualiter, et temporaliter gubernetur; quomodo se habeat in ornamentis; qualiter ibi Ecclesiastica Sacramenta ministrantur; et divina officia peraguntur; quale servitium ibi impenditur; qualis sit vita ministrorum, et populi, ut ex officio inquisitionis suæ, per eum, si qua in præmissis corrigenda fuerint, corrigantur, et emendentur.

Tertio ad adulteria, fornicationes, sacrilegia, divinationes, et similia publica in populo punienda, ad quod interdum non sufficiunt Ecclesiarum Rectores; ostendens diligenter populo, quam damnabilia, et detestanda sunt crimina ipsa.

Quarto propter casus, qui de jure, vel consuetudine ad Episcopum dumtaxat pertinere noscuntur, quia in Constitutionibus Synodalibus continentur, in quibus nullus alius se intromittere potest; protestans plebi, quod si quis, vel si qua in aliquo ipsorum casuum, vel in quocumque alio, consilio ejus indiguerit, paratus sit benigne audire, et consilium, et absolutionem impendere, ac pœnitentiam misericorditer injungere salutarem.

Quinto ad exhibendum Sacramentum Confirmationis, cujus solus Episcopus ordinarius minister est.

Deinde inducit diligenter populum ad pœnitentiam, et instruit in Ecclesiasticis Sacramentis, et in Articulis Fidei, et qualiter debent declinare a malo, et facere bonum; fugere vitia, et sectari virtutes; alteri non facere, quod sibi fieri nolunt. His expletis, fit populi confessio, et absolutio generalis, et indulgentia datur per Pontificem. Post hæc Pontifex, deposita cappa, induitur, amictu, stola, pluviali violacei, vel nigri coloris, et mitra simplici, et stans cum mitra juxta altare versus ad populum incipit Antiphonam: Si iniquitates.

Postea cum ministris, seu Capellanis suis dicit Psalmum: De profundis clamavi ad te Domine, totum, ut supra in benedictione Abbatis, pag. 78. et in fine ℣. Requiem æternam * dona eis Domine: Et lux perpetua * luceat eis.

Tum dicit totam Antiphonam:

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Qua dicta, deposita mitra, dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

Quod secrete completur. Et interim accepto aspersorio, cum aqua benedicta tertio aspergit ante se: deinde imposito incenso in thuribulo, et illo benedicto, eodem modo incensat. Quo facto, pronuntiat versus:

Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. In memoria æterna erunt justi.
℟. Ab auditione mala non timebunt.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animas eorum.
℣. Requiem æternam dona eis Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus; ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde aqua benedicta, thuriferario, duobus ceroferariis, cruce et Clero præcedentibus, et cantantibus Responsorium:

Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum, * Tu eis Domine dona requiem, et locum indulgentiæ.

℣. Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem, * Tu eis Domine.

Pontifex cum mitra exit ad Cœmeterium, interim dicens cum ministris suis Antiphonam:

Si iniquitates, etc.

Deinde Psalmum **De profundis clamavi,** totum ut supra, pag. 78. Et in fine: **℣. Requiem æternam * dona eis Domine: Et lux perpetua * luceat eis.**

Et Antiphona repetitur:

Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit?

Quibus omnibus dictis, cum fuerint in medio Cœmeterii subsistunt suo ordine, et Chorus cantat Responsorium:

Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda: * Quando cæli movendi sunt, et terra: * Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. * Quando cæli movendi sunt, et terra.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde. * Dum veneris.

℣. **Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.**

Tum repetitur Responsorium:

Libera me Domine, etc.

Usque ad primum versum. Interim dum Responsorium repetitur, offertur per digniorem Ecclesiæ navicella, et per alium ex ministris thuribulum Pontifici, qui imponit incensum more consueto. Responsorio repetito, Chorus cantat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Mox Pontifex, mitra deposita, convenienti voce dicit:

Pater noster. reliqua secreto.

Deinde aspergit, et incensat, prout fecit in Ecclesia. Quo facto, dicit versus:

Et ne nos inducas in tentationem.

℟. **Sed libera nos a malo.**

℣. **In memoria æterna erunt justi.**

℟. **Ab auditione mala non timebunt.**

℣. **A porta inferi.**

℟. **Erue Domine animas eorum.**

℣. **Requiem æternam dona eis Domine.**

℟. **Et lux perpetua luceat eis.**

℣. **Domine exaudi orationem meam.**

℟. **Et clamor meus ad te veniat.**

℣. **Dominus vobiscum.**

℟. **Et cum spiritu tuo. Oremus.**

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta quæsumus; ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus veniæ largitor, et humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam; ut nostræ congregationis fratres, propinquos, et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis, et famulabus tuis omnibus hic, et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum: ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. **Requiem æternam dona eis Domine.**

℟. **Et lux perpetua luceat eis.**

Tum duo Cantores dicunt:

℣. **Requiescant in pace. ℟. Amen.**

Et mox Pontifex, elevata dextera, producit signum cru-

cis ab omni parte super Cœmeterium. Tum accepta mitra per Pontificem, revertuntur omnes ad Ecclesiam, ordine quo venerunt, choro dicente congruenti voce sine nota totum Psalmum:

Miserere mei Deus, * secundum magnam misericordiam tuam, ut supra, pag. 76. cum

℣. Requiem æternam * dona eis Domine:

℟. Et lux perpetua * luceat eis.

Quem etiam Pontifex ipse dicit voce demissa cum ministris, seu Capellanis suis: quibus dictis, et cum ad chorum ante majus altare pervenerit, Pontifex, deposita mitra, stans ibidem in medio, versus ad altare, dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. reliqua secreto; deinde dicit:

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animas eorum.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Absolve, quæsumus, Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos, et electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

His peractis, depositis stola, et pluviali nigris, seu violaceis, et assumptis albis, incipit visitationem a sanctissima Eucharistia, ad Baptisterium, inde ad sancta Olea, ad sacras Reliquias, tum ad Altaria, et Capellas, et sacras Imagines, item ad Sacristiam, et Cœmeterium se confert; post ad ædes Canonicales, hospitalia, confraternitates, et alia loca pia. Poterit postea Pontifex confirmare pueros, præmissa monitione, et aliis servatis, prout supra in principio de Confirmandis dictum est.

Expedita itaque Confirmatione, et benedictis ornamentis, si qua benedicenda sunt, depositisque indumentis Ecclesiasticis, confessiones, et deinde querelas, si quæ sunt, audit. Tum de conversatione Cleri et populi, ac qualiter spiritualia et temporalia in ipsa Ecclesia ministrantur; et de libris, ac ornamentis diligenter de plano inquirit.

Peracta demum visitatione illius loci, et omnibus expeditis, cum discedere voluerit Pontifex, in suo habitu commu-

ni accedit ad Ecclesiam, et stans ante altare in cornu Epistolæ versus ad illud, dicit Psalmum: **De profundis**, pag. 78. totum, cum **Requiem æternam**, et Antiphona, Si iniquitates; deinde dicit:

Pater noster.

℣. **Et ne nos inducas in tentationem.**

℟. **Sed libera nos a malo.**

℣. A porta inferi.

℟. **Erue Domine animas eorum.**

℣. **Requiescant in pace.**

℟. **Amen.**

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt: famulis, et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum; ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Post hæc discedit, quo voluerit.

ORDO
AD RECIPIENDUM
PROCESSIONALITER IMPERATOREM.

QUando Imperator venit ad aliquam urbem, vel oppidum insigne, Clerus urbis obviam venit ei processionaliter, ut dictum est superius de receptione Prælati, vel Legati: tamen extra portam aliquantulum magis remote, quam Prælato, et Legato fieri solet. Imperator ex equo, vel (quod magis convenit) descendens, in terra super tapete stratum genuflexus osculatur ibidem Crucem, et sub baldachino ducitur usque ad Ecclesiam. Processio præcedit immediate Imperatorem, et is qui gladium Imperatori præfert, equitat immediate post Prælatum processionis. Si vero Legatus Apostolicus Imperatorem reciperet, aut cum eo urbem intraret, vel alias secum iret, vel equitaret; ille qui gladium Imperatori præfert, et alius Crucem Legati portans, simul ire debent. Crux Legati, quia debetur ei latria, erit a dextris;

et gladius imperatoris a sinistris. Interim dum procedunt ad Ecclesiam, cantatur Antiphona ton. 8.

Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante faciem meam.

Et post Antiphonam prædictam cantantur Hymni, vel alia cantica devota, prout magis placebit. Cum Imperator descenderit, et intrat Ecclesiam, Prælatus Ecclesiæ, accepto aspersorio, aspergit eum, deinde alios in genere, et procedunt usque ad altare majus, coram quo Imperator genuflectit super faldistorio ibidem sibi parato. Prælatus vero Ecclesiæ ascendit ad cornu Epistolæ altaris, ubi stans versus ad orantem, detecto capite, dicit:

℣. Deus judicium tuum Regi da.
℟. Et justitiam tuam filio Regis.
℣. Salvum fac N. Imperatorem nostrum, Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Fiat pax in virtute tua.
℟. Et abundantia in turribus tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, in cujus manu sunt corda Regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ: et Imperatori nostro famulo tuo N. regimen tuæ sapientiæ appone, ut haustis de tuo fonte consiliis, et tibi placeat, et super omnia regna præcellat.

PRætende, Domine quæsumus, famulo tuo N. Imperatori nostro dexteram cælestis auxilii: ut te toto corde perquirat; et quæ digne postulat, assequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde si Prælatus sit Episcopus, vel major, stans ante altare, benedicit solemniter populo dicens:

Sit nomen Domini benedictum, etc.

Intellige, si non sit præsens Legatus, quia benedicet Legatus, si sit præsens ibi. Qua benedictione data, depositis sacris vestibus, associat Imperatorem usque ad ejus hospitium. Si autem Prælatus ipse non sit Episcopus, vel major, finitis orationibus prædictis, depositis vestibus sacris, associat, ut supra.

ORDO
AD RECIPIENDUM
PROCESSIONALITER REGEM.

QUando Rex ad aliquam urbem, aut oppidum insigne venit, Clerus processionaliter obviam vadit ei extra portam, ubi Rex ex equo, vel (quod magis convenit) descendens, in terra super tapete stratum genuflexus osculatur Crucem, quæ per Prælatum sibi porrigitur. Deinde sub baldachino ducitur usque ad Ecclesiam ordine supradicto. Interim cantatur Responsorium ton. 8.

℟. Elegit eum Dominus, * Et excelsum fecit illum præ Regibus terræ. ℣. Glorificavit eum in conspectu Regum, et non confundetur. * Et excelsum.

℣. Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto. * Et excelsum.

Deinde cantantur Hymni, vel alia Cantica magis placentia. Cum Rex Ecclesiam intrat, Prælatus accepto aspersorio, aspergit eum, deinde alios in genere, et procedunt usque ad altare majus, coram quo Rex genuflectit super faldistorio ibidem sibi parato, et orat. Prælatus vero ascendit ad cornu Epistolæ altaris, ubi stans versus ad orantem, detecto capite, dicit:

℣. Deus judicium tuum Regi da.
℟. Et justitiam tuam filio Regis.
℣. Salvum fac Regem nostrum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Fiat pax in virtute tua.
℟. Et abundantia in turribus tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

DEus, cui omnis potestas et dignitas famulatur: da huic famulo tuo Regi nostro N. prosperum suæ dignitatis effectum, in qua te semper timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Prælatus, si sit Episcopus, vel major, accedit ad medium altaris, et ibi populo solemniter benedicit. Tum sacris dimissis vestibus, Regem usque ad hospitium comitatur

ORDO
AD RECIPIENDUM
PROCESSIONALITER PRINCIPEM MAGNÆ POTENTIÆ.

Quando Princeps magnæ potentiæ ad aliquam urbem, aut insigne oppidum venit, Clerus processionaliter ei obviam venit extra portam. Ubi Princeps ex equo (vel quod magis convenit) descendens, in terra super tapete stratum genuflexus osculatur Crucem, quæ per Prælatum sibi porrigitur. Deinde sub baldachino ducitur usque ad Ecclesiam ordine supradicto. Interim cantatur Responsorium ton. 1.

℟. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.* Manus enim mea. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. * Manus.

Deinde cantantur Hymni, vel alia Cantica magis placentia. Cum Princeps Ecclesiam intrat, Prælatus, accepto aspersorio, aspergit eum, deinde alios in genere, et procedunt usque ad altare majus, coram quo Princeps genuflectit super faldistorio ibidem sibi parato, et orat. Prælatus vero ascendit ad cornu Epistolæ altaris, ubi stans versus ad orantem, detecto capite, dicit:

℣. Salvum fac Principem nostrum Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non nocebit ei.
℣. Fiat pax in virtute tua.
℟. Et abundantia in turribus tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui omnis potestas et dignitas famulatur: da huic famulo tuo Principi nostro N. prosperum suæ dignitatis effectum, in qua te semper timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Prælatus, si sit Episcopus, vel major, accedit ad medium altaris, et ibi populo solemniter benedicit. Tum sacris dimissis vestibus, Principem usque ad hospitium comitatur.

ORDO
AD RECIPIENDUM
PROCESSIONALITER IMPERATRICEM, VEL REGINAM.

QUando Imperatrix, vel Regina ad aliquam urbem, aut insigne oppidum venit, Clerus processionaliter ei obviam venit ei extra portam. Imperatrix, vel Regina ex equo (vel quod magis convenit) descendens, in terra super tapete stratum genuflexa, osculatur Crucem, quæ per Prælatum sibi porrigitur. Deinde sub baldachino ducitur usque ad Ecclesiam ordine consueto. Interim cantatur Responsorium ton. 8.

Ista est speciosa inter filias Jerusalem. * Sicut vidistis eam plenam charitate, et dilectione in cubilibus, et in hortis aromatum.

℣. Ista est speciosa, quæ ascendit de deserto deliciis affluens.* Sicut. Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto. * Sicut.

Deinde cantantur Hymni, vel alia Cantica magis placentia. Cum Imperatrix, vel Regina Ecclesiam intrat, Prælatus accepto aspersorio, aspergit eam, deinde alios in genere, et procedunt usque ad altare majus, coram quo Imperatrix, vel Regina genuflectit super faldistorio ibidem sibi parato, et orat. Prælatus vero ascendit ad cornu Epistolæ altaris, ubi stans versus ad orantem, detecto capite, dicit:

℣. Salvam fac ancillam tuam Domine.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Fiat pax in virtute tua.
℟. Et abundantia in turribus tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur: ineffabilem clementiam tuam supplices exoramus; ut sicut Esther Reginam Israeliticæ plebis causa salutis ad Regis Assueri thalamum, regnique sui consortium transire fecisti; ita hanc famulam tuam Christianæ plebis salutis gratia ad gra-

tiam tuam transire facias; ut tibi super omnia jugiter placere desideret, et, te inspirante, quæ tibi placita sunt, toto corde perficiat, et dextera tuæ potentiæ illam semper hic, et ubique circumdet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Prælatus, si sit Episcopus, vel major, accedit ad medium altaris, et ibi solemniter populo benedicit. Tum sacris dimissis vestibus Imperatricem, vel Reginam usque ad hospitium comitatur.

ORDO
AD RECIPIENDUM
PROCESSIONALITER PRINCIPISSAM MAGNÆ POTENTIÆ.

PRincipissa magnæ potentiæ recipitur processionaliter eo modo et ordine, prout supra de Imperatrice, vel Regina dictum est; hoc solo excepto, quod loco Orationis, Deus, cujus providentia, etc. dicitur hæc sequens:

Oremus.

QUæsumus omnipotens Deus: ut hanc famulam tuam ubique sapientia tua doceat, et confortet; atque eam Ecclesia tua fidelem semper agnoscat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

DE OFFICIO
QUOD POST MISSAM SOLEMNEM PRO DEFUNCTIS AGITUR.

IN exequiis alicujus summi Pontificis, S. R. E. Cardinalis, seu Metropolitani, aut Episcopi proprii, seu Imperatoris, Regis, vel Ducis magni, aut Domini loci, finita Missa, ordinantur in loco, ubi absolutiones fieri debebunt, in capite loci, in medio, unum faldistorium pro illo qui celebravit, et in quatuor angulis quatuor scabella, videlicet, in quolibet angulo unum scabellum. Subdiaconus accipit Crucem processionalem; unus Acolythus accipit thuribulum cum igne, et naviculam cum thure, et cochleari; alius Acolythus vas aquæ benedictæ cum aspersorio; et duo alii Acolythi duo candelabra cum luminaribus ardentibus capiunt. Interim Prælatus, qui celebravit, apud faldistorium prope altare deponit planetam, et si placet, poterit deponere dalmaticam et

tunicellam, et accipit pluviale nigrum, et mitram simplicem; et quatuor alii Prælati (si adsint) accedent ad sacristiam, vel alium locum convenientem et propinquum, ubi quilibet eorum accipit super rochetum, vel (si sit Regularis) supra superpelliceum, amictum, stolam, pluviale nigrum, et mitram simplicem, si ea uti possunt; sin minus, biretum, et omnes sic parati accedunt apud Prælatum celebrantem paratum, cum quo vadunt ad castrum doloris, seu feretrum, aut sepulturam, vel alium locum, in quo absolutiones fieri consueverunt, hoc ordine. Præcedant duo Acolythi, unus cum thuribulo et navicula incensi; alius cum vase aquæ benedictæ, et aspersorio; tum duo alii Acolythi cum duobus aliis candelabris et candelis accensis, in quorum medio erit Subdiaconus, qui in Missa cantavit Epistolam paratus deferens Crucem; post eum duo juniores Prælati, deinde duo seniores; et quilibet eorum penes se habebit unum Capellanum superpelliceo indutum, qui mitra sibi serviat, et unum scutiferum, qui cereum accensum portet; ultimo loco incedet Prælatus qui Missam celebravit, ad sinistram habens Diaconum paratum, qui eum comitetur, et post eum Capellani superpelliceis induti. Si vero non adsint quatuor Prælati, loco deficientium parantur digniores Canonici Ecclesiæ, vel alii in dignitate constituti, supra superpellicea pluvialibus nigris; et ordine supradicto procedunt ad locum absolutionis: ubi cum fuerint, locantur hoc ordine. Thuriferarius cum Acolytho deferente aquam benedictam subsistunt in capite loci a parte dextera: Acolythi vero ceroferarii, ac Subdiaconus cum Cruce vadunt ad pedes loci, et Subdiaconus cum Cruce collocabit se in medio eorum. Junior Prælatus sedebit in scabello in angulo castri doloris ad pedem dexterum; alius post eum in angulo ad humerum sinistrum; tertius in angulo ad pedem sinistrum; quartus, qui erit senior, in angulo ad humerum dexterum loci. Celebrans vero sedebit in faldistorio in capite loci in medio, ita ut Crucem directo respiciat. Omnibus sic ordinatis, surget Celebrans detecto capite, omnibus similiter surgentibus, et incipiet in tono Lectionis, absolute Orationem:

NOn intres in judicium cum servo tuo, Domine, quoniam nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio: non ergo eum tua, quæsumus, judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat; sed gratia tua illi succurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita, omnes sedent coopertis capitibus, et Cantores incipiunt Responsorium ton. 4.

SUbvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam ejus, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Suscipiat te Christus, qui vocavit te: et in sinum Abrahæ Angeli deducant te. * Offerentes eam, etc.

℣. Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis.

Offerentes eam, etc.

Tunc duo Acolythi cum thuribulo et navicula, et aqua benedicta, et aspersorio accedent ad angulum dexterum capitis, ubi est dignior Prælatus, et se ad ejus dexteram collocabunt. Incepto versiculo, Requiem æternam, etc.

Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum digniorem Prælatum, qui ministrante Diacono naviculam imponet thus in thuribulum; finito Responsorio, chorus cantat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Et cum dicitur primum Kyrie eleison, surgunt omnes detectis capitibus, et ultimo Kyrie eleison dicto, prædictus dignior Prælatus dicit voce intelligibili:

Pater noster.

Quod secrete complet; et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam, seu lectum mortuorum, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, tertio aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante; et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, et similiter Cruci reverentiam faciet transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum, et ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum; et lectum similiter circumcirca thurificabit tertio, in qualibet parte laterali thuribulum ducens: et cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans intelligibili voce dicet versiculos:

Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animam ejus.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui omnia vivunt, et cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius: te supplices deprecamur; ut suscipi jubeas animam famuli tui N. per manus sanctorum Angelorum tuorum deducendam in sinu amici tui Abrahæ Patriarchæ, resuscitandamque in novissimo judicii magni die; et quidquid vitiorum, diabolo fallente, contraxit, tu pius et misericors abluas indulgendo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita, omnes sedent cum mitra, et chorus cantat Responsorium ton. 4.

QUi Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum, * Tu eis Domine dona requiem, et locum indulgentiæ.

℣. Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. * Tu eis.

℣. Requiem æternam, etc. Tu eis.

Tunc duo Acolythi cum thuribulo et navicula, et aqua benedicta, et aspersorio accedent ad secundum digniorem Prælatum sedentem in angulo ad sinistrum pedem, et se ad ejus dexteram collocabunt. Incepto versiculo Requiem æternam etc. Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum secundum digniorem Prælatum, qui ministrante Diacono naviculam imponet thus in thuribulum; finito responsorio, chorus cantat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Et dum dicitur primum Kyrie eleison, surgunt omnes detectis capitibus, et ultimo Kyrie eleison dicto, prædictus secundus dignior Prælatus dicit voce intelligibili: Pater noster.

Quod secrete complet; et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam, seu lectum, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, tertio aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante, et fimbrias pluviali sublevante; et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, et similiter Cruci reverentiam faciet, transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum, et ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum; et lectum similiter circumcirca thurificabit tertio in qualibet parte laterali thuribulum ducens; et cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans intelligibili voce dicit versiculos:

Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℣. Erue Domine animam ejus.
℟. Requiescat in pace.
℣. Amen.
℟. Domine exaudi orationem meam.
℣. Et clamor meus ad te veniat.
℟. Dominus vobiscum.
℣. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

FAc, quæsumus Domine, hanc cum servo tuo N. defuncto misericordiam: ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem; ut sicut hic eum vera fides junxit fidelium turmis, ita eum illic tua miseratio societ choris Angelicis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita, omnes similiter sedent cum mitra, et Chorus cantat Responsorium ton. 8.

DOmine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ? * Quia peccavi nimis in vita mea.

℣. Commissa mea pavesco, et ante te erubesco: dum veneris judicare, noli me condemnare. * Quia peccavi.

℣. Requiem æternam dona eis Domine: et lux perpetua luceat eis. * Quia peccavi.

Tunc duo Acolythi cum thuribulo et navicula, et aqua benedicta, et aspersorio accedent ad tertium digniorem Prælatum sedentem in angulo ad sinistrum humerum, et se ad ejus dexteram collocabunt. Incepto versiculo Requiem æternam, etc. Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum tertium digniorem Prælatum, qui ministrante Diacono naviculam imponet thus in thuribulum; finito Responsorio, Chorus cantat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Et cum dicitur primum Kyrie eleison, surgunt omnes detectis capitibus, et ultimo Kyrie eleison dicto, prædictus tertius dignior Prælatus dicit voce intelligibili: Pater noster.

Quod secrete complet, et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam, seu lectum, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, tertio aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante; et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, et similiter Cruci reverentiam faciet transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum, et ad locum suum

redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificabit tertio in qualibet parte laterali thuribulum ducens; et cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans intelligibili voce dicet versiculos:

Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue Domine animam ejus.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

INclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: ut animam famuli tui N. quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas; et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita, omnes similiter sedent cum mitra, et Chorus cantat Responsorium ton. 6.

NE recorderis peccata mea Domine, * Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.* Dum veneris.

℣. Requiem æternam, etc. * Dum veneris.

Tunc duo Acolythi cum thuribulo et navicula, et aqua benedicta, et aspersorio accedent ad quartum et juniorem Prælatum sedentem in angulo ad dexterum pedem, et se ad ejus dexteram collocabunt. Incepto versiculo Requiem æternam, etc. Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum quartum digniorem Prælatum, qui ministrante Diacono naviculam, imponet thus in thuribulum; finito Responsorio, Chorus cantat:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Et cum dicitur primum Kyrie eleison, surgunt omnes detectis capitibus, et ultimo Kyrie eleison dicto, prædictus quartus Prælatus dicit voce intelligibili:

Pater noster.

Quod secrete complet, et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam, seu lectum, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera,

tertio aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante; et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit; et similiter Cruci reverentiam faciet transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum, et ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificabit tertio in qualibet parte laterali thuribulum ducens; et cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans intelligibili voce dicet versiculos:

Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Absolve, quæsumus, Domine, animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita, omnes similiter sedent cum mitra, et Chorus cantat Responsorium ton. 1.

Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda: * Quando cæli movendi sunt et terra: * Dum veneris judicare sæculum per ignem.

℣. Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. * Quando cæli movendi sunt et terra.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde. * Dum veneris.

℣. Requiem æternam, etc. Libera me Domine.

Tunc duo Acolythi cum thuribulo et navicula, et aqua benedicta, et aspersorio accedent ad dexteram Prælati, qui Missam celebravit.

Incepto versiculo Requiem æternam, etc. Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum Prælatum, qui ministrante Diacono naviculam, imponet thus in thuribulum; finito Responsorio, Chorus cantat: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Et cum dicitur primum Kyrie eleison, surgunt omnes de-

tectis capitibus, et ultimo Kyrie eleison dicto, prædictus Prælatus dicit voce intelligibili:

Pater noster.

Quod secrete complet, et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam, seu lectum, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, tertio aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante, et fimbrias pluvialis sublevante; et dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit; et similiter Cruci reverentiam faciet transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum, et ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificabit tertio in qualibet parte laterali thuribulum ducens; et cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante faldistorium stans intelligibili voce dicet versiculos:

Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. A porta inferi.
℟. Erue Domine animam ejus.
℣. Requiescat in pace.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Absolve, quæsumus Domine, animam famuli tui N. ut defunctus sæculo, tibi vivat: et quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Deinde dicit idem Pontifex benedicens lectum:
℣. Requiem æternam dona eis Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.

Tum duo ex cantoribus dicunt alta voce:
Requiescant in pace. ℟. Amen.

Quo dicto, Prælati ipsi, qui mitris utuntur, illas recipiunt; et omnes eo ordine, quo venerunt, revertuntur ad sacristiam, vel alium locum idoneum, ubi deponunt sacras vestes, et ad propria quisque revertitur.

Absolutiones istas quatuor, vel quinque non semper in omnibus exequiis fieri convenit, sed tantum in primis exequiis, quæ fieri solent post obitum.

In exequiis vero anniversariis non debent fieri hujusmodi quatuor absolutiones, sed una tantum per Prælatum celebrantem post Missam; vel si adesset castrum doloris, vel alius locus, quo eundum esset ad absolvendum, Celebrans solus paratus ut supra, præcedente Cruce cum omnibus ministris superius narratis, et sequentibus cum suis Capellanis accedat ad castrum doloris, et ibidem dispositis ministris, ut supra dictum est, stans ante suum faldistorium in capite lecti, dicit Orationem:

Non intres in judicium cum servo tuo, etc. in tono prædicto; qua finita, sedent, et chorus cantat responsorium, Libera me, Domine, etc. et Kyrie eleison, ut supra.

Prælatus vero imponit incensum, ac aspergit, et incensat lectum ordine, quo supra dictum est; et demum dicit unam ex quinque præfatis Orationibus, quam maluerit; et in fine dicto responsorio Requiem æternam, etc. ordine, quo venit, revertitur ad sacristiam, vel alium locum deputatum; et ibidem depositis paramentis, recedit ad propria. Quod similiter servari poterit etiam in primis exequiis, ubi commode quatuor Prælati, qui post Missam, ut supra dictum est, absolvant, haberi non poterunt.

DE SCRUTINIO

SEROTINO, QUO ANTIQUI UTEBANTUR ANTEQUAM ELECTUS IN EPISCOPUM CONSECRARETUR.

Scrutinii serotini ordo hic erat. Sabbato ante Dominicam ad consecrandum Electum statutam, hora vespertina Metropolitanus residebat super faldistorium in atrio Ecclesiæ, vel in alio solito, vel quo maluerat loco, paratum. Et suffraganei Episcopi duo ad minus ad hoc specialiter convocati, a dextris et sinistris ejus super faldistoria similiter residebant, parati supra rochetum, vel (si essent Regulares) supra superpelliceum, amictu, alba, cingulo, stola, pluviali, coloris tempori convenientis, mitra, baculum pastoralem in sinistra, et libros Pontificales ante se tenentes.

Tunc Archipresbyter, vel Archidiaconus Ecclesiæ, ad quam in crastino consecrandus erat Electus, vel alius juxta morem Ecclesiæ, paratus amictu, alba, cingulo, et pluviali, vel casula, si moris erat, deductus medius inter duos Canonicos ejusdem Ecclesiæ veniebat coram Metropolitano, et flexis a remoto genibus, a Metropolitano benedictionem petebat, dicens in tono lectionis: Jube domne benedicere.

Respondebat Metropolitanus sedens eodem tono, voce minori:
Nos regat, et salvet cælestis conditor aulæ.

Deinde idem Archipresbyter, vel Archidiaconus surgens appropinquabat se paululum, et iterum genuflectens benedictionem simili modo petebat, dicens:
Jube domne benedicere.

Et Metropolitanus respondebat:
Nos Dominus semper custodiat, atque gubernet.

Tertio propinquius Metropolitano genuflexus coram illo tertiam benedictionem petebat, dicens:
Jube domne benedicere.

Respondebat Metropolitanus:
Gaudia cælorum det nobis rector eorum.

Benedictione itaque completa, interrogabat eum Metropolitanus coram se genuflexum:
Fili mi, quid postulas?

Respondebat Archidiaconus:
Ut Deus et Dominus noster concedat nobis Pastorem.

Interrogatio.

Est de vestra Ecclesia, vel de alia?

Respondebat:

De nostra.

Interrogatio.

Quid vobis complacuit in illo?

Respondebat:

Modestia, humilitas, patientia, et cæteræ virtutes.

Interrogatio.

Habetis decretum?

Respondebat:

Habemus.

Metropolitanus dicebat:
Legatur.

Tunc proferebatur, et legebatur decretum, hoc modo:

Reverendissimo in Christo Patri Domino N. Metropolicæ sedis dignitate conspicuo, Capitulum N. Ecclesiæ totius devotionis famulatum. Credimus non latere vestram celsitudinem, quod nostra Ecclesia suo sit viduata pastore. Qua siquidem solatio proprii destituta rectoris, ne grex Dominicus perfidorum luporum morsibus pateret, et ne improbi fieret præda raptoris, communi voto atque consensu elegimus nobis in Pontificem N. Presbyterum nostræ Ecclesiæ, vel N. Ecclesiæ, si non sit de ipsa, virum utique prudentem, hospitalem, moribus ornatum, castum, sobrium, et mansuetum, Deo et hominibus per omnia placentem, quem ad cel-

situdinis vestræ dignitatem deducere curavimus; unanimiter postulantes, et obsecrantes a vestra Reverendissima Paternitate nobis illum Pontificem ordinari; quatenus, auctore Domino, nobis velut idoneus Pastor præesse valeat, et prodesse; nosque sub ejus sacro regimine Domino semper militare condigne possimus. Ut autem omnium nostrum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic Canonico decreto propriis manibus roborando nos subscripsimus.

Et quilibet scribens dicebat sic:
Ego N. scripsi, et subscripsi,

et sic de aliis. Lecto decreto, prosequebatur Metropolitanus, et dicebat:
Videte, ne aliquam promissionem vobis fecerit, quia simoniacum, et contra Canones est.

Respondebat:

Absit.

Et Metropolitanus dicebat.
Ducatur.

Tunc Archidiaconus, vel Archipresbyter, exhibito dicto decreto ipsi Metropolitano, revertebatur cum Canonicis sicut venerant ad vestiarium, et ibi deponebant vestes. Accensis autem cereis, Electus adhuc jejunus, pluviali albi coloris, supra superpelliceum paratus ducebatur processionaliter coram Metropolitano, præcedentibus eum Canonicis Ecclesiæ, ad quam erat Electus, Archidiacono et Archipresbytero Ecclesiæ Metropolitanæ hinc et inde ipsum deducentibus, qui stans convenienter remotus a Metropolitano, flexis genibus petebat intelligibili voce benedictionem, dicens:
Jube domne benedicere.

Metropolitanus sedens, in eodem tono, voce minori dicebat:
Lux de luce Patris sacro vos lumine lustret.

Deinde surgens, et procedens paululum, iterum genua flectebat, dicens:
Jube domne benedicere.

Metropolitanus respondebat:
Protegat, et salvet nos Christus conditor orbis.

Rursum surgens adhuc paululum appropinquans, et genuflectens, dicebat tertio:
Jube domne benedicere.

Metropolitanus respondebat:
Sedibus a superis veniat benedictio nobis.
℟. Amen.

Tum interrogabat eum coram se genuflexum Metropolitanus:

Fili mi, quid postulas?

Respondebat electus:

Reverendissime Pater, Confratres mei elegerunt me (licet indignum) sibi esse Pastorem.

Interrogatio.

Quo honore fungeris?

Respondebat:

Presbyteratus, vel talis.

Interrogatio.

Quot annos habes in Presbyteratu?

Respondebat:

Decem, vel tot.

Si vero forsan ipsa die, vel infra breve tempus fuerat ab eo in Presbyterum ordinatus, respondebat:

Tu scis Domine.

Interrogatio:

Habuisti conjugium?

Respondebat:

Minime.

Si forte habuerat, et per ipsum Consecratorem ejus electio examinata, et confirmata fuerat, tunc respondebat:

Tu scis Domine.

Interrogatio:

Disposuisti domui tuæ?

℟. Disposui.

Interrogatio.

Qui libri leguntur in Ecclesia tua?

℟. Pentateuchus, Prophetæ, Evangelium, Epistolæ Pauli, Apocalypsis, et reliqui.

Interrogatio:

Nosti Canones?

℟. Doce me Domine.

Vide cum ordinationes feceris, certis temporibus facias, jejunio primi, quarti, septimi, et decimi mensis. Bigamos, sive spurios, aut curiales, aut de servili conditione ad sacros Ordines non promoveas. A simoniaca vero hæresi te omnino custodias. Dabitur tamen tibi edictum de scrutinio nostro, qualiter debeas conversari. Vide autem, ne aliquam promissionem propterea feceris, quia simoniacum, et contra Canones est. ℟. Absit.

Metropolitanus dicebat:

Tu videris. Quia ergo omnium in te vota conveniunt, hodie abstinebis, et cras, Deo annuente, consecraberis.

℟. Præcepisti Domine.

Sed si expediebat, Metropolitanus dispensabat cum illo, ut comederet, et deputabat ei aliquem discretum de sua Ecclesia confessorem, cui consecrandus peccata sua confitebatur; et mox consecrando ad terram prostrato Metropolitanus sedens cum mitra incipiebat, schola prosequente, Antiphonam ton. 8.

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Psalmus. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus. pag.88.

Totus dicebatur cum Gloria Patri, etc. Deinde repetebatur Antiphona. Qua dicta, Metropolitanus deposita mitra surgebat, et stans versus ad consecrandum prostratum dicebat:

℣. **Salvum fac servum tuum Domine.**
℟. **Deus meus sperantem in te.**
℣. **Esto ei Domine turris fortitudinis.**
℟. **A facie inimici.**
℣. **Nihil proficiat inimicus in eo.**
℟. **Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.**
℣. **Domine exaudi orationem meam.**
℟. **Et clamor meus ad te veniat.**
℣. **Dominus vobiscum.**
℟. **Et cum spiritu tuo.**

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere huic famulo tuo N. et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ: ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cæpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Metropolitanus detecto capite Crucem ante se habens benedicebat populo, dicens:

Sit nomen Domini, etc.

Qua data, singuli ad propria revertebantur.

Die Dominica, qua consecratio fieri debebat, parabantur Ecclesia et Capellæ, credentia, paramenta, et omnia alia supra in principio consecrationis Electi posita. Deinde veniebant Metropolitanus, Electus, et Episcopi assistentes ad Ecclesiam, et in Capellis suis se induebant, ut supra, **pag.44.** quibus paratis, et Metropolitano in faldistorio ante altare sedente, adducebatur Electus medius inter assistentes Episcopos; et facta reverentia Metropolitano, senior assistentium Episcoporum stans deposita mitra, dicebat:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.

Metropolitanus dicebat:

Scitis illum esse dignum?

Respondebat Episcopus:

Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scimus, et credimus illum dignum esse.

Metropolitanus respondebat:

Deo gratias.

Tunc omnibus sedentibus, ut supra dictum est, Metropolitanus intelligibili voce, et assistentes Episcopi submissa voce faciebant examinationem supra scriptam, videlicet: Antiquam sanctorum, etc. et omnia alia suo ordine, prout supra sunt ordinata, pag. 46. usque ad finem examinis. Quo completo, et manu Metropolitani per Electum osculata, idem Electus ante Metropolitanum genuflexus, ante se habens schedulam scriptam, jurabat, et præstabat fidelitatis debitæ solitum juramentum Metropolitano in hunc modum:

Ego N. Ecclesiæ N. vocatus Episcopus, promitto in conspectu omnipotentis Dei, atque totius Ecclesiæ, quod ab hac hora in antea fidelis et obediens ero perpetuo more prædecessorum meorum, beato N. sanctæque Ecclesiæ N. nominando Ecclesiam Metropolitanam, et vobis Domino meo N. Dei gratia ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo, vestrisque successoribus canonice intrantibus, prout est a sanctis Patribus institutum, et Ecclesiastica ac Romanorum Pontificum commendat auctoritas. Non ero in consilio, aut consensu, vel in facto, ut vitam perdatis, aut membrum, aut capiamini mala captione. Consilium, quod mihi per vos, aut per litteras, vel per nuntium credituri estis, ad damnum vestrum, me sciente, nulli pandam. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Vos quoque, et nuntios vestros, ac Ecclesiam N. nominando Ecclesiam Metropolitanam, quos certos esse cognovero, in eundo, stando, et redeundo, honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo; possessiones vero ad mensam mei Episcopatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo contra jus, vel consuetudinem Ecclesiæ meæ alienabo, vobis, vel vestris successoribus inconsultis.

Deinde librum Evangeliorum, quem Metropolitanus coram eo apertum super genibus tenebat, Electus ambabus manibus supra scripturam tangebat, dicens:

Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia:

Quo facto, sigillum suum litteræ juramenti hujusmodi pro majori illius robore appendebat, seu appendi faciebat, et eam Metropolitano tradebat.

Tunc deposita mitra, surgebat Metropolitanus, et faciebat Confessionem, et procedebatur in omnibus et per omnia, prout supra ordinatum est, pag.52. usque Ad multos annos, inclusive.

Quo per consecratum dicto, Metropolitanus tradebat consecrato edictum scriptum hujusmodi tenoris:

DIlecto nobis fratri et Coepiscopo N. salutem in Domino sempiternam. Quoniam, ut credimus, divino te nutu vocante, Capitulum N. Ecclesiæ unanimiter elegerunt rectorem, et ad nos usque perducentes, petierunt Episcopum consecrari; et ideo, auxiliante Domino, testimonium illis reddentibus de conscientia tua, ob utilitatem ipsius Ecclesiæ, per manus nostræ impositionem te Episcopum consecravimus. Amodo, frater charissime, scias te maximum pondus suscepisse laboris, quod est sarcina regiminis animarum, et commodis servire multorum, omniumque fieri minimum atque ministrum, et pro credito tibi talento in die examinis et judicii rationem redditurum. Nam si Salvator noster dicit: Non veni ministrari, sed ministrare; et animam suam posuit pro ovibus suis; quanto magis nos inutiles servi summi patrisfamilias debemus maximo cum sudore incumbere, oves Dominicas a summo nobis Pastore consignatas ad ovile Dominicum, suffragante divina gratia, absque morbo vel macula perducere? Exhortamur ergo dilectionem tuam, ut fidem, quam in exordio tuæ consecrationis breviter lucideque digessimus, illibatam et inviolabiliter custodias; quia fides omnium virtutum fundamentum est. Scimus quod ab infantia sacris es litteris eruditus, et canonicis institutis edoctus; attamen breviter ad te nobis dirigendus est sermo. Ordinationes ergo cum feceris, secundum Canones atque Apostolicam Ecclesiam aptis temporibus fac; id est, mensis primi, quarti, septimi, et decimi. Vide, ut manus cito nemini imponas, neque communices peccatis alienis; bigamos, vel curiales, aut servum cujuslibet ad sacrum Ordinem nequaquam promoveas; nec neophitum, ne secundum Apostoli sententiam in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli: sed eos in sacrosancta Ecclesia ordinare stude, qui ætatem habeant maturitatis, et apud Deum et homines fideliter vixerint, et deinceps vivere studeant. Et hoc cavendum est tibi, et quasi venenum pestiferum rejiciendum, ne avaritia surripiat cor tuum; ut per quodlibet munus acceptum manus impositionem alicui tribuas,

et in simoniacam hæresim, quam Salvator noster omnimode detestatur, in præceps ruas. Memento quia gratis accepisti, gratis et da; secundum enim Vatis eloquium: Qui projicit avaritiam, et excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt, Regem in decore videbunt oculi ejus. Temetipsum mitem castumque custodias. In habitaculum tuum aut raro, aut numquam mulieri sit ingressus. Omnes puellas et virgines Christi aut æquanimiter ignora, aut æquanimiter dilige, nec de præterita castitate confidas, quia neque Samsone fortior, nec David sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior. Quando autem ob animarum lucrum visitationis causa in collegium, vel infra septa ingressus fueris ancillarum Dei, non solus introeas, sed tales tecum adhibe socios, de quorum contubernio non diffameris: quia oportet Episcopum irreprehensibilem esse, et testimonium habere bonum ad omnes; ut ne quis ex eo scandalum sumat; scandalizanti enim unum de pusillis scimus quanta animadversio a Domino comparetur. Prædicationi insta; verbum Dei plebi tibi commissæ affluenter, et melliflue, ac distincte, in quantum rore cælesti perfusus fueris, prædicare non desinas. Scripturas divinas sæpius lege; imo (si potest fieri) lectio sancta in manibus tuis, maximeque in pectore tuo semper inhæreat: ipsam vero lectionem oratio interrumpat; ad instar namque speculi anima tua in ipsam sedulo respiciat; ut vel quæ incorrecta sunt, corrigat, vel quæ pulcra sunt, amplius exornet. Disce quod sapienter doceas, amplectens eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Permane in his, quæ didicisti, et credita sunt tibi eloquia divinæ dispensationis. Paratus semper esto ad satisfactionem. Nec confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia tua loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo ipse non facis quod jubes? Recognosce magister, qui turgidum ventrem ferre videris, quomodo mihi de jejuniis prædicas? Furta atque perjuria possunt etiam detestari latrones, et avaritiam cupidi. Vita igitur tua irreprehensibilis fiat; in ipsa filii tui regulam sumant; ex ipsa quidquid in eis minus correctum fuerit, corrigant; ex ipsa videant quod diligant; cernant quod imitari festinent; ut ad exemplum tuum omnes fideli studio vivere compellantur. Sit erga subjectos tuos solicitudo laudabilis. Exhibeatur cum mansuetudine disciplina, cum discretione correctio. Iram benignitas mitiget, benignitatem zelus exacuat; ita et alterum ex altero

condiatur ; ut nec immoderata ultio , ultra quam oportet , affligat , neque iterum frangat rectorem remissio disciplinæ. Itaque boni te dulcem , pravi asperum sentiant correptorem ; in qua videlicet correptione hunc esse ordinem noveris observandum , ut personas diligas , et vitia persequaris ; ne si aliter agere fortasse volueris , transeat in crudelitatem correctio, et perdas per irremissam iram , quos emendare per discretionem debueras. Sic enim vulnera convenit te abscindere , ut non facias ulcerari, quod sanum esse videtur ; neque si plus , quam res exegerit , ferrum incisionis impresseris , noceas, cui prodesse festinas. Nec dicimus , ut in te delinquentibus non te ostendas ultorem , et vitia nutriri permittas, sed hortamur , ut in judicio semper misericordia misceatur , ut possis cum Propheta fiducialiter dicere: Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine. Sit in te Pastoris pietas, amabilisque dulcedo, et secundum canonicas regulas severa districtio, videlicet , ut innocenter viventes leniter foveas , et inquietos perfidosque feriendo a pravitate compescas. Nullius faciem in judicio aspicias, ut nec divitem potentia sua apud te extollere possit , nec pauperem propter paupertatem humilitatemque ipsius, exasperatio tua de re quam suggerat, humiliorem reddat. Substantiam Ecclesiæ, quam ad dispensandum suscipis, fideliter ac discrete erogare ne dissimules. Scias te alienum esse dispensatorem , ut in te Dominicum impleatur eloquium , dicens : Fidelis servus et prudens , quem constituit Dominus super familiam suam , ut det illis escam in tempore. Hospitalitatem sectare. Misericordem , prout vires suppetunt , pauperibus te exhibe : quia , qui obturat aurem ad clamorem eorum , ut non exaudiat , ipse clamabit , et non exaudietur. Viduæ , orphani, pupillique te benignissimum Pastorem ac tutorem se habere gaudeant. Oppressis defensio tua subveniat. Illis autem , qui opprimunt , vigor tuus efficaciter contradicat. Et ita cuncta, Deo adjuvante, præmunias, ut lupus sæviens , sequacesve illius adhuc in carne vitam agentes , h[illegible] illucque debacchantes , et animas innocentium laniare cupientes , in ovile Dominicum ingrediendi ad perdendas animas locum non habeant. Nullius te favor extollat , nulla adversitas atterat , id est , ut nec in prosperis cor tuum elevetur , neque in adversis in aliquo dejiciatur ; sed omnia et in omnibus caute et cum discretione agere te volumus , ut absque reprehensione ab omnibus vivere comproberis. Sancta Trinitas fraternitatem tuam sua protectione incolumem custodiat , ut dum tali moderamine in Deo nostro onus , quod suscepisti , peregeris, in die æternæ retributionis, eo dicente , audire me-

rearis: Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui: Quod ipse tibi præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, in sæcula sæculorum. Amen.

Quo tradito, ibunt omnes, quilibet ad locum suum ad se exuendum.

DE BARBA TONDENDA

Quando primo Clericis barbæ tondentur, dici debet, Pontifice sedente cum mitra, Antiphona:

Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion: sic descendat super te Dei benedictio.

Psalmus. Ecce quam bonum, cum Gloria Patri, et Sicut erat in principio, etc. prout supra sub benedictione Abbatis, pag. 68. Quo expleto, repetitur tota Antiphona. Sicut ros Hermon, etc. Qua finita, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus ad illum dicit:

Oremus.

Deus, cujus providentia omnis creatura incrementis adulta congaudet: preces nostras super hunc famulum tuum juvenilis ætatis decore lætantem, et primis auspiciis attondendum exaudi; ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, ævoque largiore provectus, cælestem bene ✠ dictionem accipiat, et præsentis vitæ præsidiis gaudeat, et futuræ. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

DE OFFICIO
PSALMISTATUS.

Psalmista, id est, Cantor, potest sola jussione Presbyteri Officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero:

Vide, ut quod ore cantas, corde credas; et quod corde credis, operibus comprobes.

Et si Episcopus Clericum ordinans hæc faciat, bene facit.

Si Officium Psalmistatus collatum olim fuerit degradando, post degradationem a prima tonsura, si velit Pontifex, dicit:

Quia quod ore cantasti, corde non credidisti, nec opere implevisti; ideo cantandi officium in Ecclesia Dei a te amovemus.

PONTIFICALIS ROMANI FINIS.

FORMA
CONFIRMATIONIS
ET ORDINUM
UNI TANTUM CONFERENDORUM
EX EODEM PONTIFICALI DEPROMPTA.

CONFIRMATIO UNIUS.

Confirmationi conferendæ necessaria. Chrisma; Stuppa, aut Gossipion ad tergendum frontem ei, qui non habet vittam; Bacile cum Buccali; Manutergium; Medulla panis.

Confirmando necessaria. Prævia Confessio; Patrinus, vel Matrina; Vitta linea munda.

Pontifex supra Rochetum, vel (si sit Regularis) supra superpelliceum paratus amictu, stola et pluviali albi coloris, cum mitra simplici, et baculo pastorali, vel si hoc Sacramentum minus solemniter conferatur, stola alba supra mozettam, et mitra simplici paratus, accedit ad faldistorium ante medium Altaris, si sit in aliqua Capella, aut in alio convenienti loco sibi paratum, et sedens brevi sermone alloquitur adstantes et Confirmandum: quo facto, lavat manus, deinde deposita mitra surgit, et versa facie ad Confirmandum ante se genuflexum, junctis manibus dicit:

Spiritus Sanctus superveniat in te, et virtus Altissimi custodiat te a peccatis. ℟. Amen.

Deinde signans se manu dextera a fronte ad pectus signo Crucis, dicit:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Tum extensis versus Confirmandum manibus, dicit:

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum tuum (vel hanc famulam tuam) ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum: emitte in eum (vel in eam) septiformem Spiritum tuum Sanctum paraclitum de cælis. ℟. Amen.

Spiritum sapientiæ et intellectus.
℟. Amen.
Spiritum consilii et fortitudinis. ℟. Amen.
Spiritum scientiæ et pietatis. ℟. Amen.

ADimple eum (vel eam) Spiritu timoris tui, et consigna eum (vel eam) signo Cru ✠ cis Christi, in vitam propitiatus æternam. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Pontifex accepta mitra sedet in faldistorio, et inquisito Confirmandi nomine sibi per Patrinum, vel Matrinam flexis genibus præsentati, et summitate pollicis dexteræ manus Chrismate intincta, dicit:

N. Signo te signo Cru ✠ cis, quod dum dicit, producit pollice signum Crucis in fronte illius; deinde prosequitur:
Et confirmo te Chrismate salutis. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Deinde leviter eum in maxilla cædit, dicens:
Pax tecum.

Unctione peracta, Pontifex tergit cum mica panis, et lavat pollicem et manus super pelvim, et aqua lotionis cum pane funditur in piscinam sacrarii.

Interim dum lavat manus, legitur a ministris sequens Antiphona:
Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.
℣. Gloria Patri, etc. Sicut erat, etc.

Deinde repetitur Antiphona: qua repetita, Pontifex deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, junctis ante pectus manibus, dicit:
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores cæteris fidelibus tradendum esse voluisti: respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, et præsta; ut illius cor, cujus frontem sacro Chrismate delinivimus, et signo sanctæ Crucis signavimus, idem Spiritus Sanctus in eo (vel in ea) superveniens templum gloriæ suæ

dignanter inhabitando perficiat: Qui cum Patre et eodem Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, in sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Deinde dicit:

Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum.

Et vertens se ad Confirmatum, et faciens super eum signum Crucis, dicit:

Bene ✠ dicat te Dominus ex Sion, ut videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ, et habeas vitam æternam.
℟. Amen.

DE CLERICO
FACIENDO.

Tonsuræ conferendæ necessaria. Forfices pro incidendis capillis; Bacile minus pro illis imponendis; Gremiale.

Tonsurando necessaria. Confirmatio ante suscepta; Attestatio baptismi; Prævia Confessio; Tunica talaris; Superpelliceum; Candela, si intra Missarum solemnia Tonsura recipiatur; Oratio: Dominus pars hæreditatis, etc. memoriter.

Si extra Missarum solemnia, quocumque scilicet die, hora et loco minus solemniter Tonsura conferatur, Pontifex supra rochetum, vel (si sit Regularis) supra superpelliceum stola alba, supra mozettam, et mitra simplici paratus, accedens ad faldistorium ante medium Altaris, si sit in Capella, vel in loco convenienti sibi paratum, sedet.

Vel si ante immediate, vel post Missam privatim celebratam conferatur, Pontifex deposita planeta, vel ea indutus, et mitra simplici, accedens ad faldistorium ante medium altaris positum, sedet.

Vel denique si Tonsuram tantum in privatæ Missæ celebratione, cum mitra simplici, aut etiam cum aliquo ex majoribus Ordinibus intra Missarum solemnia Pontificaliter paratus conferat Episcopus; In Missa de Sabbato ante Dominicam Passionis, et in aliis Missis, in quibus non dicitur Gloria in excelsis, post Introitum, Tonsura conferri debet. In Missis vero de Quatuor temporibus, de Sabbato sancto, et in aliis Missis, in quibus dicitur Gloria in excelsis, dicto Kyrie eleison, ad Tonsuram proceditur.

Pontifice igitur sedente in faldistorio vocatur Tonsurandus nominatim: et respondens: Adsum, accedit: tum facta profunda reverentia Pontifici, genuflectit coram illo.

Deinde surgit Pontifex cum mitra, et dicit:

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.
℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

OREmus, fratres charissimi, Dominum nostrum Jesum Christum pro hoc famulo suo, qui ad deponendum comas capitis sui pro ejus amore festinat, ut donet ei Spiritum Sanctum, qui habitum Religionis in eo in perpetuum conservet, et a mundi impedimento, ac sæculari desiderio cor ejus defendat; ut sicut immutatur in vultu, ita dextera manus ejus, virtutis tribuat incrementa, et ab omni cæcitate spirituali et humana oculos ejus aperiat, et lumen ei æternæ gratiæ concedat: Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Post hæc sedente Pontifice, schola, seu ministri inchoant, et prosequuntur Antiphonam, et Psalmum sequentes:

Tu es Domine qui restitues hæreditatem meam mihi.

Psalmus 15.

COnserva me Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus: * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Repetitur Antiphona Tu es Domine, etc.

Incepto Psalmo, Pontifex cum forficibus incidit Tonsurando extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte. in occipitio, et ad utramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum, et in bacile deponit, dicente eo qui tondetur:

Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.

Tonso Clerico, Pontifex deposita mitra surgit, et stans versus ad illum, dicit:

Oremus.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus: ut hic famulus tuus, cujus hodie comas capitis pro amore divino deposuimus, in tua dilectione perpetuo maneat, et eum sine macula in sempiternum custodias. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Tunc schola, seu ministri inchoant, et prosequuntur Antipho-

nam et Psalmum sequentes: qua incepta, Pontifex sedet cum mitra.

Ant. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Psalmus 23.

DOmini est terra, et plenitudo ejus; * orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde: * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis, et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri, etc. Sicut erat, etc.

Repetitur Antiphona. Hic accipiet, etc.

Qua finita, Pontifex deposita mitra surgit, et conversus ad altare, dicit:

Oremus.

Et ministri dicunt:

Flectamus genua. ℟. Levate.

Pontifex versus ad Tonsum, dicit:

ADesto Domine supplicationibus nostris: et hunc famulum tuum bene✠dicere dignare, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ religionis imponimus; ut te largiente et devotus in Ecclesia tua persistere, et vitam percipere mereatur æternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum Pontifex accepta mitra sedet, et acceptum præ manibus superpelliceum Tonsum totaliter induit, dicens:

Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia, et sanctitate veritatis.

Quo expedito, Pontifex deposita mitra surgit, et versus ad illum dicit:

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, propitiare peccatis nostris, et ab omni servitute sæcularis habitus hunc famulum tuum emunda; ut dum ignominiam sæcularis habitus deponit, tua semper in ævum gratia perfruatur; ut sicut similitudinem coronæ tuæ eum gestare facimus in capite, sic tua virtute hæreditatem subsequi mereatur æternam in corde: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex accepta mitra sedet, et Clericum sic alloquitur:

Filli charissime, animadvertere debes, quod hodie de foro Ecclesiæ factus sis, et privilegia clericalia sis sortitus. Cave igitur, ne propter culpam tuam illa perdas; et habitu honesto, bonisque moribus, atque operibus Deo placere studeas: Quod ipse tibi concedat per Spiritum Sanctum suum. ℟. Amen.

Dic semel septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, Versiculis, et Orationibus, et Omnipotentem Deum etiam pro me ora.

DE MINORIBUS

ORDINIBUS UNI TANTUM CONFERENDIS.

Minoribus conferendis necessaria. Claves Ecclesiæ in aliqua pelvicula; Campanula, si non adsint campanæ majores; Codex Lectoris; Liber exorcismorum, vel Pontificale, seu Missale; Candelabrum cum cereo extincto; Urceoli vacui; Hostia cum Mappa pro Ordinandi communione, si Ordines intra Missam recipiat.

Ordinando necessaria. Prævia Confessio; in Capillis modestia; Corona minorum Ordinum; Tunica talaris; Superpelliceum; Candela pro Offertorio, si Ordines intra Missam recipiantur.

Si extra Missarum solemnia, Dominicis diebus scilicet, et festivis in mane tantum, minus solemniter conferantur; Pontifex supra rochetum, vel (si sit Regularis) supra superpelliceum stola alba, supra mozettam, et mitra simplici paratus, accedens ad faldistorium ante medium altaris sibi paratum, sedet.

Vel si ante immediate, vel post Missam privatim celebratam conferantur, Pontifex sine, vel cum planeta, et mitra simplici accedens ad faldistorium, sedet.

Vel denique si minores tantum Ordines in privata Missæ celebratione, cum mitra simplici, aut etiam cum aliquo ex majoribus Ordinibus intra Missarum solemnia Pontificaliter paratus conferat Episcopus. In Missa de Sabbato ante Dominicam Passionis, et in aliis Missis, in quibus non dicitur Gloria in excelsis, post Kyrie eleison, omnes minores Ordines conferantur. In Missis vero de Sabbato sancto, et in aliis Missis, in quibus dicitur Gloria in excelsis, eo dicto, ad quatuor minores Ordines proceditur. In Missis autem de Quatuor Temporibus, dicta prima Lectione ordinatur Ostiarius, post secundam Lectionem Lector, post tertiam Exorcista, post quartam Acolythus.

Dum igitur Pontifex ante medium altaris, in faldistorio sibi parato sedet, renibus altari versis, Archidiaconus, aut alius minister vocat Ordinandum dicens:

Accedat qui ordinandus est ad officium Ostiariorum. Mox Notarius appellat eum nomine suo, qui respondens: Adsum, accedit, et facta profunda Pontifici reverentia genuflectit coram eo. Tum Pontifex illum admonet dicens:

Uscepturus, fili charissime, officium Ostiariorum, vide quæ in domo Dei agere debeas. Ostiarium oportet percutere cymbalum, et campanam: aperire Ecclesiam et sacrarium, et librum aperire ei qui prædicat. Provide igitur, ne per negligentiam tuam, illarum rerum, quæ intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat; certisque horis domum Dei aperias fidelibus, et semper claudas infidelibus. Stude etiam, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem aperis et claudis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis tuis claudas diabolo, et aperias Deo; ut divina verba, quæ audierint, corde retineant, et opere compleant: Quod in te Dominus perficiat per misericordiam suam.

Hujusmodi admonitiones non fiunt Cardinali, nec Episcopo electo.

Deinde Claves Ecclesiæ, quas manu dextera tangit ordinandus, traduntur a Pontifice dicente:

Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.

Post hæc Archidiaconus, vel alius vices ejus tenens ducit eum ad ostium Ecclesiæ, aut Capellæ, et facit illum claudere et aperire, tradit etiam illi Archidiaconus funem campanarum, faciens eum campanas, aut illarum defectu campanulam pulsare; deinde reducit illum ad Pontificem, quo coram Pontifice genua flectente, stans cum mitra Pontifex versus ad ipsum, dicit:

DEum Patrem omnipotentem, fratres charissimi, suppliciter deprecemur, ut hunc famulum suum bene ✠ dicere dignetur, quem in officium Ostiariorum eligere dignatus est: ut sit ei fidelissima cura in domo Dei diebus ac noctibus, ad distinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini, adjuvante Domino nostro Jesu Christo: Qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum mitra deposita, stans Pontifex, et conversus ad altare dicit:

Oremus.

Et ministri subjungunt:

Flectamus genua.

℟. Levate.

Et statim Pontifex conversus ad genuflexum stans sine mitra, dicit:

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hunc famulum tuum in Officium Ostiariorum: ut inter janitores Ecclesiæ tuo pareat obsequio, et inter electos tuos partem tuæ mereatur habere mercedis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

DE ORDINATIONE

LECTORIS.

POntifex in faldistorio ante medium altaris posito, reassumpta mitra sedet; tum Archidiaconus vocat Lectorem hoc modo:

Accedat qui ordinandus est ad officium Lectorum.

Mox per Notarium, ut supra, nominatum et genuflexum admonet Pontifex dicens:

ELectus, fili charissime, ut sis Lector in domo Dei nostri, officium tuum agnosce, et imple. Potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam perfectionis æternæ. Lectorem siquidem oportet legere ea, quæ (vel ei qui) prædicat; et lectiones cantare, et benedicere panem, et omnes fructus novos. Stude igitur verba Dei, videlicet Lectiones sacras distincte, et aperte ad intelligentiam, et ædificationem fidelium absque omni mendacio falsitatis proferre; ne veritas divinarum lectionum incuria tua ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legis, corde credas, et opere compleas;

quatenus auditores tuos, verbo pariter et exemplo tuo docere possis. Ideoque dum legis sta in alto loco Ecclesiæ, ut ab omnibus audiaris, et videaris, figurans positione corporali te in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audiris, et videris, cælestis vitæ formam præbeas: Quod in te Deus impleat per gratiam suam.

Deinde Pontifex accipit, et tradit Ordinando Codicem, de quo lecturus est, quem manu dextera tangit, Pontifice interim dicente:

Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.

Stans Pontifex cum mitra conversus ad genuflexum dicit:

OREmus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem in ordine Lectorum dignatur assumere, bene ✠ dictionem suam clementer effundat: quatenus legat distincte, quæ in Ecclesia Dei legenda sunt, et eadem operibus impleat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum: Qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex, mitra deposita, stans conversus ad altare dicit:

Oremus.

Ministri subjungunt:

Flectamus genua. ℟. Levate.

Deinde stans conversus ad Ordinatum genuflexum sine mitra dicit:

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hunc famulum tuum in officium Lectoris: ut assiduitate Lectionum instructus sit, atque ordinatus; et agenda dicat, et dicta opere impleat; ut in utroque sanctæ Ecclesiæ exemplo sanctitati suæ consulat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

DE ORDINATIONE EXORCISTÆ.

POntifice in faldistorio ante medium altaris posito sedente cum mitra, vocatur Exorcista per Archidiaconum modo consueto.

Accedat qui ordinandus est ad officium Exorcistarum.

Mox per Notarium ut supra nominatum et genuflexum admonet Pontifex, dicens:

ORdinandus, fili charissime, in officium Exorcistarum, noscere debes quid suscipis. Exorcistam etenim oportet abjicere dæmones, et dicere populo, ut, qui non communicat, det locum; et aquam in ministerio fundere. Accipis itaque potestatem imponendi manum super Energumenos; et per impositionem manuum tuarum, gratia Spiritus Sancti, et verbis exorcismi, pelluntur spiritus immundi a corporibus obsessis. Stude igitur, ut sicut a corporibus aliorum dæmones expellis, ita ab animo tuo, et corpore omnem immunditiam, et nequitiam ejicias; ne illi succumbas, quem ab aliis tuo effugas ministerio. Disce per officium tuum vitiis imperare, ne in tuis moribus aliquid sui juris inimicus valeat vindicare. Tunc etenim recte in aliis dæmonibus imperabis, cum prius in teipso eorum omnimodam superas nequitiam: Quod tibi Dominus agere concedat per Spiritum suum Sanctum.

Post hæc acceptum Exorcismi librum tradit Pontifex, vel illius loco Pontificale, seu Missale, et dum ordinandus librum tangit manu dextera, dicit Pontifex:

Accipe, et commenda memoriæ, et habe potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.

Postea stans cum mitra Pontifex conversus ad genuflexum dicit:

DEum Patrem omnipotentem, fratres charissimi, suppliciter deprecemur, ut hunc famulum suum bene ✠ dicere dignetur in officium Exorcistarum: ut sit spiritualis imperator ad abigendos dæmones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum conversus ad altare, deposita mitra, dicit:

Oremus.

Et ministri:

Flectamus genua. ℟. Levate.

Mox conversus ad Ordinatum genuflexum dicit:

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hunc famulum tuum in officium Exorcistarum: ut per impositionem manuum, et oris officium, potestatem et imperium habeat spiritus immundos coercendi, ut probabilis sit medicus Ecclesiæ tuæ gratia curationum, vir-

tuteque cælesti confirmatus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. **Amen.**

DE ORDINATIONE
ACOLYTHI.

Pontifex in faldistorio ante medium altaris, reassumpta mitra sedet, tum Archidiaconus Acolythum vocat dicens: **Accedat qui ordinandus est ad officium Acolythorum.**

Mox nominatum ut supra, et genuflexum admonet Pontifex, dicens:

Suscepturus, fili charissime, officium Acolythi, pensa quod suscipis. Acolythum etenim oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum et aquam ad Eucharistiam ministrare. Stude igitur susceptum officium digne implere. Non enim Deo placere poteris, si lucem Deo manibus præferens, operibus tenebrarum inservias, et per hoc aliis exempla perfidiæ præbeas. Sed juxta quod Veritas dicit: Luceat lux tua coram hominibus; ut videant opera tua bona, et glorificent Patrem tuum qui in cælis est. Et secundum quod ait Apostolus Paulus: In medio nationis pravæ et perversæ luceas sicut luminare in mundo, verbum vitæ continens. Sint ergo lumbi tui præcincti, et lucernæ ardentes in manibus tuis, ut sis filius lucis. Abjicias opera tenebrarum, et induaris arma lucis. Eras etenim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filius lucis ambula. Quæ sit vero ista lux, quam tantopere inculcat Apostolus, ipse demonstrat, subdens: Fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate. Esto igitur solicitus in omni justitia, bonitate, et veritate, ut et te, et alios, et Dei Ecclesiam illumines. Tunc etiam in Dei sacrificio digne vinum suggeres et aquam, si tu ipse Deo sacrificium per castam vitam et bona opera oblatus fueris: Quod tibi Dominus concedat per misericordiam suam.

Post hæc accipit et tradit Pontifex Acolytho candelabrum cum candela extincta, quod ipse manu dextera tangit, Pontifice dicente:

Accipe ceroferarium cum cereo, et scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini.
℟. **Amen.**

Tum accipit et tradit urceolum vacuum, quem similiter tangere debet Acolythus; et dicit Pontifex:

Accipe urceolum, ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi. In nomine Domini. ℟. Amen.

Postea stans Pontifex cum mitra versus ad eum genuflexum, dicit:

DEum Patrem omnipotentem, fratres charissimi, suppliciter deprecemur, ut hunc famulum suum bene ✠ dicere dignetur in ordine Acolythorum: quatenus lumen visibile manibus præferens, lumen quoque spirituale moribus præbeat: Adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex stans sine mitra, et convertens se ad altare, dicit:

Oremus.

Et ministri:

Flectamus genua. ℟. Levate.

Et mox Pontifex conversus ad Acolythum genuflexum, dicit:

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, et Apostolos ejus, in hunc mundum lumen claritatis tuæ misisti, quique ut mortis nostræ antiquum aboleres chirographum, gloriosissimæ illum Crucis vexillo affigi, ac sanguinem et aquam ex latere illius pro salute generis humani effluere voluisti, bene ✠ dicere dignare hunc famulum tuum in officium Acolythorum; ut ad accendendum lumen Ecclesiæ tuæ, et ad suggerendum vinum et aquam ad conficiendum Sanguinem Christi Filii tui in offerenda Eucharistia sanctis altaribus tuis fideliter subministret. Accende Domine cor ejus et mentem ad amorem gratiæ tuæ; ut illuminatus vultu splendoris tui, fideliter tibi in sancta Ecclesia deserviat. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui ad Moysen et Aaron locutus es, ut accenderentur lucernæ in tabernaculo testimonii: bene ✠ dicere dignare hunc famulum tuum, ut sit Acolythus in Ecclesia tua. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, fons lucis, et origo bonitatis, qui per Jesum Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusque passionis mysterio redemisti: bene ✠ dicere dignare hunc famulum tuum, quem in officium Acolythorum consecramus, poscentes clementiam

tuam, ut ejus mentem et lumine scientiæ illustres, et pietatis tuæ rore irriges; ut ita acceptum ministerium te auxiliante peragat, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereatur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Deinde Pontifex accepta mitra sedet, et ad minores Ordines ordinatum sic alloquitur:

Fili dilectissime, diligenter considera Ordines per te susceptos: stude sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possis acquirere, quam ipse tibi per suam misericordiam concedere dignetur.

Dic semel septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, Versiculis, et Orationibus, et omnipotentem Deum etiam pro me ora.

DE ORDINATIONE
SUBDIACONI.

Missæ celebrandæ pro sacris ordinibus conferendis necessaria. Altare decentiori Pallio. coloris convenientis, Tobaleisque mundis ornatum; Tapete super gradus altaris extendendum; Pulvinus; Faldistorium; quatuor Candelabra cum Cereis albis; Crux in medio altaris, ad cujus pedem Tabella Secretarum; Tabella Evangelii, In principio in cornu Evangelii; Pontificalia ornamenta secundum seriem sub initium Missalis descripta, in medio altaris præparata, et oblongo velo coloris paramentorum cooperta; Mitra simplex in medio altaris; Baculus pastoralis a latere Epistolæ; Missale cum cussino in cornu Epistolæ, in quo Missa diei; oratio pro Ordinando, Exaudi quæsumus Domine, circa finem Missalis edita; et Commemorationes, si quæ sint faciendæ, cum signaculis disponantur; Pontificale; Bugia super Credentiam; Calix cum purificatorio mundo desuper; Patena cum duabus Hostiis majoribus; una aut plures Particulæ, seu Hostiæ, si pluribus diversi conferuntur Ordines; Palla linea munda, non colorata, aut alterius materiæ; Velum parvum coloris paramentorum super ipsum Calicem; Bursa desuper ejusdem coloris, habens crucem in medio, et intus Corporale; Pelvicula cum Ampullis vitreis, quantum fieri potest, cum suis operculis, vino et aqua plenis; Bacile cum Boccali quadruplex; si vero Presbyteratus Ordo conferatur quintuplex; Manutergium cum medulla panis, et duæ aut plures Stolæ pro Sacerdotibus manuum impositionem cum Episcopo factu-

ris; Mappa pro Communione; Calix cum vino et mappula pro ordinandi Purificatione post communionem.

Ordinando Subdiacono. Mandatum Apostolicum, si ordinetur extra Tempora; Vestis talaris; Modestia in capillis; Corona Subdiaconalis; Prævia Confessio; Amictus; Alba; Cingulum; Manipulus et Tunicella albi coloris; Calix vacuus cum Patena superposita; Bacile cum Urceolis et Manutergio; Liber Epistolarum; Candela pro Offertorio.

Pontifex cum Pontificali paratus ut Subdiaconatus Ordinem conferat in Missis de Quatuor Temporibus, dicta quinta Lectione in cornu Epistolæ: in Missis vero et Sabbatis ante Dominicam Passionis, aut Resurrectionem Domini, aut in Missis de festivo die duplici, vel de Dominicis, dicta Collecta cum Oratione pro ordinandis sub una conclusione, et factis Commemorationibus, si quæ sint faciendæ; accepta mitra accedit ad faldistorium ante medium altaris sibi paratum, et sedet.

Tum Archidiaconus, aut illius locum tenens vocat ordinandum, et dicit:

Accedat qui ordinandus est Subdiaconus.

Deinde Notarius sub una ex triplici formula convenienti eum vocat, dicens:

N. ad titulum Ecclesiæ N.

N. ad titulum patrimonii sui.

Frater N. professus Ordinis N. ad titulum paupertatis.

Ordinandus vero, quisquis sit, respondet: Adsum, et accedit versus Episcopum, quem profunda reverentia salutat. Denique statim ordinandum Pontifex cum mitra sedens admonet, dicens:

Fili dilectissime, ad sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendus, iterum atque iterum considerare debes attente, quod onus hodie ultro appetis. Hactenus enim liber es, licetque tibi pro arbitrio ad sæcularia vota transire: quod si hunc Ordinem susceperis, amplius non licebit a proposito resilire; sed Deo, cui servire regnare est, perpetuo famulari; et castitatem, illo adjuvante, servare oportebit, atque in Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatum. Proinde, dum tempus est, cogita, et si in sancto proposito perseverare placet, in nomine Domini huc accede.

Hæc admonitio non fit Religiosis.

Illo tunc accedente, et genua flectente coram Pontifice, si sit alius ad altiorem Ordinem promovendus, Archidiaconus vocat eum, dicens:

Accedat qui ordinandus est Diaconus, vel Presbyter.

Mox Ordinandus super tapete se prosternit. Pontifex vero, cum Missa fiat sine cantu; super pulvinum genuflectit ante faldistorium, et incipit Litanias, dicens: Kyrie eleison, prosequendo totas, prout supra pag. 21. genuflexis respondentibus ministris:

Postquam autem dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis, etc.

℟. Te rogamus audi nos.

Pontifex surgit cum mitra, et baculum pastoralem in sinistra tenens, conversus ad Ordinandum, dicit:

Primo.

Ut hunc Electum bene ✠ dicere digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Secundo.

Ut hunc Electum bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Tertio.

Ut hunc Electum bene ✠ dicere, sancti ✠ ficare, et conse ✠ crare digneris.

℟. Te rogamus audi nos.

Si pluribus diversos Ordines conferat Pontifex, supradictam in plurali dabit benedictionem, dicens:

Ut hos Electos, etc. ut supra, pag. 23.

Deinde reddito baculo Pastorali, rursus ante faldistorium genuflectit Pontifex, et perficit Litanias, dicendo: Ut nos exaudire, etc.

Quibus finitis, surgens Pontifex cum mitra, sedet ut supra: si vero sit aliquis alius intra eadem Missarum solemnia ordinandus, alta voce dicit Archidiaconus, aut Capellanus vices illius gerens:

Recedat in partem qui ordinandus est Diaconus, vel Presbyter.

Tum Pontifex Subdiaconum ante se genuflexum admonet, dicens:

Accepturus, fili dilectissime, officium Subdiaconatus, sedulo attende quale ministerium tibi traditur. Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris præparare; Diaconō ministrare; pallas altaris et corporalia abluere; Calicem et Patenam in usum Sacrificii eidem offerre. Oblationes, quæ veniunt in altare, panes Propositionis vocantur: de ipsis oblationibus tantum debet in altari poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in Sacrario remaneat. Pallæ, quæ sunt in substratorio altaris, in alio vase

debent lavari, et in alio corporales pallæ. Ubi autem corporales pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari, ipsaque lotionis aqua in Baptisterium debet vergi. Stude itaque, ut ista visibilia ministeria, quæ diximus, nitide et diligentissime complens, invisibilia horum exemplo perficias. Altare quidem sanctæ Ecclesiæ, ipse est Christus, teste Joanne, qui in Apocalypsi sua altare aureum se vidisse perhibet stare ante thronum, in quo, et per quem oblationes fidelium Deo Patri consecrantur. Cujus altaris pallæ et corporalia sunt membra Christi, scilicet fideles Dei, quibus Dominus, quasi vestimentis pretiosis, circumdatur, ut ait Psalmista: Dominus regnavit, decorem indutus est. Beatus quoque Joannes in Apocalypsi vidit Filium hominis præcinctum zona aurea, id est, Sanctorum caterva. Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, præbenda est a vobis aqua cælestis doctrinæ, qua purificati, ad ornamentum altaris, et cultum divini Sacrificii redeant. Esto ergo talis, qui Sacrificiis divinis, et Ecclesiæ Dei, hoc est, Corpori Christi digne servire valeas, in vera et Catholica fide fundatus, quoniam, ut ait Apostolus: Omne quod non est ex fide, peccatum est, schismaticum est, et extra unitatem Ecclesiæ est. Et ideo, si usque nunc fuisti tardus ad Ecclesiam, amodo debes esse assiduus. Si usque nunc somnolentus, amodo vigil. Si usque nunc ebriosus, amodo sobrius. Si usque nunc inhonestus, amodo castus: Quod ipse tibi præstare dignetur, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.
℟. Amen. ✠

Deinde Pontifex adhuc sedens accipit, et ordinando Calicem vacuum tradit cum Patena vacua superposita, quem ille manu dextera tangit, Pontifice interim dicente:

Vide cujus ministerium tibi traditur: ideo te admoneo, ut ita te exhibeas, ut Deo placere possis.

Et Archidiaconus accipit, et tradit ei Urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutergio; quæ omnia similiter Ordinandus tangere debet.

Postea surgit Pontifex, et versus ad populum stans cum mitra dicit:

OREmus Deum, ac Dominum nostrum, fratres charissimi, ut super hunc servum suum, quem ad Subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat bene ✠ dictionem suam et gratiam: ut in conspectu ejus fideliter serviens, prædestinata Sanctis præmia consequatur: Adjuvante Domino nostro Jesu Christo: qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Tum deposita mitra, conversus ad altare Pontifex, dicit: **Oremus.**

Et ministri: **Flectamus genua.**

℟. **Levate.**

Mox Pontifex versus ad ordinandum genuflexum dicit sine mitra:

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, bene ✠ dicere dignare hunc famulum tuum, quem ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es: ut eum in sacrario tuo sancto strenuum solicitumque cælestis militiæ instituas excubitorem, sanctisque altaribus tuis fideliter subministret, et requiescat super eum Spiritus sapientiæ et intellectus; Spiritus consilii et fortitudinis; Spiritus scientiæ et pietatis; et repleas eum Spiritu timoris tui; ut eum in ministerio divino confirmes, ut obediens facto, ac dicto parens, tuam gratiam consequatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex sedens cum mitra, accipit amictum, qui in collo ordinandi jacet; imponitque super caput ejus, dicens:
Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Tum immittit Pontifex manipulum in sinistrum brachium ejusdem, dicens:
Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Post hæc Tunica illum totaliter induit, dicens:
Tunica jucunditatis, et indumento lætitiæ induat te Dominus: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Tandem tradit illi librum Epistolarum, quem tangit manu dextera, dicente interim Pontifice:
Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

His peractis, Archidiacono suggerente, Subdiaconus surgit, et facta Pontifici profunda reverentia, redit ad locum suum, et genuflectit. Tum Pontifex surgit, et accedit ad cornu Epistolæ, ubi deposita mitra prosequitur Missam.

Lecto autem Offertorio, Pontifex accepta mitra, in faldistorio ante medium altaris posito, sedet: mox Subdiaconus

candelam accensam dextera sustinens, sinistra pectori admota, accedit; tum facta Pontifici profunda reverentia, genuflectit, cujus manum dexteram, dum tradit candelam, osculatur: deinde surgit, et facta iterum reverentia, redit ad locum suum. Facta Oblatione, Pontifex Annulum et Chirothecas deponit, et lotis manibus, resumit Annulum, et surgit: sublatoque faldistorio, accedit ante medium altaris, ubi deposita mitra, prosequitur Missam; Secretæ diei Ordinandi Secreta adjuncta, sub uno **Per Dominum**, cum aliis Secretis, si quæ sint dicendæ.

Dum Pontifex dicit Orationem, **Domine Jesu Christe, qui dixisti, etc.** Subdiaconus accedit ad dexteram Pontificis, et Oratione dicta uterque simul osculatur altare, conversa facie ad invicem, Pontifex dat osculum pacis Subdiacono, dicens: **Pax tecum.** Cui ille respondet: **Et cum spiritu tuo.** Tum Subdiaconus, facta ante et post profunda reverentia Pontifici, et genuflexione SS. Sacramento, vadit ad locum suum.

Postquam vero Pontifex se communicaverit, et totum Sanguinem sumpserit, priusquam se purificet, Palla Calix tegitur; et ultra medium Corporalis ex parte Evangelii, non extra, ipsum collocatur. Tum Pontifex supponit Patenam Hostiæ, qua communicandus est ordinatus; qui ante medium altaris accedens, genuflexus dicit intelligibili voce: **Confiteor Deo, etc.** quo peracto, Pontifex facta genuflexione SS. Sacramento, surgit, et aliquantulum se retrahit ad cornu Evangelii; et versus ad ordinatum, junctis manibus, dicit, licet unicus sit communicandus.

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℟. **Amen.**

Indulgentiam, ✠ absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus. ℟. **Amen.**

Tum accedit ordinatus ad supremum altaris gradum, ubi genuflexus, et communicaturus mappulam recipit; Pontifex vero versus ad altare facit genuflexionem SS. Sacramento; deinde surgens, sinistra Patenam, dextera vero Hostiam reverenter accipit, quam aliquantulum elevatam tenet super Patenam, et conversus ad ordinatum in medio altaris, dicit: **Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:** mox ter subjungit, **Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.**

Tum accedens, ordinato porrigit SS. Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis super Patenam, et simul dicens: **Corpus ✠ Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.** Et respondet: **Amen.**

Tum manum Pontificis Hostiam tenentem, osculatur, et communionem reverenter sumit, ori ejus supposita Patena. Deinde unus ministrorum purificat Ordinatum Calice, aut alio vase cum vino ad hoc destinato; et cum Ordinatus os ad mappulam extersetit, redit ad locum suum.

Communione peracta, Pontifex colligit fragmenta Patenæ, quam super Calicem suum extergit, purificationem sumit cum digitorum ablutione; quo facto, mitram accipit, et lavat manus: quibus extersis, statim deposita mitra, stans in cornu Epistolæ Missam prosequitur, Postcommunioni diei Ordinandi Postcommunione adjuncta sub uno, Per Dominum, cum aliis Postcommunionibus, si quæ sint dicendæ.

Data Benedictione, ut moris est, et reddito baculo pastorali, sedet Pontifex in faldistorio ante medium altaris, posito: mox Ordinatus accedit, qui, facta profunda Pontifici reverentia, genuflectit; tum his verbis Subdiaconum aut Diaconum alloquitur Pontifex, dicens:

Fili dilectissime, diligenter considera Ordinem per te susceptum, ac onus humeris tuis impositum: stude sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possis acquirere: quam ipse tibi per misericordiam suam concedere dignetur. Ad Subdiaconatum (vel ad Diaconatum) ordinate, dic Nocturnum hujus diei; et Omnipotentem Deum etiam pro me ora.

Tum surgit Pontifex, et amoto faldistorio, convertit se ad cornu Evangelii, ubi deposita mitra, dicit intelligibili voce: Dominus vobiscum. Deinde, Initium sancti Evangelii secundum Joannem: In principio erat Verbum; et signat tabellam, in qua est Evangelium; aut (si deficiat) signat altare et se. Mox acceptis mitra et baculo, prosequitur; factaque Cruci debita reverentia in infimo gradu altaris, revertitur ad faldistorium, ubi exuitur sacris vestibus. Si vero aliud Evangelium sit dicendum, illud in cornu Evangelii dicit, eoque dicto, recedit ut prius.

DE ORDINATIONE
DIACONI.

Missæ celebrandæ pro Diaconatus Ordine conferendo necessaria, ut supra, pag. 372.

Ordinando Diacono. Mandatum Apostolicum, si ordinetur extra Tempora; Vestis Talaris; Modestia in capillis; Corona Diaconalis; Prævia confessio; Amictus; Alba; Cingu-

lum; Manipulus; Stola et Dalmatica albi coloris; liber Evangeliorum; Candela pro Offertorio.

Pontifex ritu Pontificali paratus, ut Ordinationem Diaconatus conferat, in Dominicis aut festivis diebus, aut statutis a jure temporibus, dicta Oratione pro Ordinando, Exaudi quæsumus Domine, etc. ut in fine Missalis habetur, cum Oratione diei sub uno Per Dominum, et factis aliis Commemorationibus, si quæ sint faciendæ, legit Epistolam; qua finita, accipit mitram, et accedens ad faldistorium ante medium altaris paratum, sedet.

Interim promovendus ad Ordinem Diaconatus per Archidiaconum, aut illius locum tenentem vocatur, dicendo:

Accedat qui ordinandus est ad Diaconatum.

Mox Ordinandus per Notarium nominatus accedit, et facta Pontifici profunda reverentia, genuflectit.

Tum Archidiaconus illum offerens Pontifici, sub his verbis loquitur, dicens:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Subdiaconum ad onus Diaconii ordinetis.

Pontifex interrogat, dicens:

Scis illum dignum esse?

Respondet Archidiaconus:

Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor ipsum dignum esse ad hujus onus officii.

Mox Pontifex respondet: Deo gratias.

Et ad ejus Ordinationem procedit. In primis Pontifex sedens cum mitra, Clero populoque annuntiat, dicens:

Auxiliante Domino Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus hunc præsentem Subdiaconum in ordinem Diaconii. Si quis habet aliquid contra illum, pro Deo, et propter Deum cum fiducia exeat, et dicat: verumtamen memor sit conditionis suæ.

Facta aliquali morula, Pontifex convertit orationem suam ad ordinandum, quem sic admonet:

Provehendus, fili dilectissime, ad Leviticum Ordinem, cogita magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascendis. Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, et prædicare. Sane in veteri lege, ex duodecim, una tribus Levi electa est, quæ speciali devotione tabernaculo Dei, ejusque sacrificiis, ritu perpetuo deserviret. Tantaque dignitas illi concessa est, quod nullus, nisi ex ejus stirpe, ad divinum illum cultum, atque officium ministraturus ascenderet;

adeo ut grandi quodam privilegio hæreditatis et Tribus Domini esse mereretur, et dici: quorum hodie, fili dilectissime, et nomen et officium tenes; quia in ministerium tabernaculi testimonii, id est, Ecclesiæ Dei eligeris in Levitico officio, quæ semper in procinctu posita, incessabili pugna contra inimicos dimicat: unde ait Apostolus: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus. Quam Ecclesiam Dei, veluti tabernaculum, portare et munire debes ornatu sancto, prædicatu divino, exemplo perfecto. Levi quippe interpretatur additus, sive assumptus. Et tu, fili dilectissime, qui ab hæreditate paterna nomen accipis, esto assumptus a carnalibus desideriis, a terrenis concupiscentiis, quæ militant adversus animam. Esto nitidus, mundus, purus, castus, sicut decet ministrum Christi, et dispensatorem mysteriorum Dei; ut digne addaris ad numerum Ecclesiastici gradus: ut hæreditas et tribus amabilis Domini esse merearis. Et quia comminister et cooperator es Corporis et Sanguinis Domini, esto ab omni illecebra carnis alienus: sic enim ait Scriptura: Mundamini, qui fertis vasa Domini. Cogita beatum Stephanum, merito præcipuæ castitatis ab Apostolis ad officium istud electum. Cura, ut quibus Evangelium ore annuntias, vivis operibus exponas; ut de te dicatur: Beati pedes evangelizantis pacem, evangelizantis bona. Habes pedes tuos calceatos Sanctorum exemplis, in præparatione Evangelii pacis: Quod tibi Dominus concedat per gratiam suam.

Deinde si non sit ordinatus Subdiaconus, ordinandus Diaconus se prosternit ad cornu Evangelii, vel ubi genuflectebat; Pontifex vero cum mitra ante faldistorium suum genuflectens recitat Litanias, pag. 21. Ordinandus autem per Pontificem benedicitur, prout supra, pag. 23. dictum est, in Ordinatione Subdiaconi. Post hæc ordinando ab accubitu surgente, et tamen genuflexo manente, Pontifex sedens in faldistorio cum mitra, intelligibili voce alloquitur Clerum et populum, dicens:

COmmune votum communis oratio prosequatur: ut hic totius Ecclesiæ prece, qui ad Diaconatus ministerium præparatur, Leviticæ bene ✠ dictionis ordine clarescat; et spirituali conversatione præfulgens, gratia sanctificationis eluceat: Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.

Deinde surgens cum mitra Pontifex, stans versus ad ordinandum, dicit alta voce legendo:

Oremus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem ad officium Diaconatus dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat; eique consecrationis indultæ propitius dona conservet, et preces nostras clementer exaudiat: ut quæ nostro gerenda sunt ministerio, suo benignus prosequatur auxilio; et quem sacris mysteriis exequendis pro nostra intelligentia credimus offerendum, sua bene ✠ dictione sanctificet et confirmet. Per unigenitum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum eo et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus.

Deinde deposita mitra, et extensis ante pectus manibus dicit:

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum dator, ordinumque distributor, atque officiorum dispositor, qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponis per Verbum, virtutem, sapientiamque tuam, Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia præparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cujus corpus, Ecclesiam videlicet tuam, cælestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentum templi tui crescere dilatarique largiris, sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens, electis ab initio Levi filiis, qui in mysticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent. Super hunc quoque famulum tuum, quæsumus Domine, placatus intende, quem tuis sacris altaribus serviturum in officium Diaconatus suppliciter dedicamus. Et nos quidem tamquam homines, divini sensus et summæ rationis ignari, hujus vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem Domine, quæ nobis sunt ignota non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor es secretorum; tu scrutator es cordium. Tu istius vitam cælesti poteris examinare judicio, quo semper prævales, et admissa purgare, et ea quæ sunt agenda, concedere.

Hic solus Pontifex extensam manum dexteram ponit super caput Ordinandi, dicens:

Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus: In nomine Domini.

Postea prosequitur ut prius extensam tenens manum dexteram usque in finem Præfationis.

EMitte in eum, quæsumus Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere roboretur. Abundet in eo totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritualis observantia disciplinæ. In moribus ejus præcepta tua fulgeant; ut suæ castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat; et bonum conscientiæ testimonium præferens, in Christo firmus et stabilis perseveret; dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Post hæc Pontifex sedens cum mitra, Ordinando ante se genuflexo stolam imponit super humerum sinistrum, dicens:

Accipe stolam ✠ candidam de manu Dei: adimple ministerium tuum; potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam: Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Faciens super Ordinandum signum Crucis; aliquis vero minister reflectet capita stolæ, et alligabit sub brachio dextero.

Deinde Pontifex accipiens Dalmaticam, ea totaliter induit Ordinandum, dicens:

Induat te Dominus indumento salutis, et vestimento lætitiæ, et Dalmatica justitiæ circumdet te semper: In nomine Domini. ℟. Amen.

Postremo Pontifex accipit, et Ordinando tradit librum Evangeliorum, quem manu dextera tangenti dicit:

Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: In nomine Domini.

℟. Amen.

Quo facto, Pontifex stans sine mitra ad altare conversus, dicit:

Oremus.

Et ministri: **Flectamus genua. ℟. Levate.**

Deinde vertens se ad Ordinatum, dicit:

EXaudi, Domine, preces nostras, et super hunc famulum tuum Spiritum tuæ bene ✠ dictionis emitte: ut

cælesti munere ditatus et tuæ majestatis gratiam possit acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Domine sancte, Pater Fidei, Spei, et Gratiæ, et profectuum remunerator, qui in cælestibus et terrenis Angelorum ministeriis ubique dispositis per omnia elementa voluntatis tuæ diffundis effectum: hunc quoque famulum tuum spirituali dignare illustrare affectu; ut tuis obsequiis expeditus, sanctis altaribus tuis minister purus accrescat, et indulgentia tua purior, eorum gradu, quos Apostoli tui in septenarium numerum beato Stephano duce ac prævio, Spiritu Sancto auctore, elegerunt, dignus existat; et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet, instructus, tibi complaceat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

His peractis, Archidiacono suggerente, Diaconus surgit, factaque Pontifici profunda reverentia, redit ad locum suum, ibique genuflectit: Pontifex vero surgit, et accedit ad cornu Epistolæ, ubi deposita mitra, prosequitur Missam, et se gerit in Offertorio suscipiendo, et in omnibus aliis, prout habetur supra, pag. 376. in Ordinatione Subdiaconi.

DE ORDINATIONE
PRESBYTERI.

Missæ celebrandæ pro conferendo Presbyteratus Ordine necessaria, ut supra pag. 372.

Ordinando Presbytero. Mandatum Apostolicum, si ordinetur extra Tempora; Vestis talaris; Modestia in capillis; Corona Sacerdotalis; Prævia Confessio; Amictus; Cingulum; Manipulus; Stola et Planeta albi coloris; Oleum Catechumenorum; Calix cum vino et aqua; Patena et Hostia desuper posita; Vitta linea pro sustentandis manibus post Unctionem, si sit consuetudo; Pelvis et Vas aquæ; Medulla panis et Manutergium pro Presbyterandi manuum lotione; Candela pro Offertorio; Missale ad legendam Missam cum Pontifice; Sacerdos adjuvans in Missæ recitatione.

Pontifex ornatu Pontificali indutus, ut Ordinem Presbyteratus conferat in Missis de Quatuor Temporibus, et

in Dominicis ac Festivis diebus a Dominica Septuagesimæ usque ad Pascha exclusive, ante ultimum versum Tractus. In Sabbato vero infra Octavam Pentecostes, et in festis quæ habent Sequentiam, ante ultimum Sequentiæ versum. In Dominicis autem et Festivis diebus per Annum, et per Adventum ante versum Alleluja, accipit mitram, et accedens ad faldistorium ante medium altaris sibi paratum, sedet.

Interim ad Ordinem Presbyteratus promovendum Archidiaconus, aut illius locum tenens, evocat, dicens:

Accedat qui ordinandus est ad Ordinem Presbyteratus.

Mox ordinandus per Notarium nominatus accedit, et facta Pontifici profunda reverentia, genuflectit.

Tum Archidiaconus illum offerens Pontifici, sub his verbis loquitur, dicens:

Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Diaconum ad onus Presbyterii ordinetis.

Et Pontifex interrogat, dicens:

Scis illum esse dignum?

Respondet Archidiaconus:

Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor ipsum dignum esse ad hujus onus officii.

Mox Pontifex dicit: Deo gratias.

Et annuntiat Clero et populo, dicens:

QUoniam, fratres charissimi, rectori navis, et navigio deferendis, eadem est vel securitatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra a Patribus institutum, ut de electione eorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus; quia de vita et conversatione præsentandi, quod nonnumquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis; et necesse est, ut facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando. Hujus siquidem Diaconi in Presbyterum, auxiliante Domino, ordinandi conversatio (quantum mihi videtur) probata, et Deo placita existit, et digna (ut arbitror) Ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortasse, vel paucos aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque, quid de ejus actibus, aut moribus noveritis, quid de merito sentiatis, libera voce tradatis; ac illi testimonium Sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illum, pro Deo, et propter Deum, cum fiducia exeat, et dicat: verumtamen memor sit conditionis suæ.

Postea Pontifex, aliqua interjecta morula, convertens sermonem suum ad ordinandum, admonet eum, dicens:

Consecrandus, fili dilectissime, in Presbyteratus officium, illud digne suscipere, ac susceptum laudabiliter exequi studeas. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, et baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum ut cælestis sapientia, probi mores, et diuturna justitiæ observatio ad id electos commendet. Unde Dominus præcipiens Moysi, ut septuaginta viros de universo Israel in adjutorium suum eligeret, quibus Spiritus Sancti dona divideret, suggessit: Quos tu nosti, quod senes populi sunt. Tu siquidem in septuaginta viris et senibus signatus es, si per Spiritum septiformem, decalogum Legis custodiens, probus et maturus in scientia similiter et in opere fueris. Sub eodem quoque mysterio, et eadem figura in novo Testamento Dominus septuaginta duos elegit, ac binos ante se in prædicationem misit; ut doceret verbo simul et facto, ministros Ecclesiæ suæ fide et opere debere esse perfectos; seu geminæ dilectionis, Dei scilicet et proximi virtute fundatos. Talis itaque esse studeas, ut in adjutorium Moysi, et duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet Catholicorum, qui per Moysen et Apostolos figurantur, digne, per gratiam Dei, eligi valeas. Hac certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur, et regitur; cum alii in ea Pontifices, alii minoris ordinis Sacerdotes, Diaconi et Subdiaconi diversorum ordinum viri consecrantur; et ex multis, et alternæ dignitatis membris unum Corpus Christi efficitur. Itaque, fili dilectissime, quem ad nostrum adjutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandum elegit, serva in moribus tuis castæ et sanctæ vitæ integritatem. Agnosce quod agis. Imitare quod tractas; quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrans, mortificare membra tua a vitiis et concupiscentiis omnibus procures. Sit doctrina tua spiritualis medicina populo Dei. Sit odor vitæ tuæ delectamentum Ecclesiæ Christi; ut prædicatione atque exemplo ædifices domum, id est, familiam Dei; quatenus nec nos de tua provectione, nec tu de tanti officii susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur: Quod ipse nobis concedat per gratiam suam. ℟. Amen.

Deinde si non sit ordinatus Subdiaconus, vel Diaconus, ordinandus Presbyter se prosternit ad cornu Evangelii, vel ubi genuflectebat: Pontifex vero cum mitra ante faldistorium suum genuflectens, recitat Litanias ut supra, pag. 21. Ordi-

nandus autem per Pontificem benedicitur prout dictum est in Ordinatione Subdiaconi.

Post hæc ordinando ab accubitu surgente, et ante Pontificem genuflexo manente, Pontifex cum mitra, stans ante faldistorium suum, simul utramque manum super ordinandi caput imponit nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes Presbyteri præsentes, superpelliceo et stola a collo pendente parati. Quo facto, tam Pontifex, quam Sacerdotes tenent dexteras manus extensas super illum, dum Pontifex stans, cum mitra, dicit:

Oremus, fratres charissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem ad Presbyterii munus elegit, cælestia dona multiplicet: et quod ejus dignatione suscipit, ipsius consequatur auxilio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pontifex, deposita mitra, conversus ad altare, dicit:

Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. ℟. Levate.

Et mox conversus ad ordinandum dicit:

Exaudi nos, quæsumus Domine Deus noster: et super hunc famulum tuum bene ✠ dictionem Sancti Spiritus, et gratiæ Sacerdotalis infunde virtutem; ut quem tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandum, perpetua muneris tui largitate prosequaris. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus.

Tum extensis manibus ante pectus dicit:

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum, et salutare nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, honorum auctor, et distributor omnium dignitatum; per quem proficiunt universa; per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et Sacerdotales gradus, atque officia Levitarum sacramentis mysticis instituta creverunt: ut cum Pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societatis et ope-

ris adjumentum, sequentis ordinis viros, et secundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes, Moysi spiritum propagasti; quibus ille adjutoribus usus, in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic et in Eleazarum et Ithamarum filios Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti; ut ad hostias salutares, et frequentioris officii sacramenta ministerium sufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Domine, Apostolis Filii tui Doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicationibus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine quæsumus, hæc adjumenta largire; qui quanto fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæsumus, omnipotens Pater, in hunc famulum tuum Presbyterii dignitatem; innova in visceribus ejus Spiritum sanctitatis; ut acceptum a te, Deus, fœcundi meriti munus obtineat; censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuet. Sit providus cooperator ordinis nostri; luceat in eo totius forma justitiæ, ut bonam rationem dispensationis sibi creditæ redditurus, æternæ beatitudinis præmia consequatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

His dictis, Pontifex sedet, et accepta mitra reflectit orarium, sive stolam ab humero sinistro ordinandi, capiens partem, quæ retro pendet, et imponens super dexterum humerum, aptat eam ante pectus in modum Crucis, dicens:

Accipe jugum Domini: jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.

Tum Pontifex imponit ordinando Casulam usque ad scapulas, remanentem tamen super humeros complicatam, et a parte anteriori deorsum dependentem, interim dicens:

Accipe vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem, et opuus perfectum.

℟. Deo gratias.

Surgit Pontifex sine mitra, et ordinando genuflexo dicit:

Deus sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio, plenaque benedictio est: tu, Domine, super hunc famulum tuum, quem ad Presbyterii honorem dedicamus, munus tuæ bene ✠ dictionis infunde; ut gravitate actuum, et censura vivendi probet se seniorem, his institutus disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit; ut in lege tua die ac nocte meditans, quod legerit, credat; quod crediderit, doceat; quod docuerit, imitetur; justitiam, constan-

tiam, misericordiam, fortitudinem, ceterasque virtutes in se ostendat; exemplo præbeat, admonitione confirmet, ac purum et immaculatum ministerii sui donum custodiat; et per obsequium plebis tuæ panem et vinum in Corpus et Sanguinem Filii tui immaculata benedictione transformet; et inviolabili charitate in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, in die justi et æterni judicii Dei, conscientia pura, fide vera, Spiritu Sancto plenus resurgat. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum Pontifex sine mitra conversus ad altare genuflectit ante faldistorium, et mox intelligibili voce incipit primum ℣. Hymni, Veni Creator Spiritus, pag. 36. et prosequuntur ministri cum astantibus, et dicitur usque ad finem.

Finito primo ℣. seu prima strophe, surgit Pontifex, et sedet in faldistorio ante medium altaris, et assumpta mitra deponit annulum, et chirothecas, resumit annulum, et ponitur ei gremiale, sive mappula super gremium a ministro, et ordinandus accedens, facta profunda reverentia coram eo, genuflectit; et Pontifex cum Oleo Catechumenorum inungit ipsi ambas manus simul junctas in modum Crucis, producendo cum pollice suo dextero in dictum Oleum intincto duas lineas, videlicet a pollice dexteræ manus, usque ad indicem sinistræ; et a pollice sinistræ usque ad indicem dexteræ, ungendo mox totaliter palmas, dicens:

Consecrare, et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem, et nostram bene ✠ dictionem. ℟. Amen.

Mox Pontifex producit manu dextera signum Crucis super manus illius, quem ordinat, et prosequitur:

Ut quæcumque benedixerint, benedicantur, et quæcumque consecraverint, consecrentur, et sanctificentur, In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Tum ordinandus respondet: Amen.

Deinde Pontifex claudit, seu jungit illi manus; quas sic consecratas aliquis ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet dexteram super sinistram, alligat, si consuetudo ferat.

Tum Pontifex pollice mica panis exterso, accipit, et ordinando tradit Calicem cum vino et aqua, et Patenam superpositam cum Hostia, et ipse illam accipit, inter indices et medios digitos, cuppam Calicis et Patenam simul tangens, dum Pontifex dicit:

Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini. ℟. Amen.

His peractis, ordinandus surgit, et facta Pontifici profunda reverentia, paululum recedit, et genuflectit. Pontifex vero amoto annulo, lavat manus cum mica panis, et aqua lotionis hujusmodi projicitur in sacrarium: tum acceptis chirothecis et annulo, surgit, et accedit ad cornu Epistolæ, ubi deposita mitra, prosequitur Missam usque ad Offertorium. Interim ordinatus Sacerdos stans lavat manus cum medulla panis, et aqua bene mundatas extergit linteo illo, quo erant ligatæ, vel alia mappula, et aqua lotionis hujusmodi projicitur in sacrarium; tum genuflectit.

Pontifex autem lecto Offertorio, accipit mitram, et in faldistorio ante medium altaris posito sedet. Mox ordinatus candelam accensam dextera sustinens, sinistra pectori admota, accedit; tum facta profunda reverentia genuflectit, et Pontificis manum dexteram, dum tradit cendelam, osculatur: deinde surgit, et facta iterum reverentia paululum retrocedens genuflectit; si vero aliquis sit ordinatus Subdiaconus, aut Diaconus, eadem observat ad oblationem accedens.

Facta oblatione, Pontifex annulum et chirothecas deponit, et lotis manibus, resumit annulum, et surgit; tum sublato faldistorio, accedit ante medium altaris, ubi, deposita mitra, prosequitur Missam.

Sacerdos autem ordinatus post Pontificem genuflexus habeat librum coram se dicens: Suscipe sancte Pater, etc. et omnia alia de Missa, prout dicit Pontifex, qui Secretas morose, et aliquantulum alte dicat: ita ut ordinatus Sacerdos possit secum omnia dicere, et præsertim verba Consecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatum, quo dicuntur per Pontificem.

Secreta pro ordinato, quæ dicitur cum Secreta Missæ diei sub uno Per Dominum, etc.

Tuis, quæsumus Domine, operare mysteriis: ut hæc tibi munera dignis mentibus offeramus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum dicit alias Secretas, si quæ dicendæ sint.

Dum Pontifex dicit Orationem, Domine Jesu Christe, qui, etc. ordinatus accedat ad dexteram Pontificis, et Oratione peracta, ambo simul osculantur altare, et conversa facie ad invicem, Pontifex dat osculum pacis ordinato dicens:

Pax tecum. Cui ille respondet: Et cum spiritu tuo. Tum ordinatus, facta ante et post profunda reverentia Pontifici, et genuflexione SS. Sacramento, vadit ad locum suum. Si vero sit aliquis Subdiaconus, aut Diaconus ordinatus, eodem ritu pacem a Pontifice recipit.

Postquam vero Pontifex se communicaverit, et totum Sanguinem sumpserit, priusquam se purificet, ordinatus Presbyter; non præmissa Confessione, nec data Absolutione, (quia concelebrat Pontifici) ad supremum Altaris gradum accedit, ubi genuflexus mappulam recipit ad Communionem sumendam. Interim Pontifex, Hostia consecrata super Patenam posita, genuflectit, surgit, et Patenam sinistra, Hostiam vero dextera reverenter accipiens, convertit se ad ordinatum Presbyterum, cui porrigit SS. Sacramentum, cum eo faciens signum Crucis super Patenam, et simul dicens: Corpus ✠ Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. Et respondet: Amen.

Tum manum Pontificis Hostiam tenentem osculatur, et communionem reverenter sumit, ori communicandi supposita Patena. Deinde unus ministrorum purificat Presbyterum Calice ad hoc destinato, vel eo potius quem paulo ante tetigerat, ex quo vinum cum aqua paratum in purificationem exhaurit.

Si aliquis Subdiaconus, aut Diaconus ordinatus, ad Communionem accedit, eo ritu quo dictum est supra in Ordinatione Subdiaconi pag. 377. Communione peracta, Pontifex colligit fragmenta Patena, quam super Calicem suum extergit, purificationem sumit, et digitorum ablutionem; quo facto, accipit mitram et lavat manus; quibus extersis, statim deposita mitra, stans in cornu Epistolæ, versus ad illud, inchoat, ministris prosequentibus, Responsorium, quod a Septuagesima usque ad Pascha dicitur sine Alleluja.

Jam non dicam vos servos, sed amicos meos, quia omnia cognovistis, quæ operatus sum in medio vestri, Alleluja.* Accipite Spiritum Sanctum in vobis paraclitum, * Ille est, quem Pater mittet vobis, Alleluja. ℣. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. * Accipite. Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto. * Ille est.

Incepto Responsorio, Pontifex, accepta mitra, vertit se ad Presbyterum ordinatum, qui ante altare coram ipso stans profitetur fidem, quam prædicaturus est, dicens:

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, na-

tus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem. Remissionem peccatorum. Carnis resurrectionem. Vitam æternam. Amen.

Quo finito, Pontifex cum mitra sedens super faldistorium, ante medium altaris, imponit ambas manus super caput illius coram se genuflexi, dicens illi:

Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.

Deinde explicans casulam, quam ordinatus habet complicatam super humeros, ea induit illum, dicens:

Stola innocentiæ induat te Dominus.

Tum genuflexus adhuc ordinatus ponit manus suas junctas inter manus Pontificis interim dicentis:

Si suus sit Ordinarius:

Promittis mihi, et successoribus meis reverentiam, et obedientiam?

Et ille respondet: Promitto.

Si vero Pontifex non est suus Ordinarius, cum manus ejus inter suas tenet, ut præfertur, dicit Presbytero sæculari: Promittis Pontifici Ordinario tuo, etc. Sacerdoti vero Regulari: Promittis Prælato Ordinario tuo, etc.

Promittis Pontifici, vel Prælato Ordinario tuo pro tempore existenti reverentiam, et obedientiam. Et ille respondet: Promitto.

Tum Pontifex, adhuc tenens manus illius inter suas, osculatur ipsum, dicens:

Pax Domini sit semper tecum. Et ille respondet: Amen.

His expletis, Pontifex sedens cum mitra, et baculo admonet eum, dicens:

Quia res, quam tractaturus es, satis periculosa est, fili dilectissime; moneo te ut diligenter totius Missæ ordinem, atque Hostiæ consecrationem, ac fractionem, et communionem ab aliis jam doctis Sacerdotibus discas, priusquam ad celebrandum Missam accedas.

Pontifex surgit cum mitra et baculo, et Presbytero coram eo adhuc genuflexo benedicit, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, descendat super te, ut sis benedi-

ctus in ordine Sacerdotali : et offeras placabiles Hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo : cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Post hæc depositis baculo et mitra, et amoto faldistorio, convertitur ad altare, et prosequitur Missam, dicens in cornu Epistolæ Communionem; et Postcommunioni Missæ diei adjungitur sub una conclusione sequens

Postcommunio.

Quos tuis, Domine, refecis Sacramentis, continuis attolle benignus auxiliis: ut tuæ redemptionis effectum, et mysteriis capiamus, et moribus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.
℟. Amen.

Deinde aliæ Postcommuniones, si quæ sint dicendæ. Tum Pontifex dicit: Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, prout tempus requirit: post hæc, Placeat tibi sancta, etc. Quo dicto, Pontifex, accepta mitra, dicit: Sit nomen Domini benedictum, et alios ℣℣. tum accepto pastorali baculo, dat solitam benedictionem.

Qua concessa, et reddito baculo, sedet Pontifex, et ordinatum Sacerdotem sub his verbis alloquitur:

Fili dilectissime, diligenter considera ordinem per te susceptum, ac onus humeris tuis impositum: stude sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possis acquirere, quam ipse tibi per misericordiam suam concedere dignetur.

Dic, post primam tuam Missam, tres alias Missas, videlicet, unam de Spiritu Sancto, aliam de beata Maria semper Virgine, tertiam pro Fidelibus Defunctis, et omnipotentem Deum etiam pro me ora.

Quod ille devote suscipit, et respondet se facturum.

Verum si pluribus Ordines, sed singulis diversos, contulerit, his verbis eos universim alloquetur Pontifex, dicens:

Filii dilectissimi, diligenter considerate Ordinem per vos susceptum, ac onus humeris vestris impositum: studete sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possitis acquirere, quam ipse vobis per suam misericordiam concedere dignetur.

Tum ad singulos ista singulariter dicit:

Clerico.	**Ad primam Tonsuram** vel	**Promote**
IV. Minoribus initiato.	**Ad Quatuor Minores Ordines.** **Dic semel septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, versiculis, et Orationibus.**	**Promote**
Subdiacono.	**Ad Subdiaconatum** vel	**Ordinate**
Diacono.	**Ad Diaconatum** **Dic Nocturnum hujus diei.**	**Ordinate**
Sacerdoti.	**Ad Presbyteratum** **Post primam tuam Missam dic tres alias Missas, videlicet, unam de Spiritu Sancto, aliam de Beata Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus Defunctis.**	**Ordinate**

Et omnipotentem Deum etiam pro me orate.

Quod illi devote suscipiunt, et respondent se facturos.

Tum surgit Pontifex, et amoto faldistorio, convertit se ad cornu Evangelii, ubi deposita mitra, dicit intelligibili voce: **Dominus vobiscum. Initium sancti Evangelii secundum Joannem, In principio erat Verbum, etc.** signat tabellam, in qua est Evangelium, aut (si deficiat) signat altare, et se. Mox, acceptis mitra et baculo, prosequitur. Factaque Cruci debita reverentia in infimo gradu altaris, revertitur ad faldistorium, ubi exuitur sacris vestibus. Si aliud Evangelium sit dicendum, illud dicit in cornu Evangelii; eoque dicto recedit, ut prius dicitur.

PONTIFICALIS RITUS

PRO BAPTISMO PARVULORUM.

Pontifex infantem, vel infantes, sive pueros, sacri Baptismatis unda immergere, seu perfundere volens, solitis indumentis in Secretario, vel alibi, ad ejus libitum, pluvialique violacei coloris, et mitra simplici paratus, et baculo pastorali accepto, Capellanis, vel aliis Presbyteris, et Clericis, superpelliceis indutis, qui ei assistant, ac ministrent,

præcedentibus, ad Ecclesiæ portam, extra quam expectant, qui infantem, vel infantes baptizandos detulerunt, procedit; ibique, deposito baculo, sedet cum mitra in faldistorio, ad ejusdem portæ limen, cum strato, et violacea veste præparato. Sicque sedens cum mitra, interrogat infantem, positum super brachium dexterum illius, qui eum defert, illum nomine proprio, eidem imposito, appellando, et dicens: (si plures fuerint baptizandi dicat singulariter singulis).

N. Quid petis ab Ecclesia Dei?

Patrinus respondet: Fidem.

Pontifex: Fides quid tibi præstat?

Patrinus respondet: Vitam æternam.

(etiam singulariter singulis).

Pontifex: Si igitur vis ad vitam ingredi, serva mandata: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut te ipsum.

Deinde surgat cum mitra, et ter exsufflet leniter in faciem infantis, et dicat semel: (singulariter singulis.)

Exi ab eo, immunde spiritus, et da locum Spiritui Sancto paraclito.

Postea sedet cum mitra, et cum pollice faciat signum Crucis in fronte, et in pectore infantis, dicens: Accipe signum Crucis tam in fronte ✠, quam in corde ✠: sume fidem cælestium præceptorum, et talis esto moribus, ut templum Dei jam esse possis.

Surgat inde, deposita mitra, et stans dicat Orationem manibus junctis, quod etiam in reliquis Orationibus observet. (in plurali pro omnibus.)

Oremus.

Preces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, et hunc electum tuum N. Crucis Dominicæ impressione signatum, perpetua virtute custodi: ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen (singulariter singulis.)

Deinde imponat manum super caput infantis, et adhuc sine mitra dicat: (in plurali pro omnibus.)

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos satanæ;

quibus fuerat colligatus: aperi ei, Domine, januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fætoribus careat, et ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde benedicturus salem (qui semel benedictus, alias ad eumdem usum deservire potest) accepta mitra, stans dicat: (sine mutatione pro omnibus.)

BENEDICTIO SALIS.

EXorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, et in charitate Domini nostri Jesu Christi ✠, et in virtute Spiritus Sancti ✠, exorcizo te per Deum vivum ✠, per Deum verum ✠, per Deum sanctum ✠, per Deum ✠, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit, ut in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum.

Hic deponat mitram, et adhuc stans prosequatur.

Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices ✠, et benedicendo benedicas ✠, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde sedeat cum mitra, et accipiens modicum salis benedicti, immittat in os infantis dicens: (singulariter singulis.)

N. Accipe salem sapientiæ: propitiatio sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

Pontifex: Pax tecum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Surgat inde deposita mitra, et dicat: (in plurali pro omnibus.)

Oremus.

DEus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius, et hoc primum pabulum salis gustantem, non diutius exurire permittas, quo minus cibo expleatur cælesti; quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eum, Domine quæsumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Accepta mitra, adhuc stans, dicit Exorcismum.

Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, ut exeas, et recedas ab hoc famulo Dei N. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit. Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo, et vero, da honorem Jesu Christo, Filio ejus, et Spiritui Sancto: et recede ab hoc famulo Dei N. quia istum sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, et benedictionem, fontemque Baptismatis vocare dignatus est.

Retenta mitra, adhuc stans, et pollice in fronte signans infantem dicit: (singulariter singulis.)

Et hoc signum sanctæ Cru ✠ cis, quod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, numquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. (singulis.)

Mox, deposita mitra, et adhuc stans, impositaque manu super caput infantis, dicit: (in plurali pro omnibus.)

O remus.

Æ Ternam, ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis, et veritatis, super hunc famulum tuum N. ut digneris illum illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum et sanctifica: da ei scientiam veram, ut dignus gratia Baptismi tui effectus, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Accipit mitram, et imposita extrema parte stolæ super infantem, introducit eum in Ecclesiam, præcedentibus omnibus, qui cum eo venerant, dicens: (in plurali pro omnibus.)

N. Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam æternam. ℟. Amen.

Cum fuerint Ecclesiam ingressi, Pontifex deponit mitram, et procedens ad fontem, usque ad cancellos exclusive, cum susceptoribus dicit clara voce, simul cum illis:

C Redo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli, et terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos, et mor-

tuos. Credo in Spiritum Sanctum: Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem: Vitam æternam. Amen.

PAter noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in cælo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos a malo. Amen.

Deinde accipit mitram, et prius quam accedat ad Baptisterium terga vertens ad ipsum, extra cancellos, dicat versus infantem.

Exorcismus.

EXorcizo te, omnis spiritus immunde, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, et in nomine Jesu Christi, Filii ejus, Domini, et judicis nostri ✠, et in virtute Spiritus Sancti ✠ ut discedas ab hoc plasmate Dei N. quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat templum Dei vivi, et Spiritus Sanctus habitet in eo. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Mox cum mitra, et adhuc stans, digito accipiat de saliva oris sui, et tangat aures, et nares infantis. Tangendo vero aurem dexteram, et sinistram, dicat: (singulariter singulis.)

Ephphetha, quod est, adaperire.

Deinde tangat nares, dicens:

In odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole; appropinquabit enim judicium Dei.

Postea sedens ibidem cum mitra, interrogat baptizandum nominatim, dicens:

N. Abrenuncias Satanæ?

Patrinus respondet: Abrenuncio.

Pontifex: Et omnibus operibus ejus?

Respondet Patrinus: Abrenuncio.

Pontifex: Et omnibus pompis ejus?

Respondet Patrinus: Abrenuncio.

Deinde Pontifex, adhuc sedens cum mitra, intingit pollicem in oleo Catechumenorum, et infantem ungit in pectore, et inter scapulas, in modum Crucis, dicens semel:

Ego te linio ✠ oleo salutis in Christo Jesu, Domino nostro, ut habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Deinde pollicem, et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili. Mox depositis mitra simplici, pluviali, et stola

violaceis, accipit stolam, et pluviale albi coloris, et mitram auriphrygiatam, et tunc ingreditur Capellam Baptisterii, ubi sedens ante ostium Fontis, interrogat expresso nomine baptizandum, Patrino respondente. N. Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ?
Patrinus respondet: Credo.
Pontifex: Credis in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, et passum?
Patrinus respondet: Credo.
Pontifex: Credis in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam?
Patrinus respondet: Credo.

Subinde, expresso nomine baptizandi, Pontifex adhuc sedens cum mitra, dicit:
N. Vis baptizari?
Patrinus respondet: Volo.

Si baptizet per immersionem, Pontifex mitram retinens, surgit, et accipit infantem: et advertens ne lædatur, caute caput ejus immergit in aquam, et trina mersione baptizans, semel tantum dicit:
N. Ego te baptizo in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

Mox Patrinus, vel Matrina, vel uterque simul, infantem de sacro Fonte levant, suscipientes illum de manu Pontificis.

Si vero Pontifex per infusionem baptizet, Patrino, vel Matrina, vel utroque (si ambo admittantur) infantem tenente, Pontifex, adhuc sedens cum mitra, vasculum, vel urceolum accipit cum aqua baptismali, et aliquo Capellano lancem supponente ad recipiendam aquam, ter de ea fundit super caput infantis in modum Crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte dicit: N. Ego te baptizo in nomine Pa ✠ tris, fundat primo, et Fi ✠ lii, fundat secundo, et Spiritus ✠ Sancti, fundat tertio.

Si vero dubitatur, an infans sit baptizatus, utatur hac forma: N. Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. (singulis ut supra.)

Deinde Pontifex sedens, et retinens mitram, intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit infantem in summitate capitis in modum Crucis, dicens:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, (hic inungit) ipse te liniat Chrismate salutis ✠ in eodem Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam. ℟. Amen.

Pontifex: Pax tibi.

℟. Et cum spiritu tuo.

Tum bombacio, aut re simili, abstergit pollicem suum, et locum inunctum. Deinde etiam sedens cum mitra, imponit capiti infantis linteolum candidum, loco vestis albæ, dicens:

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Postea, pariter sedendo cum mitra, dat infanti, vel Patrino, candelam accensam, dicens:

Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei, una cum omnibus Sanctis, in aula cælesti, habeasque vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

Postremo dicit, etiam sedendo cum mitra:

N. Vade in pace, et Dominus sit tecum.

℟. Amen.

Ac demum, sedens adhuc cum mitra, moneat susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre, et matre, et de obligatione, quam habent, ubi opus fuerit, opportune docendi baptizatum, tamquam filium spiritualem, fidei rudimenta: unde ad hujusmodi munus, qui ea ignorant, non admittantur.

Si vero fuerint plures baptizandi, masculi, seu fœminæ, in Catechismo, masculi statuantur ad dexteram, fœminæ vero ad sinistram; et omnia pariter dicantur ut supra in proprio genere, et in numero plurali. Quod si fuerint masculi, et fœminæ simul baptizandi, omnia dicantur in numero plurali, sed in genere masculino, etiam si sint plures fœminæ, quam masculi.

Quædam vero non in numero plurali pro omnibus, sed in numero singulari pro singulis dici oportet; in genere tamen masculino pro masculis, et in genere fœminino pro fœminis, ut notatur in Rituali Romano, in rubrica post baptismum parvulorum, sed nos pro majori commoditate adnotavimus in propriis locis in rubricis; itaut, quando dicitur in rubrica: singulariter singulis, intellige, quod illa verba, vel actiones usque ad aliam rubricam, dici, vel fieri debent singulariter singulis, et primum masculis, deinde fœminis, mutato solum genere, ut dictum est supra. Quando vero in rubrica dicitur: in plurali pro omnibus, quod illa verba usque

ad aliam rubricam, dici debent semel, sed pro omnibus in plurali, mutato solum genere, si omnes sint fæminæ.

Pontifex demum, completo Baptismate, sedens adhuc cum mitra, lavat manus more solito; et inde eodem comitatu, eodemque modo, quo baptizaturus accessit, eo, unde venerat, revertitur.

PONTIFICALIS RITUS

PRO ADULTORUM BAPTISMO.

Pontifex, adultos sacri Baptismatis unda mergere, seu perfundere volens, prius diligenter inquirat,

An adulti baptizandi in Christiana Fide, ac sanctis moribus sint instructi, et an scientes, et volentes ad Baptismum accedant.

Ne quis, jam baptizatus, imperitia, vel errore, aut ad quæstum, vel ob aliam causam, fraude, dolove, iterum baptizari velit.

In Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes, hujusmodi Baptismum solemniter ministrare curet: ni Catechumeni, rite instructi, Baptismum suum in longum tempus differri ægre ferant.

Cum igitur hujusmodi Baptismus ministrandus erit, disponantur suis locis sequentia:

In Secretario. Altare cum Cruce, et candelabris cum cereis: baculus pastoralis a latere Epistolæ.

Super altare autem. Mitra simplex, pectorale, pluviale, et stola coloris violacei, Crux pectoralis, cingulus albi coloris, alba, amictus, et si Pontifex erit Regularis, superpelliceum; omnia velo serico violaceo cooperta.

Item faldistorium cum veste, et pulvinis violaceis super tapete, ante idem altare.

Insuper sedes Pontificalis cum pulvino violaceo, et tapete, si Pontifex erit in propria Ecclesia.

In Abaco ejusdem Secretarii. Bacile, et buccale cum aqua; Mappæ pro gremio, et manibus; Candelabra duo cum cereis; Clava Cardinalitia, si Pontifex erit S. R. E. Cardinalis; liber Pontificalis, et bugia.

In Presbyterio, et Choro. Altare cum pallio violaceo, Cruce, et candelabris cum cereis. Faldistorium cum veste, et pulvinis violaceis super tapete; Sedes Pontificalis, tecta violaceis, si Pontifex, ut supra, erit in propria Ecclesia.

Ad valvas Ecclesiæ, et ad ostium cancellorum Baptisterii. Faldistorium coopertum veste violacea, super strato.

In Baptisterio. Fons late patens pro immersione Catechumeni; Faldistorium cum veste alba, et tria scabella circa illud super tapete, intra cancellos ante ostium Fontis.

In Abaco ejusdem Baptisterii. Pelvicula cum sale; Vascula duo, cum bombacio madido Sanctis Oleis; alterum Chrismatis, alterum Catechumenorum; Bombacium siccum pro abstersione locorum inunctorum; Paramenta albi coloris, videlicet, mitra auriphrygiata, pluviale, et stola, cooperta velo serico albo; Chrismalia, seu candidi linteoli, et vestes candidæ pro numero Neophytorum. Item et cerei eisdem tradendi; Vasa, cum mica panis ad lavandas manus; Mappæ ad eas tergendas, et pro gremio.

Pontifex igitur, paratis omnibus, de mane, in secretario lavat prius manus, deinde super rochetum, sive superpelliceum, si sit Regularis, accipit amictum, albam, cingulum, Crucem pectoralem, stolam, ac pluviale violacei coloris, pectorale, et mitram.

Postmodum, cum toto Clero suæ Ecclesiæ, ordine processionali accedit ante altare majus, vel ejusdem Secretarii, ubi genuflexus super faldistorio, deposita mitra, genuflectentibus pariter omnibus, pias mente ad Deum preces effundat, ut tantum Sacramentum digne valeat ministrare.

Deinde, ad implorandum Divinum auxilium, surgens, se signat, et dicit:

DEus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.
℟. Sicut erat in principio, et nunc et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Postea stans ibidem, incipiat, prosequentibus Clericis, Antiphonam:

Effundam super vos aquam mundam: et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, dicit Dominus.

Psalmus 8.

DOmine, Dominus noster: * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Incepto Psalmo, Pontifex accepta mitra, sedebit vel in sede, si fuerit in propria Ecclesia, vel in faldistorio in plano Epistolæ.

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cælos.
Ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: * ut destruas inimicum, et ultorem.
Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam, et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum: * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus: * oves, et boves universas insuper et pecora campi.

Volucres cæli, et pisces maris: * qui perambulant semitas maris.

Dómine, Dominus noster: * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Gloria Patri, et Filio: * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: * et in sæcula sæculorum. Amen.

Psalmus 28.

AFferte Domino filii Dei: * afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam, et honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: * Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute: * vox Domini in magnificentia.

Vox Domini confringentis cedros: * et confringet Dominus cedros Libani.

Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: * et dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis: * vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa: * et in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: * et sedebit Dominus Rex in æternum.

Dominus virtutem populo suo dabit: * Dominus benedicet populo suo in pace.

Gloria Patri, et Filio: * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: * et in sæcula sæculorum. Amen.

Psalmus 41.

QUemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: * ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: * quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte: * dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad Domum Dei.

In voce exultationis, et confessionis: * sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea? * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: * propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat, * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui * super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam: * et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: * dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? * et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: * exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus: * quare tristis es anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Gloria Patri, et Filio: * et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: * et in sæcula sæculorum. Amen.

Et repetitur Antiphona.

Effundam super vos aquam mundam: et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, dicit Dominus.

Completa Antiphona, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus altare dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. secreto usque ad ℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia majestatis adorare Unitatem: quæsumus,

ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis.

ADesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus: et quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu.

(In plurali pro pluribus, et in genere masculino, nisi omnes sint fœminæ.)

DA quæsumus, Domine, electo nostro; ut sanctis edoctus mysteriis, et renovetur fonte Baptismatis, et inter Ecclesiæ tuæ membra numeretur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex, accepta mitra, et baculo pastorali, procedit cum toto suo Clero, ut supra, ad fores Ecclesiæ: ibique in limine, deposito baculo, et retenta mitra, sedet in faldistorio. Catechizandus vero extra limen genuflectit, e regione Pontificis. Et si sint plures mares, et fœminæ, illi ad dexteram Pontificis, hæ vero ad sinistram statuantur.

Tum Pontifex, sedens cum mitra, interrogat Catechumenum. (singulariter singulis, si plures, usque ad Orationem.) Quo nomine vocaris?

Catechumenus respondet: N.

Pontifex: N. Quid petis ab Ecclesia Dei?

Respondet Catechumenus: Fidem.

Pontifex: Fides quid tibi præstat?

Respondet Catechumenus: Vitam æternam.

Pontifex: Si vis habere vitam æternam, serva mandata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut te ipsum: In his duobus mandatis tota Lex pendet, et Prophetæ. Fides autem est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in Unitate venereris, neque confundendo personas, neque substantiam separando. Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, sed horum trium una est substantia, et non nisi una Divinitas.

Et rursus interrogat: N. Abrenuncias Satanæ?

Respondet Catechumenus: Abrenuncio.

Interrogat: Et omnibus operibus ejus?

Respondet: Abrenuncio.

Interrogat: Et omnibus pompis ejus?

Respondet: Abrenuncio.

Deinde Pontifex interrogat de Symbolo Fidei, dicens:

CRedis in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli et terræ?

Respondet: Credo.

Interrogat: Credis in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, et passum?

Respondet: Credo.

Interrogat: Credis in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam.

Respondet: Credo.

Tunc Pontifex surgit cum mitra, et exsufflat ter in faciem ejus, semel dicens:

Exi ab eo spiritus immunde, et da locum Spiritui Sancto paraclito.

Hic in modum Crucis halet in faciem ipsius, et dicat:

N. Accipe Spiritum bonum per istam insufflationem, et Dei benedictionem ✠. Pax tibi.

℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde Pontifex sedet cum mitra, et facit Crucem cum pollice in fronte, et in pectore Catechumeni, dicens:

N. Accipe signum Crucis tam in fronte ✠, quam in corde ✠: sume fidem cælestium præceptorum. Talis esto moribus, ut templum Dei jam esse possis; ingressusque Ecclesiam Dei evasisse te laqueos mortis, lætus agnosce:

Et si Catechumenus venit de Gentilitatis errore, sive de Ethnicis, et Idololatris, dicat:

Horresce idola, respue simulacra.

Si ex Hebræis, dicat:

Horresce Judaicam perfidiam, respue Hebraicam superstitionem.

Si ex Mahumetanis, dicat:

Horresce Mahumeticam perfidiam, respue pravam sectam infidelitatis.

Si ex Hæreticis, et in ejus baptismo debita forma servata non sit, dicat:

Horresce hæreticam pravitatem, respue nefarias sectas impiorum N.

Exprimens proprio nomine sectam, de qua venit. Inde prosequatur:

Cole Deum omnipotentem, et Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

Si Catechumeni fuerint plures, Pontifex singulariter singulos interrogabit, repetendo:

Quo nomine vocaris? et, ut supra, cætera perficiendo.

Deinde surgit, et deposita mitra, dicit: (in plurali pro pluribus.)

Oremus.

TE deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut huic famulo tuo N. qui in hujus sæculi nocte vagatur incertus, ac dubius, viam veritatis, et agnitionis tuæ jubeas demonstrari: quatenus reseratis oculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Filio, et Filium in Patre cum Spiritu Sancto recognoscat, atque hujus confessionis fructum, et hic, et in futuro sæculo percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Mox sedens cum mitra signat signo Crucis cum pollice in fronte dicens: (singulariter singulis.)

SIgno tibi frontem ✠, ut suscipias Crucem Domini.
In auribus. Signo tigi Aures ✠, ut audias divina præcepta.
In oculis. Signo tibi Oculos ✠, ut videas claritatem Dei.
In naribus. Signo tibi Nares ✠, ut odorem suavitatis Christi sentias.
In ore. Signo tibi Os ✠, ut loquaris verba vitæ.
In pectore. Signo tibi Pectus ✠, ut credas in Deum.
In scapulis. Signo tibi Scapulas ✠, ut suscipias jugum servitutis ejus.

In toto corpore, illud non tangens, manu producit signum Crucis, et dicit:

Signo te totum in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, ut habeas vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde deposita mitra, surgit et dicat: (in plurali pro pluribus.)

Oremus.

PReces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi, et hunc electum tuum N. Crucis Dominicæ, cujus impressione eum signamus, virtute custodi: ut magnitudinis gloriæ tuæ rudimenta servans, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator: propitiare populis adoptivis, et novo testamento sobolem novæ prolis adscribe; ut filii promissionis, quod non potuerunt assequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

(Singulis) Tunc imponit manum super caput Electi, et stans sine mitra dicit: (in plurali pro pluribus.)

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cæcitatem cordis ab eo expelle: disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerat colligatus: aperi ei, Domine, januam pietatis tuæ, ut signo sapientiæ tuæ imbutus, omnium cupiditatum fœtoribus careat, et ad suavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in Ecclesia tua deserviat, et proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, percepta medicina. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde, stans cum mitra, benedicit salem. (sine mutatione.)

BENEDICTIO SALIS.

EXorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis ✠, in charitate Domini nostri Jesu Christi ✠, et in virtute Spiritus Sancti ✠: exorcizo te per Deum vivum ✠, per Deum verum ✠, per Deum sanctum ✠, per Deum ✠, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrari præcepit; ut in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare Sacramentum ad effugandum inimicum.

Hic, deposita mitra, et adhuc stans, prosequitur, dicens: Proinde rogamus te, Domine Deus noster, ut hanc creaturam salis sanctificando sanctifices ✠, et benedicendo benedicas ✠, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in visceribus eorum, in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Quod si Catechumenus fuerit Gentilis, seu ex Idololatris venerit ad fidem; benedicto sale, antequam ejus medicinam gustet, Pontifex, adhuc stans sine mitra, addat sequentem Orationem; quæ tamen pro venientibus ex Hebræis, vel aliis, ut supra, non dicitur. (in plurali pro pluribus.)

Oremus.

DOmine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es, qui eras, et qui permanes usque in finem, cujus origo nescitur, nec finis comprehendi potest: te supplices invocamus super hunc famulum tuum N. quem liberasti de errore gentilium, et conversatione turpissima; dignare exaudire eum, qui tibi cervices suas humiliat ad lavacri fontem, ut renatus

ex aqua, et Spiritu Sancto, expoliatus veterem hominem, induat novum, qui secundum te creatus est: accipiat vestem incorruptam, et immaculatam, tibique Deo nostro servire mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tunc Pontifex sedet cum mitra, et pollice, ac indice accipit de ipso sale benedicto, et immittit in os Catechumeni, dicens: (singulariter singulis)

N. Accipe salem sapientiæ: propitiatio sit tibi in vitam æternam. ℟. Amen.

℣. Pax tibi.

℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde sine mitra surgit, et stans dicit: (in plurali pro pluribus.)

Oremus.

DEus Patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis: te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propitius, et hoc primum pabulum salis gustantem, non diutius esurire permittas, quo minus cibo repleatur cælesti: quatenus sit semper spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens. Perduc eum, Domine, quæsumus, ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Si inter Catechumenos adsint fœminæ, recedant ipsæ in partem, quousque tertio dicatur masculis: Ora Electe etc. et hi signati fuerint in fronte.

Deinde Pontifex sedet cum mitra, et dicat Catechumeno stanti: (in plurali pro pluribus masculis tantum.)

ORa, Electe, flecte genua, et dic Pater noster.

Et Electus genu flexo orat, et dicit: Pater noster etc. Et cum dixerit usque ad Sed libera nos a malo inclusive, Pontifex dicit: Leva, comple orationem tuam, et dic Amen.

Electus surgens, respondet: Amen.

Pontifex dicit Patrino: Signa eum.

Deinde Electo: Accede.

Et Patrinus pollice signat Electum in fronte, dicens: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et Pontifex pariter facit signum Crucis in fronte ejus, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

(singulis.) Postea Pontifex sine mitra surgit, et stans imponit manum super Electum, et dicit: (in plurali pro pluribus masculis.)

Oremus.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et filios Israel de terra Ægypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die, ac nocte: te quæsumus, Domine, ut mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui similiter custodiat et hunc famulum tuum N. et perducat eum ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde accipit mitram, et adhuc stans dicit: (in plurali pro pluribus.)

Exorcismus.

ERgo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo, et vero: da honorem Jesu Christo, Filio ejus, et Spiritui Sancto: recede ab hoc famulo Dei N. quia istum sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: et hoc signum sanctæ Crucis ✠, (signat singulos)

QUod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

Pontifex sedet, retenta mitra, et dicit secundo Electo: (in plurali pro pluribus masculis.)

ORa, Electe, flecte genua, et dic Pater noster.

Electus, genu flexo orat, et dicit: Pater noster, usque ad Sed libera nos a malo inclusive.

Pontifex subjungit: Leva, comple orationem tuam, et dic Amen.

Electus surgens, respondet: Amen.

Pontifex dicit Patrino: Signa eum.

Deinde dicit Electo: Accede.

Et Patrinus cum pollice signat Electum in fronte, dicens: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et Pontifex pariter facit signum Crucis in fronte ejus, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Pontifex sine mitra surgit, et stans imponit manum super Electum, et dicit: (in plurali pro pluribus.)

Oremus.

DEus, immortale præsidium omnium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, vita credentium, re-

surrectio mortuorum: te invoco super hunc famulum tuum N. qui Baptismi tui donum petens, æternam consequi gratiam spirituali regeneratione desiderat: accipe eum, Domine; et quia dignatus es dicere: Petite, et accipietis, quærite, et invenietis, pulsate, et aperietur vobis: petenti præmium porrige, et januam pande pulsanti; ut æternam cælestis lavacri benedictionem consecutus, promissa tui muneris regna percipiat: Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℞. Amen.

Inde accipit mitram, et adhuc stans, dicit: (in plurali pro pluribus.)

Exorcismus.

Audi, maledicte Satana, adjuratus per nomen æterni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi, Filii ejus, cum tua victus invidia, tremens, gemensque discede; nihil tibi sit commune cum servo Dei N. jam cælestia cogitante, renunciaturo tibi, et sæculo tuo, et beatæ immortalitati victuro. Da igitur honorem advenienti Spiritui Sancto, qui ex summa cæli arce descendens, proturbatis fraudibus tuis, divino fonte purgatum pectus, sanctificatum Deo templum, et habitaculum perficiat; ut ab omnibus penitus noxiis præteritorum criminum liberatus servus Dei, gratias perenni Deo referat semper, et benedicat nomen sanctum ejus in sæcula sæculorum. ℞. Amen.

Pontifex sedet, retenta mitra, et tertio dicit Electo: (in plurali pro pluribus masculis.)

Ora, Electe, flecte genua, et dic Pater noster.

Electus genu flexo orat, et dicit: Pater noster usque ad Sed libera nos a malo inclusive.

Pontifex subjungit: Leva, comple orationem tuam et dic Amen.

Electus surgens, respondet: Amen.

Pontifex dicit Patrino: Signa eum.

Deinde dicit Electo: Accede.

Et Patrinus cum pollice signat Electum in fronte, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et Pontifex pariter facit signum Crucis in fronte ejus, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Deinde surgens, retenta mitra, imponit manum super Electum, dicens: (in plurali pro pluribus.)

Exorcismus.

Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus Sancti ✠, ut exeas, et recedas

ab hoc famulo Dei N. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit.

Exorcismus.

ERgo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo, et vero: da honorem Jesu Christo, Filio ejus, et Spiritui Sancto: recede ab hoc famulo Dei N. quia istum sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: et hoc signum sanctæ Crucis ✠, (signat singulos.)

QUod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, numquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Si, ut supra, adsint fœminæ, retrahunt se masculi in partem, et accedunt fœminæ ante Pontificem, et stant.

Pontifex igitur, sedens cum mitra, dicit Catechumenæ. (in plurali pro pluribus.)

ORa, Electa, flecte genua, et dic Pater noster. (Et Electa, genu flexo, orat, et dicit: Pater noster etc.)

Et cum dixerit usque ad Sed libera nos a malo inclusive, Pontifex dicit: Leva, comple orationem tuam, et dic Amen.

Electa surgens, respondet: Amen.

Pontifex dicit Patrino: Signa eam.

Deinde dicit Electæ: Accede.

Et Patrinus pollice signat Electam in fronte, dicens:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et Pontifex pariter facit signum Crucis in fronte ejus, et dicit:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. (singulis si plures.)

Deinde Pontifex, surgens sine mitra, imponit manum super Electam, et dicit: (in plurali pro pluribus.)

Oremus.

DEus cæli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Patriarcharum, Deus Prophetarum, Deus Apostolorum, Deus Martyrum, Deus Confessorum, Deus Virginum, Deus omnium bene viventium, Deus, cui omnis lingua confitetur, et omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, et infernorum: te invoco, Domine, super hanc famulam tuam N, ut eam custodire, et perducere digneris

ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Deinde cum mitra, et adhuc stans dicit: (in plurali pro pluribus.)

Exorcismus.

ERgo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo, et vero: da honorem Jesu Christo, Filio ejus, et Spiritui Sancto: recede ab hac famula Dei N. quia istam sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: et hoc signum sanctæ Crucis ✠, (signat singulas, si plures.)

QUod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem.
℟. Amen.

Deinde sedens Pontifex cum mitra, dicit iterum Electæ: (in plurali si plures.)

ORa, Electa, flecte genua, et dic Pater noster. Et Electa, genu flexo, orat, et dicit Pater noster. Et cum dixerit usque ad Sed libera nos a malo inclusive, Pontifex dicit: Leva, comple orationem tuam, et dic Amen.

Electa surgens, respondet: Amen.
Pontifex dicit Patrino: Signa eam.
Deinde dicit Electæ: Accede.

Et Patrinus cum pollice signat Electam in fronte, dicens:
In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et Pontifex pariter facit signum Crucis in fronte ejus, dicens:
In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. (singulis si plures.)

Postea Pontifex surgit, et stans sine mitra, imponit manum super caput Electæ, et dicit: (in plurali pro pluribus.)

Oremus.

DEus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et filios Israel de terra Ægypti eduxisti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die, ac nocte: te quæsumus, Domine, ut mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui similiter custodiat et hanc famulam tuam N. et perducat eam ad gratiam Baptismi tui. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Postea sedet, accepta mitra, et dicit tertio Electæ: (in plurali si plures.)

ORa, Electa, flecte genua, et dic Pater noster.

Et Electa, genu flexo, orat, et dicit Pater noster.
Et cum dixerit usque ad Sed libera nos a malo inclusive, Pontifex dicit: Leva, comple orationem tuam, et dic Amen.
Electa surgens, respondet: Amen.
Pontifex dicit Patrino: Signa eam.
Deinde dicit Electæ: Accede.

Et Patrinus cum pollice signat Electam in fronte, dicens: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et Pontifex pariter facit signum Crucis in fronte ejus, dicens:
In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. (singulis, si plures.)

Postea surgit, et stans cum mitra, imponit manum super caput Electæ, et dicit: (in plurali si plures.)

Exorcismus.

EXorcizo te, immunde spiritus, per Patrem ✠, et Filium ✠, et Spiritum Sanctum ✠, ut exeas, et recedas ab hac famula Dei N. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, et quatriduanum Lazarum de monumento suscitavit.

Exorcismus.

ERgo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo, et vero: da honorem Jesu Christo, Filio ejus, et Spiritui Sancto: recede ab hac famula Dei N. quia istam sibi Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, fontemque Baptismatis vocare dignatus est: et hoc signum sanctæ Crucis ✠, (signat singulas si plures.)

QUod nos fronti ejus damus, tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare. Per eumdem Christum Dominum nostrum, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

Postmodum accedunt iterum masculi, qui se retraxerant: et ipsi ad dexteram, fœminæ vero ad sinistram Pontificis, ut in principio, disponuntur.

Pontifex igitur, deposita mitra, surgit, et imposita manu super Electum, vel, si sint plures, super singulos, tam masculos, quam fœminas, stans, dicit: (in plurali pro pluribus tam masculis, quam fœminis.)

Oremus.

ÆTernam, ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, auctor luminis, et veritatis, super hunc famulum tuum N. ut digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ: munda eum, et sanctifica: da ei scientiam veram; ut dignus efficiatur accedere ad gratiam Baptismi tui, teneat firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam; ut aptus sit ad percipiendam gratiam tuam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Pontifex sedet, et mitram accipit. Interim Clerus, qui ante Pontificem stabat, ingreditur Ecclesiam, et dirigit se ad Baptisterium, et extra cancellos ejusdem se disponit.

Deinde Pontifex surgens cum mitra, sinistra manu sua apprehendit dexteram Electi prope brachium, vel ei porrigens extremam partem stolæ, ex humero sinistro pendentis, introducit eum in Ecclesiam.

Si autem baptizandi erint plures, Pontifex vel porrigit singulis extremam partem stolæ, vel trahit illum, quem manu tenet, et ille secundum, et secundus tertium etc. pariformiter ducat.

Dum autem Pontifex illum, vel illos introducit, dicat: (in plurali pro pluribus.)

N. Ingredere in sanctam Ecclesiam Dei, ut accipias benedictionem cælestem a Domino Jesu Christo, et habeas partem cum illo, et Sanctis ejus. ℟. Amen. (si plures, omnes simul.)

Ingressus Ecclesiam, Electus procumbit, seu prosternit se in pavimento, et adorat, deinde surgit. (singuli, si plures.)

Tunc Pontifex deposita mitra, adhuc stans, imponit manum super caput Electi, et simul cum eo recitat Symbolum Apostolorum, et Orationem Dominicam. (si plures, simul recitant.)

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cæli, et terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine: passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est judicare vivos, et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem: Vitam æternam. Amen.

PAter noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in

cælo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Amen.

Interim Pontifex accedit ad faldistorium, extra Baptisterium, et versis renibus ostio cancellorum, accepta mitra, et adhuc stans, (singulis si plures) imponat rursus manum super caput Electi, et dicat: (in plurali pro pluribus.)

Exorcismus.

NEc te latet, Satana, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem supplicii sempiterni, diem, qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi, atque universis angelis tuis præparatus sempiternus erit interitus. Proinde, damnate, atque damnande, da honorem Deo vivo, et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, da honorem Spiritui Sancto paraclito, in cujus nomine, atque virtute, præcipio tibi, quicumque es, spiritus immunde, ut exeas, et recedas ab hoc famulo Dei N. quem hodie idem Deus, et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam, et benedictionem, fontemque Baptismatis dono vocare dignatus est; ut fiat ejus templum per aquam regenerationis, in remissionem omnium peccatorum. In nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Pontifex adhuc stans ibidem cum mitra, pollice accipit de saliva oris sui, et tangit aures, et nares Electi. (singulorum si plures.)

Tangendo vero aurem dexteram, et sinistram, dicat:

Ephphetha, quod est adaperire.

Deinde tangens nares, dicat:

In odorem suavitatis. Et subdit: **Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei.**

Postea Pontifex sedens cum mitra interrogat Electum, (singulos, si plures) dicens:

Pontifex: **Quis vocaris?**
Electus respondet: N.
Pontifex interrogat: N. **Abrenuncias Satanæ?**
Electus respondet: **Abrenuncio.**
Pontifex interrogat: **Et omnibus operibus ejus?**
Electus respondet: **Abrenuncio.**
Pontifex interrogat: **Et omnibus pompis ejus?**
Electus respondet: **Abrenuncio.**

Tunc Pontifex, adhuc sedens cum mitra, intingit pollicem dexteræ manus in Oleo sancto Catechumenorum, et in-

ungit Electum in modum Crucis, primum in pectore, deinde inter scapulas, dicens: (singulos si plures.)

EGo te linio Oleo salutis ✠ in Christo Jesu Domino nostro, in vitam æternam. ℟. Amen.

Pax tibi. ℟. Et cum spiritu tuo.

Mox bombacio, vel re simili, Pontifex tergit pollicem, et abstersis similiter locis inunctis, subjungit, dicens:

EXi immunde spiritus, et da honorem Deo vivo, et vero. Fuge, immunde spiritus, et da locum Jesu Christo Filio ejus. Recede immunde spiritus, et da locum Spiritui Sancto paraclito.

Pontifex depositis mitra, pectorali, ac pluviali, et stola coloris violacei, accipit stolam et pluviale coloris albi, resumit pectorale, et accipit mitram auriphrygiatam: et tunc ingreditur cum suis ministris Baptisterium, secum ducens Electum, vel Electos.

Ibidem inde ante ostium Fontis sedens cum mitra, interrogat Electum. (singulos, si plures.)

Pontifex: Quis vocaris?

Electus respondet: N.

Pontifex interrogat: Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli, et terræ?

Electus respondet: Credo.

Pontifex interrogat: Credis et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, et passum?

Electus respondet: Credo.

Pontifex interrogat: Credis et in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam?

Electus respondet: Credo.

Pontifex iterum interrogat: Quid petis?

Electus respondet: Baptismum.

Pontifex interrogat: Vis baptizari?

Electus respondet: Volo.

Tunc, si Baptismus fieri debeat per immersionem (prout in sancta Metropolitana Ecclesia Beneventana, ac ferme in omnibus CXLII. Parochialibus ejusdem, ex Decreto I. Concilii Provincialis Beneventani de anno MDCXCIII. sub Archiepiscopo Cardinali Ursino; cum in earumdem Baptisteriis unicum vas cum aqua baptismali consurgat, Pontifex stans cum mitra, accipit Electum per brachia, prope humeros; et superiori parte corporis nudatum, reliqua honeste contectum, ter illum, vel caput ejus mergendo, et toties elevando, baptizet sub trina immersione, Sanctam Trinitatem se-

mel tantum invocando, distincte, et attente dicens :

N. Ego te baptizo in nomine Patris ✠, mergat semel, et Filii ✠, mergat iterum, et Spiritus Sancti ✠, mergat tertio, Patrino vel Matrina, vel utroque eum tenente, vel tangente.

Et cum Electus surrexit de fonte, Patrinus, vel Matrina cum linteo in manibus, suscipit eum de manu Pontificis, ac tergit.

Cum plures sunt Electi, singillatim, ut supra, singuli interrogantur, et baptizantur. Si sunt mares et fœminæ, primum mares, deinde fœminæ.

Si vero Baptismus fiat per infusionem (ut in Ecclesiis in quibus, ultra vas cum aqua Baptismali, habetur aliud, in quo aqua ex Baptizati capite defluit.) tunc Patrinus, vel Matrina, vel uterque, si admittantur, admota manu, teneat, seu tangunt Electum, vel Electam, ante Pontificem, laxatis a collo vestibus, apertum caput flexis genibus inclinantem. Pontifex autem sedens cum mitra, hausta, aliquo vasculo, vel urceolo, aqua Baptismali de fonte, cum ea, sub trina supra caput, in modum Crucis, infusione, baptizet Electum, seu Electam, in nomine sanctæ Trinitatis, dicens : N. Ego te baptizo in nomine Patris ✠, et fundat primo, et Filii ✠, et fundat secundo, et Spiritus Sancti ✠, et fundat tertio.

Si aqua, quæ ex capite Baptizati defluit, minime in Sacrarium Baptisterii dilabatur, tunc ipsa recipiatur in subjecta aliqua pelvi per unum ex Capellanis Pontificis sustentata, ac postmodum in Sacrarium prædictum projiciatur.

Verum, si probabiliter dubitetur, an Electus fuerit baptizatus, Pontifex dicat et baptizet, ut supra :

N. Si non es baptizatus, Ego te baptizo in nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus Sancti ✠.

Pontifex deinde, sedens cum mitra, intingat pollicem dexterum in sacrum Chrisma, et perungat verticem Electi (singulor. si plures.) in modum Crucis, dicens :

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis ✠ in eodem Christo Jesu, Domino nostro : in vitam æternam. ℟. Amen.

Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Tunc bombacio, vel re simili, Pontifex pollicem tergit, et imponit capiti Electi Chrismale, seu candidum linteolum, et dat illi vestem candidam, dicens : (singulis si plures.)

Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam. ℟. Amen.

Electus prædicto linteo abstergitur, et in loco remoto deponit priores vestes, et induitur novis albi coloris, vel saltem exteriore candida, quam a Pontifice accepit, et redit ante Pontificem.

Pontifex autem: sedens, ut supra, cum mitra, dat illi cereum, seu candelam accensam in manu dextera, dicens

Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei in aula cælesti, in vitam æternam. ℟. Amen.

Ipse vero Neophytus cereum accensum in manibus teneat usque in finem, præterquam dum confirmatur.

Postremo Pontifex, adhuc sedens cum mitra, dicit:

N. Vade in pace, et Dominus sit tecum.

℟. Amen.

Tandem Pontifex, sedens, ut supra, hortatur Neophytum ad Baptismalem gratiam custodiendam; atque admonet susceptores de spirituali cognatione, quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre, et matre: quæ cognatio impedit matrimonium contrahendum, ac dirimit contractum.

Completo Baptismate, Pontifex adhuc sedens cum mitra, lavat manus, more solito; et iisde ordine processionali, revertitur in Secretarium, vel accedit ad altare.

Ibidem a Pontifice Neophyti Confirmationis Sacramento initiantur, ut in Pontificali: et successive in Missa, vel per ipsum Pontificem, vel per alium celebrata, cui ipsi intersint, Sanctissimam communionem devote suscipiant.

Pontifex demum deponit sacras vestes, et gratiis Deo peractis, recedit in pace.

DE SACRAMENTO MATRIMONII

Contrahendo coram aliquo S. R. E. Cardinali, Antistite, sive Prælato usum Pontificalium habente.

RITUS

DE PRÆPARANDIS PRO HAC SACRA FUNCTIONE.

Altare decentiori Pallio coloris albi, tobaleisque mundis ornatum; Tapete super gradus extentum, et Pulvinar ad genuflectendum; Faldistorium; Quatuor saltem candelabra cum cereis albis, et Crux in medio illorum, super ipsum altare.

Paretur etiam abacus, sive Credentia, super qua erunt Vas aquæ benedictæ cum Aspersorio; Pelvicula pro deponendo annulo fidei conjugalis, dum benedicitur; Palmatoria, vulgo Bugia cum candela; Liber cum hoc Ritu, sive alter Ritualis Romani: et si benedicuntur Nuptiæ, parentur quoque omnia ad Missam necessaria cum hostiis pro Communione Sponsi, et Sponsæ; Velum ante ipsos Communionis tempore extendendum; Vas cum vino, et mappula pro illorum Purificatione; Instrumentum ad osculum Pacis cum velo coloris ceteris paramentis missalibus uniformis, ad ipsius manubrium appenso.

Super altari in medio: Pluviale cum Stola coloris albi; Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus, et si fuerit Regularis, etiam superpelliceum, et omnia oblongo ejusdem coloris velo cooperiuntur; Mitra auriphrygiata, et velum pro ministro de ea inserviente; et baculus pastoralis si eo utatur.

Paretur etiam, si Antistes fuerit in Ecclesia propria, vel Episcopus Cardinalis, super Pelvim Formalium, quod et Pectorale vocatur.

Adsint ad minus quatuor Capellani superpelliceis induti, et duo Testes, quorum nomina excipientur in scriptis.

Scribentur etiam in pagella nomina cum Sponsi, tum Sponsæ, quam accedentem ad contrahendum Matrimonium cohonestari decet præsentia parentum, vel propinquorum.

His omnibus ordinatis venit Cardinalis, vel Prælatus, ad Capellam: in liminari portæ accepto Aspersorio aquæ benedictæ se signat, Sponsum et Sponsam circumstantesque omnes in gyrum aspergit.

Mox accedit ad altare, aliquantulum orat genuflexus; et si erit Missam celebraturus, legit quoque Psalmos Quam dilecta etc. ad præparationem; vel si magis placet, accedit vel ad Sedem, si fuerit in Ecclesia propria, vel ad faldistorium, in cornu Epistolæ altaris, ubi sedens ipsos Psalmos recitat cum suis Capellanis.

Post orationes induitur Amictu supra Rochetum, vel supra Cottam si fuerit Regularis, Alba, Cingulo, Cruce pectorali, Stola, et Pluviali coloris albi; deinde accipit Formale, si eo utatur, Mitram et Baculum pastoralem; ascendit ad altare, quod in medio, Mitra minime deposita, osculatur. Tum relicto Baculo sedet super faldistorio, ante medium altaris allato, renibus ipsi altari conversis.

Vocantur Sponsus, et Sponsa, qui debito venerationis actu accedentes coram Cardinali, vel Prælato genuflectunt; Muliere ad sinistram Viri stante.

Pontifex adhuc cum mitra sedens, eos singillatim interrogat coram tribus, vel duobus testibus de consensu in matrimonium; proprio quemque nomine vocans, et patrio sermone alloquens primo Virum, mox mulierem in hunc modum:

N. volete ricevere N. qui presente per vostra legittima moglie secondo il Rito della Santa Madre Chiesa?

Idest: N. vis accipere N. hic præsentem in tuam legitimam uxorem juxta Ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ?

Respondeat Sponsus: Volo.

Recepto Viri consensu per verbum volo, vel aliud sensibile signum, Mulierem interrogat.

N. volete ricevere N. qui presente per vostro legittimo Marito secondo il Rito della Santa Madre Chiesa?

Hoc est: N. vis accipere N. hic præsentem in tuum legitimum maritum juxta Ritum Sanctæ Matris Ecclesiæ?

Recepto Mulieris consensu, quæ similiter respondere debet: Volo.

Nec sufficit consensus unius: sed debet esse amborum, et expressus aliquo signo sensibili, sive fiat per se, sive per Procuratorem.

Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Antistes jubet eos invicem jungere dexteras: et legens ex libro subdit: Ego conjungo vos in matrimonium. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.

Contrahentes respondent: Amen.

Vel juxta receptum uniuscujusque Provinciæ Ritum, poterit uti aliis verbis.

Postea Antistes surgit cum mitra, et adhuc stans spargit supra Conjuges aquam benedictam in modum crucis nihil dicens. Mox deposita mitra, et ad altare conversus annulum super pelvicula sibi oblatum benedicit.

BENEDICTIO ANNULI.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, et terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Benedic ✠ Domine annulum hunc, quem nos in tuo nomine bene ✠ dicimus, ut quæ eum gestaverit fidelitatem integram suo sponso tenens, in pace et voluntate tua permaneat, atque in mutua charitate semper vivat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Pontifex aspergat annulum aqua benedicta in modum crucis: postea iterum sedeat accepta mitra: et tradat annulum benedictum Sponso, qui statim illum ponit in digito annulari sinistræ manus Sponsæ, Antistite dicente:

In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Tum cantatur, vel legitur sequens Antiphona, Antistite adhuc cum mitra sedente.

Antiphona ton. 8. **Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.**

℣. Gloria Patri, et Filio: et Spiritui Sancto.

℟. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

Et repetitur vel legitur Antiph. **Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.**

Qua repetita, Antistes deposita mitra surgit, et stans versus ad Sponsum, et Sponsam dicit super eos, manibus junctis:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster etc. secreto.

Postea Pontifex dicit adhuc junctis manibus.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvos fac servos tuos.
℟. Deus meus sperantes in te.
℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eos.
℣. Esto eis Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. **Oremus.**

REspice, quæsumus Domine, super hos famulos tuos: et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste; ut qui te auctore junguntur, te auxiliante serventur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

His expletis, si benedicendæ sint Nuptiæ, aliquantulum recedentibus in partem Conjugibus, Antistes descendit, et parat se ad Missam, ut infra dicetur. Sin minus, absoluta supradicta Oratione, iterum sedet, accipit mitram, et sermonibus gravibus alloquitur Sponsum, et Sponsam adhuc co-

ram se genuflexos, admonendo eos, ut sibi invicem fidem servent: Orationis tempore, et præsertim jejuniorum ac solemnitatum, casti permaneant: et Vir uxorem, atque Uxor virum diligat, et in timore Dei maneant.

Postea accepto aspersorio surgit, et super eos iterum fundit aquam benedictam.

DE BENEDICTIONE

NUPTIARUM.

SI contracto jam Matrimonio, Antistes celebraturus sit Missam, ut Nuptias benedicat, quæ nunquam benedicuntur, si mulier sit vidua, post orationem supradictam, si celebrationi Matrimonii ipse adstitit, descendit in plano Capellæ, et si magis placet, accedit ad faldistorium ex latere Epistolæ locandum, ubi depositis mitra, pluviali, et stola, lavat manus, et sumit paramenta Missalia coloris tempori congruentis.

Si fuerit dies Dominica, vel festum de præcepto, aut occurrat Officium primæ, vel secundæ classis, Missa erit de Dominica, vel festo cum commemoratione pro Sponso, et Sponsa: in aliis vero diebus, etiamsi rit. dup. maj. vel min. Missa erit pro Sponso, et Sponsa ex votivis in fine Missalis.

Pontifex postquam fuerit indutus redit ad altare, et deposita mitra facit Confessionem, et successive legit totam Missam usque ad Pater noster inclusive: quo absoluto, antequam dicat: Libera nos quæsumus Domine, facta Sanctissimo Sacramento genuflexione, convertit se versus Sponsum, et Sponsam, ante altare genuflexos, et stans in cornu Epistolæ dicit super eos sequentes Orationes, manibus junctis:

Oremus.

PRopitiare Domine supplicationibus nostris: et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus assiste; ut quod, te auctore jungitur, te auxiliante servetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Oremus.

DEus, qui potestate virtutis tuæ de nihilo cuncta fecisti: qui dispositis universitatis exordiis, homini ad imaginem Dei facto, ideo inseparabile mulieris adjutorium condidisti, ut fœmineo corpori de virili dares carne principium, docens, quod ex uno placuisset institui, numquam licere disjungi. Deus, qui tam excellenti mysterio conjugalem copulam con-

secrasti, ut Christi et Ecclesiæ Sacramentum præsignares in fœdere nuptiarum: Deus, per quem mulier jungitur viro, et societas principaliter ordinata, ea benedictione donatur, quæ sola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluvii est ablata sententiam: Respice propitius super hanc famulam tuam, quæ maritali jungenda consortio, tua se expetit protectione muniri: sit in ea jugum dilectionis et pacis: fidelis et casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat fœminarum: sit amabilis viro suo, ut Rachel: sapiens, ut Rebecca: longæva et fidelis, ut Sara: nihil in ea ex actibus suis ille auctor prævaricationis usurpet: nexa fidei, mandatisque permaneat: uni thoro juncta, contactus illicitos fugiat: muniat infirmitatem suam robore disciplinæ: sit verecundia gravis, pudore venerabilis, doctrinis cælestibus erudita, sit fecunda in sobole, sit probata et innocens: et ad beatorum requiem, atque ad cælestia regna perveniat: et videant ambo filios filiorum suorum, usque in tertiam et quartam generationem: et ad optatam perveniant senectutem. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum reversus ad medium altaris, sanctissimo Sacramento iterum genuflectit, et surgens prosequitur ubi dimiserat, videlicet Libera nos quæsumus Domine etc.

Procedit in Missa usque ad Orationem, Domine Jesu Christe, qui dixisti, etc. qua dicta osculatur altare, et instrumentum pacis, quod ad ipsum altare deferet unus ex ministris, qui subinde pacem dabit Sponso, et Sponsæ cum eodem instrumento dicens cuique ex more: Pax tecum; ipsique respondent: Et cum spiritu tuo.

Postquam Antistes se communicaverit de Corpore et Sanguine, priusquam se purificet, palla tegitur calix: et Antistes facta genuflexione, si non fuerint Hostiæ antea in Pixide præparatæ, sed tantum super Corporali locatæ, supponit Patenam sacris hostiis, quibus communicandi sunt Sponsus, et Sponsa: qui vel per se tunc, vel per ministrum faciunt Confessionem dicendo: Confiteor Deo, etc.

Tum Antistes iterum genuflectit, et manibus junctis, vertens se ad eos in cornu Evangelii, dicit, Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.

Respondent. Amen.

Et Antistes faciens manu dextera signum Crucis super eos prosequitur:

Indulgentiam ✠ absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus. ℟. Amen.

Tum regressus ad medium altaris, genuflectit Sacramento; et surgens, sinistra manu Patenam, dextera vero unam ex hostiis reverenter accipit. Interim ministri extendunt ante Communicandos tobaleam, seu velum album. Antistes autem conversus ad eos dicit de more: Ecce Agnus Dei, etc. et tertio repetito, Domine non sum dignus, etc. primo Virum, mox Mulierem communicat, dicens singulis: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.

Et quilibet respondet: Amen.

Deosculans manum dexteram Antistitis, antequam Communionem accipiat: ipsaque Communione sumpta, per manus ministri purificationem, si velint, ambo capiunt ex aliquo vase.

Antistes vero ablutionem sumit, et accepta mitra, si ea usus fuerit intra Missam ad Lavabo, lavat manus, et perficit Missam; et dicto, Benedicamus Domino; vel si Missæ illius diei conveniat, Ite Missa est, antequam populo benedicat, conversus ad Sponsum, et Sponsam coram altari genuflexos, dicit sine mitra, et manibus junctis, sequentem Orationem:

Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob sit vobiscum: et ipse adimpleat benedictionem suam in vobis: ut videatis filios filiorum vestrorum usque ad tertiam, et quartam generationem: ut postea vitam æternam habeatis sine fine, adjuvante Domino nostro Jesu Christo: Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Qua finita, versus ad altare dicit: Placeat tibi Sancta Trinitas, etc. et accepta mitra ex more benedicit subdens: Sit nomen Domini benedictum, etc. et dat benedictionem more solito.

Quo facto, et allato faldistorio ante medium altaris super illud sedet, accepto etiam, si placuerit, gremiale colori cæterorum paramentorum conformi, eos gravi allocutione admonet, de fide sibi invicem servanda; de continentia Orationis tempore, et præsertim jejuniorum, et sollemnitatum, ut supra dictum est; tandem surgens aqua benedicta illos aspergit; et deposita mitra ultimum Evangelium legit, sacras vestes exuit, et gratias de more agit.

Ceterum si quæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus, et cæremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas Sancta Tridentina Synodus optat retineri.

RITUS, ET FORMULA
BENEDICTIONIS APOSTOLICÆ
PRO COMMODITATE EPISCOPORUM.

Ritus, et Forma a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis pro impertienda Benedictione, una cum Plenaria Indulgentia post Missarum solemnia, triplici signo Crucis emisso, et in Episcopali Throno cum mitra, cæterisque sacris paramentis indutis, circumstantibus ministris, adhibendus, quod congrue de Prælatis inferioribus intelligatur, talis esse debet.

Expleta in utraque sollemnitate Missæ solemnis celebratione, in primis alta voce per ministrum superpelliceo indutum legantur Litteræ Apostolicæ, quibus indulgentia Plenaria conceditur, una cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione adstantibus constet, et concessio ex latino sermone in vulgarem ad populi intelligentiam translata recitetur. Postea Episcopus surgens, juxta Ritum in Cæremoniali Episcoporum expressum, dicet:

PRecibus, et meritis Beatæ Mariæ semper Virginis, beati Michaelis Archangeli, beati Joannis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri, et Pauli, et omnium Sanctorum:

MIsereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos Jesus Christus ad vitam æternam.

INdulgentiam, absolutionem, et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium veræ, et fructuosæ pœnitentiæ, cor semper pœnitens, et emendationem vitæ, perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus. ℟. Amen.

ET Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti descendat super vos, et maneat semper. ℟. Amen.

Demum post impertitam benedictionem, publicabitur latino, et vernaculo idiomate concessio Plenariæ Indulgentiæ, sequenti formula:

ATtentis facultatibus a Sanctissimo in Christo Patre et Domino nostro Domino N. divina providentia Papa N. in enuntiatis Apostolicis Litteris expressis, datis Reverendissimo Domino Domino N. Dei, et Apostolicæ Sedis gratia hujus Sanctæ N. Ecclesiæ Antistiti, eadem Dominatio sua Reverendissima, summi Pontificis nomine, dat et concedit omni-

bus hic præsentibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiæ consueta: Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctissimi Domini nostri Papæ, Dominationis suæ Reverendissimæ, et sanctæ Matris Ecclesiæ.

ORDO BENEDICTIONIS AQUÆ

PRO RECONCILIATIONE ECCLESIÆ AB EPISCOPO FACIENDÆ.

Benedictio hujus Aquæ fieri potest omni die.

Parantur pro Episcopo faldistorium super tapete, rochetum, stola, et mitra simplex. Insuper, supra mensam tobalea coopertam parantur unum vas cum sale; vas cum aqua benedicenda; vas cum cineribus; et vas vini.

Pontifex ornatus rocheto (vel si Regularis sit, superpelliceo) assumet stolam, et mitram: deinde prope faldistorium stans cum mitra, aquæ benedictionem ab exorcismo salis incipiens, dicet absolute:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum, et terram.

Exorcizo te creatura salis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui Apostolis suis ait: Vos estis sal terræ; et per Apostolum dicit: Sermo vester semper in gratia sale sit conditus; ut sancti ✠ ficeris ad reconciliationem Ecclesiæ, ad expellendas omnes dæmonum tentationes; et omnibus qui ex te sumpserint, sis animæ et corporis tutamentum, sanitas, protectio, et confirmatio salutis. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde deposita mitra, dicat:

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, qui hanc gratiam cælitus sali tribuere dignatus es, ut ex illo possint universa condiri, quæ hominibus ad escam procreasti: bene ✠ dic hanc creaturam salis, ad effugandum inimicum, et ei salubrem medicinam immitte, ut proficiat sumentibus ad animæ et corporis sanitatem. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Tum assumpta mitra, dicit absolute exorcismum aquæ:

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, ut repellas diabo-

sum a termino justorum, ne sit in umbraculis Ecclesiæ. Et tu, Domine Jesu Christe, infunde Spiritum Sanctum in Ecclesiam tuam, ut proficiat ad sanitatem corporum animarumque adorantium te, et magnificetur nomen tuum in gentibus: et increduli corde convertantur ad te, et non habeant alium Deum, præter te Dominum solum. Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde, deposita mitra, dicit:

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus, Pater omnipotens, statutor omnium elementorum, qui Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum elementum hoc aquæ in salutem humani generis esse voluisti: te supplices deprecamur; ut exauditis orationibus nostris, eam tuæ pietatis aspectu sancti ✠ fices, atque ita omnium spirituum immundorum ab ea recedat incursio; ut ubicumque fuerit in nomine tuo aspersa, gratia tuæ benedictionis adveniat, et mala omnia, te propitiante, procul recedant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Tum stans sine mitra, dicit super cineres:

Benedictio cinerum.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, parce pœnitentibus, propitiare supplicantibus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cælis, qui bene ✠ dicat, et sancti ✠ ficet hos cineres, ut fiant remedium salubre omnibus nomen sanctum tuum humiliter implorantibus, ac semetipsos pro conscientia delictorum suorum accusantibus, ante conspectum divinæ clementiæ tuæ facinora sua deplorantibus, vel serenissimam pietatem tuam suppliciter obnixeque flagitantibus: et præsta, per invocationem sanctissimi nominis tui; ut quicumque eos super se asperserint, pro redemptione peccatorum suorum, corporis sanitatem, et animæ tutelam percipiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Tum Pontifex accipit sal, et miscet cineri in modum crucis, dicens:

Commistio salis, et cineris pariter fiat. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti. ℟. Amen.

Deinde accipiens pugillum de mistura salis et cinerum in modum crucis ter immittit in aquam, qualibet vice dicens:

Commistio salis, cineris, et aquæ pariter fiat. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.
℟. Amen.

Deinde stans sine mitra, dicit super vinum:

Benedictio vini.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui in Cana Galilææ ex aqua vinum fecisti, quique es vitis vera: multiplica super nos misericordiam tuam, et bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris hanc creaturam vini; ut ubicumque fusum fuerit, vel aspersum, divinæ id benedictionis tuæ opulentia repleatur, et sanctificetur: Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde mittit in modum crucis vinum in aquam ipsam, dicens:

Commistio vini, salis, cineris, et aquæ pariter fiat. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti.
℟. Amen.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, creator et conservator humani generis, et dator gratiæ spiritualis, ac largitor æternæ salutis: emitte Spiritum Sanctum tuum super hoc vinum cum aqua, sale, et cinere mistum; ut armatum cælestis defensione virtutis, ad reconciliationem Ecclesiæ tuæ proficiat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Expleta Oratione, Pontifex, deposita stola, et rocheto, vadit in pace.

FINIS.

INDEX
PRIMÆ PARTIS.

SECUNDÆ PARTIS.

TERTIÆ PARTIS.

ADDITAMENTA P. IV.